SYNAXIS
CVRÆ ANIMARVM
EX DOCTRINA
S. THOMÆ
DE AQVINO

SYNAXIS
CVRÆ ANIMARVM
EX OMNIBVS
S. THOMÆ
DE AQVINO
THÆOLOGICIS OPERIBVS

Auctore

IVLIO CALVO ARCHIPRÆSBYT. TVSCVLANO

Ab ipso nuper compluribus aucta, & iuris Canonici, ac Concilij Tridentini decretis confirmata, & in hac secunda Editione a pluribus mendis; & erroribus expurgata, opera, & Studio F. RAYMVNDI TOSCANI de Laureto Ordinis Prędicatorum Examinatoris Synodalis, & Vicarij Sancti Officij Maceratæ.



Coloniæ, 1610 & denuò Maceratæ Typis Michaelis Archangeli Silvestri Impress. S. Offi. 1714. DD. Sup. Permissu.

Reymprimatur.

Ex Vrbe seruatis seruandis. Dat. Romæ ex Ædibus nostris in Palatio Apostolico die 20. Aprilis 1713.

GREGORIVS SELLERI Ordinis Prædicatorum S. Palatij Apostolici Magister.

Reymprimatur.

Die 27. Iunij 1713.

A. Spetia Vicarius Generalis.

INDEX QVESTIONVM IN HOC OPERE CONTENTARVM EX ORDINE.

De Voluntario pag. 1.
De Ignorantia. 2.
De Conscientia erronea. 3.
De Peccatis secundum se. 4.
De Distinctione peccatorum. ibid.
De Comparatione peccatorum. 7.
De Subiecto peccatorum. 9.
De Causis peccatorũ in genrali. 10.
De Causa peccati, quę est malitia. 11.
De Causa peccati, ex parte Dei. ibid.
De Causa peccati ex parte Diaboli. 12.
De Traductione Originalis peccati. ibid.
De Peccato Originali secundum essentiam. 14.
De Subiecto Originalis peccati. ibid.
De Causa peccati secundum quod vnum est causa alterius. 15.
De Corruptione boni Naturę ibid.
De Reatu Penę. 17.
De Peccato mortali, & veniali 18.
De Necessitate gratiæ. 20.
De gratia quantum ad eius essentiam. 23.
De Diuisione Gratiæ. ibid.
De Causa Gratiæ. 25.
De Iustificatione quæ est effectus gratiæ cooperantis. 28.
De Merito, quod est effectus gratię cooperantis. ibid.
De Obiecto Fidei. 32.
De Actu Fidei interiori. 36.
De Actu exteriori Fidei. 37.
De Fidei Virtute. 38.
De Habentibus Fidem. ibid.
De Causa Fidei. 39.
De Dono Intellectus. 40.
De Dono Scientię. ibid.
De Infidelitate in Communi. 41.
De Hęresi. 44.
De Apostasia. 45.
De Blasphęmia. 46.
De Blasphæmia in Spiritum Sanctum. 48.
De Cæcitate Mentis, & Hebetudine Sensus. 49.
De Obiecto Spei. ibid.
De Subiecto Spei. 50.
De Dono Timoris. ibid.
De Desperatione. ibid.
De Presumptione. 51.
De Charitate. ibid.
De Subiecto Charitatis. 52.
De Obiecto Charitatis. 54.
De Ordine Charitatis. 56.
De Actu Charitatis. 57.
De Beneficentia. 58.
De Eleemosina. ibid.
De Fraterna Correctione. 61.
De Odio. 65.
De Accidia. 66.
De Inuidia. 67.
De Discordia. 68.
De Contentione. ibid.
De Schismate. ibid.
De Bello. 69.
De Rixa. 70.

De Se-

De Seditione. ibid.
De Scandalo. 71.
De Preceptis Charitatis. 73.
De Dono Sapientiæ. 74.
De Stultitia. 75.
De Prudentia. ibid.
De Dono Consilij. 76.
De Imprudentia. ibid.
De Præcipitatione. ibid.
De Temeritate. ibid.
De Inconsideratione. 77.
De Inconstantia. ibid.
De Negligentia. ibid.
De Prudentia Carnis. 78.
De Astutia. ibid.
De Dolo. ibid.
De Fraude. ibid.
De Solicitudine Temporalium ibid.
De Iudicio. 79.
De Iustitia commutatiua, & distributiua. 80.
De Restitutione. 81.
De Acceptione personarum. 89.
De Homicidio. 91.
De Mutilazione Membrorum. 93.
De Furto. 94.
De Iustitia Iudicis in iudicando. 97.
De Iustitia Accusatoris in accusando. 98.
De Iustria Rei in sua defensione. 99.
De Iustitia Testis in testificando. 100.
De Iustitia Aduocati in patrocinando. 101.
De Contumelia. 103.
De Detrhactione ibid.
De Susurratione. 105.
De Irrisione. 106.
De Maledictione. ibid.
De Fraudolentia in emptionibus, & Venditionibus. 108.
De Peccato Vsuræ. 111.
De Religione. 116.
De Deuotione. 117.
De Oratione. ibid.
De Adoratione. 124.
De Sacrificijs. 126.
De Oblationibus ibid.
De Primitijs. 127.
De Decimis. ibid.
De Voto. 128.
De Iuramento. 135.
De Adiuratione. 139.
De Laude Diuina. 140.
De Idolatria. 141.
De Diuinatione. ibid.
De Obseruatione. 144.
De Periurio. 146.
De Sacrilegio. 148.
De Simonia. ibid.
De Pietate. 158.
De Obseruantia. ibid.
De Obedientia. 159.
De Inobedientia. ibid.
De Gratitudine. ibid.
De Ingratitudine. 160.
De Veritate. ibid.
De Mendacio. 161.
De Hypocrisi. 162.
De Iactantia. ibid.
De Ironia. 163.
De Affabilitate. ibid.
De Adulatione. ibid.
De Liberalitate. 164.
De Auaritia. ibid.
De Prodigalitate. 165.
De Pietate. ibid.
De Præceptis legis naturalis. ibid.
De Præceptis Decalogi. 166.
De Præceptis legis humanæ. 171.
De Fortitudine. 172.
De Martyrio. 173.
De Timore. ibid.
De Intimiditate. 174

De Magnanimitate. ibid.
De Ambitione. ibid.
De Inani gloria. ibid.
De Dono fortitudinis. 175.
De Abstinentia. ibid.
De Ieiunio. 176.
De Gula. 180.
De Sobrietate. ibid.
De Ebrietate. 181.
De Castitate. ibid.
De Virginitate. ibid.
De Vitio Luxuriæ. 182.
De Continentia. 187.
De Incontinentia. ibid.
De Mansuetudine. 188.
De Ira. ibid.
De Modestia. 189.
De Humilitate. ibid.
De Superbia. ibid.
De Vitio Curiositatis. 190.
De Ludis. ibid.
De Exteriori ornatu. 191.
De Prophetia. 192.
De Raptu. 194.
De Statu Perfection. in communi. ibid.
De Statu Perfectionis Episcoporum. 196.
De Statu Perfect. Religionis. 202.
De His quæ competunt Religiosis. 203.
De Diuersitate Religionum. 205.
De Religionis Ingressu. 206.
De Sacramentis in communi. 210.
De Necessitate Sacramentorũ. 212.
De Principali effectu Sacramentorum. 213.
De Secundario effectu Sacramentorum. 214.
De Causa Sacramentorum. 215.
De Numero Sacramentorum. 217.
De Sacramento Baptismi. 218.
De Ministris. 222.
De Suscipientibus Baptismum. 225.
De Effectibus Baptismi. 228.
De Circumcisione. 230.
De Sacramento Confirmationis. ibid.
De Sacramento Eucharistiæ. 234.
De Materia huius Sacramenti. 235.
De Conuersione Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Christi. 238.
De Modo quo Christus est in hoc Sacramento. 240.
De Accidentibus remanentibus in hoc Sacramento. 242.
De forma huius Sacramenti. 244.
De Effectibus huius Sacramenti. 246.
De Vsu huius Sacramenti. 248.
De Modo quo Christus vsus est hoc Sacramento. 254.
De Ministro huius Sacramenti. ibid.
De Ritu huius Sacramenti. 256.
De Defectibus occurrentibus circa celebrationem huius Sacramenti. 258.
De Pœnitentia secundum quod est Sacramentum. 259.
De Pœnitentia secundum quod est Virtus. 261.
De Effectu Pœnitentiæ. 262.
De Remissione Venialium Peccatorum. 264.
De Reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum. 265.
De Recuperatione Virtutum per pœnitentiam. ibid.
De Partibus Pœnitentiæ. 266.
De Contritione. 267.
De Confessione. 269.
De Satisfactione. 283.
De Operibus satisfactorijs. 288.
De Suffragijs mortuorum. 290.
De Potestate Clauium. 292.
De Indulgentijs. 293.

De Ex-

De Excommunicatione. 296.
De Sacramento Extremæ Vnctionis. 301.
De Administratione huius Sacramenti. 303.
De Ordine in Communi. 305.
De Distinctione Ordinum. 307.
De Quibusdam quæ sunt Ordinibus annexa. 308.
De Ordinantibus, 310.
De Ordinatis. ibid.
De Matrimonio secundùm quod est Officium Naturæ. 315.
De Matrimonio secundùm quod est Sacramentum. ibid.
De Matrimonio secundùm se. 316.
De Sponsalibus. 319.
De Bigamia. 320.
De Matrimonio B. Virginis. ibid.
De Bonis Matrimonij. 321.
De Actu Matrimonij. 322.
De Pluralitate Vxorum, 324.
De Libello Repudij. ibid.
De Diuortio. 325.
De Impedimentis dirimentibus Matrimonium. ibid.
De Coactionis impedimento, 326.
De Impedimento erroris, ibid.
De Frigiditatis impedimento. ibid.
De Maleficij impedimento. 327.
De Seruitutis impedimento, ibid.
De Impedimento Ordinis. 328.
De Ligaminis impedimento. 329.
De Criminis impedimento. ibid.
De Voti impedimento. 330.
De Disparitatis Cultus impedimento. ibid.
De Carnalis cognitionis impedimento. 331.
De Spiritualis Cognationis Impedimento. 333.
De Legalis Cognationis Impedimento. 334.
De Impedimentis dirimentibus Matrimonium, & de Voti Impedimento. ibid.
De Sponsalium Impedimento. 335.
De Incestus Impedimento. ibid.
De Vxoricidij Impedimento. ibid.
De Sacerdotis occisionis Impedimento. ibid.
De Raptus Impedimento. ibid.
De Impedimento susceptionis proprii filii de Sacro Fonte, 336.
De Nuptiis, ibid.

DE

DE CVRA ANIMARVM EX DOCTRINA S. THOMÆ DE AQVINO.

LIBER PRIMVS:

Primo discutiendæ occurrunt quæstiones de peccatis: sed quia non est peccatum nisi voluntarium, præcedere debet quæstio de voluntario; necnon de ignorantia opposita voluntario, ac etiam de conscientia erronea.

QVÆSTIO I.

De voluntario.

Quid est voluntarium?



VOluntarium est, quod ab interiori principio procedit; hoc autem est vis cognoscitiua, scilicet ratio; & appetitiua, scilicet voluntas: & sic ad voluntarium requiritur duplex actus; actus rationis, vt deliberet, & iudicet; & actus voluntatis, vt tendat in id, quod est ratione iudicatum. Dicitur autem voluntarium dupliciter; secundum se, quando voluntas directè in ipsum fertur; & secundum suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum: vt patet in eo, qui voluntariè inebriatur, cui quasi voluntarium imputatur peccatum, quod per ebrietatem committit. Similiter qui occidit hominem casualiter, incurrit homicidium quodammodo voluntarium in sua causa, si dat operam rei illicitæ, vel non adhibet debitam diligentiam, vt infra patebit. Similiter dicitur voluntarium directè, quod est id, in quod voluntas fertur; & indirectè, quod est illud, quod voluntas potuit, & debuit prohibere, & non prohibuit, propter negligentiam, sicut submersio nauis ob negligentiam gubernatoris, qui desistit à gubernando. Dicitur etiam voluntarium absolutè, quod aliquis secun-

dum se vult, & mixtum cum inuoluntario, quod vult ad vitandum maius malum, sicut proiectio mercium in mare, ne nauis submergatur *1. 2. q. 6. art. 1. & ad 1. & art. 3. 4. 5. & 6. & q. 19. art. 6. & 1. 74. ar. 7. ad. 1. & q. 77. ar. 7. & 2. 2. q. 64. ar. 8. & q. 79. ar. 3. ad 3.*

QVÆSTIO II.

De Ignorantia.

Quando ignorantia excusat à peccato?

TRiplex est ignorantia; quædam est antecedens voluntatem, quę est de eo, quod aliquis scire non tenetur, & ex hoc aliquid agit, quod si sciretur, non ageret; sicut cum aliquis ignorat aliquam circumstantiam actus, quam scire non tenetur, puta cùm diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, proijcit sagittam, qua interficit transeuntem: & talis ignorantia est omninò inuoluntaria, quæ dicitur ignorantia inuincibilis, & ideo totaliter à peccato excusat. Alia est ignorantia concomitans voluntatem, quæ est de eo, quod agitur, & etiamsi sciretur, nihilominus ageretur; sicut cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere ceruum? & hæc ignorantia non facit inuoluntarium; quia non causat aliquid, quod sit voluntati repugnans; & secundum hoc à peccato non excusat. Tertia est consequens voluntatem: Et hæc est triplex. Prima quidem est ignorantia affectata, quæ est de eo, quod aliquis ignorare vult, vel vt excusationem peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccando, secundum illud Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret*. Et hæc est ignorantia voluntaria directè, quæ nec in toto, nec in parte excusat à peccato. Alia est ignorantia malæ electionis, quæ est de eo, quod aliquis actu non considerat, quod considerare potest, & debet in aliquo casu; quæ prouenit ex habitu, vel passione, vel ex negligentia: & hæc est voluntaria, & dicitur ignorantia crassa, quæ in toto non excusat à peccato.

Aduertendum est tamen secundum Caiet. quod si aliquis operatur ex actuali obliuione eius, quod habitualiter scit, non incurrit ignorantiam malæ electionis, quia non est in potestate hominis actualiter reminisci omnium, quæ habitualiter scit: & ideo excusatur non solum à culpa, sed à censuris consequentibus culpa: secus autem esset de irregularitate, quæ sequitur factum, & non requirit culpam, quæ sunt notanda pro multorum occurrentium casuum decisione. Vnde si quis sciat talem contractum esse vsurarium, & tamen non recolens actualiter eius, quod habitualiter scit, facit talem contractum, excusatur à mortali. Similiter si quis sciat talem sibi notum esse excommunicatum, & tamen communicat cum eo in diuinis, ex hoc, quod actualiter non recolit hunc esse excommunicatum, excusatur à peccato mortali, & ex his facilè erit iudicare de reliquis.

Tertia est ignorantia iuris, quæ est de eo, quod aliquis habitualiter non scit, quod simpliciter, & secundum omne tempus scire debet, quæ prouenit ex negligentia; & hæc est voluntaria indirectè, & totaliter à peccato

cato non excusat: sicut cum quis non curat acquirere scientiam, quam debet habere. Tenetur autem quilibet scire ea quibus dirigitur in proprijs actibus; vnde omnis homo tenetur scire ea, quæ sunt fidei, quæ intentionem dirigit, & præcepta Decalogi, per quæ potest peccata vitare, & bonum facere. Vnusquisque etiam tenetur scire quæ ad suum officium pertinent 1. 2. *q.* 6. *ar.* 8. *&* *q.* 76. *ar.* 2. *&* 3. *&* *q.* 3. *de malo ar.* 7. *&* 8.

QVÆSTIO III.

De conscientia erronea

Quando conscientia erronea excusat?

CONscientia nihil aliud est, quam applicatio scientiæ ad actum. Huiusmodi autem conscientia errans semper obligat; quod cótingit non solũ in indifferentibus, sed etiam in per se bonis, vel malis. Si enim conscientia, vel ratio errans dictet esse faciendum, vel vitandum aliquid quod est secundum se indifferens; vt leuare festucam de terra, apprehendens illud, vt bonum, vel vt malum, obligat. Similiter etiam ratio errans obligat, si dictet aliquid esse faciendum, quod est per se malum, apprehendens illud vt bonum, sicut fornicatio simplex; vel vitandum esse aliquid, quod est per se bonum, apprehendens illud, vt malum, sicut credere in Christum; ita quod voluntas discordans à tali ratione errante erit mala, non quia illud sit bonum, vel malum secundum se, sed quia est bonum, vel malum per accidens ex apprehensione rationis. Non semper tamen conscientia erronea excusat, quia conscientia erronea errore voluntario, vel directè, vel indirectè non excusat, quin voluntas concordans huic rationi erranti sit mala; directè quidem, quando scilicet studiosè vult aliquis ignorare, vt liberius peccet, indirectè autẽ propter negligentiã, ex eo, quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur, vt dictũ est: sicut si ratio in hoc erret, quod homo credat fornicationẽ simplicem non esse peccatũ, quia iste error prouenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur: Conscientia verò erronea errore inuoluntario, propter ignorantiam alicuius circumstantiæ absque omni negligentia, excusat: sicut si quis credat aliquam mulierem submissam esse suam vxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoscere 1. 2. *q.* 19. *ar.* 5. *&* 6. *&* 2. *sent. dist.* 39. *q.* 3. *ar.* 3. *&* *Quodl.* 3. *ar.* 27. *&* *Quodl.* 8. *ar.* 15. *&* *q.* 17. *de verit. art.* 4.

Hic confessorem docet Caiet. quod ratio errans non ligat, nisi accipiatur in se, & in applicatione ad opus; quia conscientia erronea in applicatione consistit; Vnde si mulier audit a prædicatore, quod vti alienis capillis est peccatum mortale, quia est simulatio, & ex hac ratione concipit, talem vsum esse peccatum mortale, ex appetitu tamen mouente vtitur huiusmodi capillis, putans absque solutione rationis id sibi licere: in hoc, & similibus propriè loquendo, ratio erronea non ligat, quia non fit contra conscientiam: quamuis enim maneat ratio errans in se, non manet tamen applicata ad opus;

DE PECCATIS.

QVÆSTIO IV.

De peccatis secundum se.

1. Peccatum quid est?

Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, *vt definit Augustin. contra Faust. lib.* 22. *cap.* 27. quia peccatum est actus voluntarius malus elicitus, vt ipsum velle; vel imperatus, vt actus exterior vel locutionis, vel operationis, carens debito ordine ad aliquam regulam; Vt est actus voluntarius malus, est dictum, vel factum, vel concupitum, quod se habet vt materiale in peccato; vt autem caret debito ordine ad aliquam regulam, est contra legem æternam, quia lex æterna est prima regula humanorum actuum, quod se habet vt formale. In hoc autem quod dicitur dictũ, vel factum, vel concupitum, sunt intelligendæ etiam negationes oppositæ, secundum quod omissio habet rationem peccati; quod contingit, quando omissio causatur ex actu voluntario, vel per se, sicut cum aliquis vult ludere, sciens quod ad hoc consequitur non ire ad Ecclesiam; vel per accidens, sicut cum alicui occupato circa aliquem actum, non venit in mentem id, quod facere tenetur. Conuenientius autem definitur ex hoc, quod est contra legem æternã, quam ex eo, quod est contra rationem; quia per legem æternam regulamur in multis, quæ excedunt rationem humanam sicut in his, quæ sunt fidei, & intelligis de peccato mortali; quia peccatum veniale non est contra legem æternam, sed præter ipsam 1. 2. q. 71. *art.* 6. *& ad* 5. *& q.* 76. *art.* 2. *ad primum, & q.* 2. *de malo art.* 1. *& ad* 1. *& art.* 2.

2. Quomodo differunt peccatum, malitia, & vitium?

Differunt peccatum, malitia, & vitium, quia peccatum opponitur virtuti, vt est operatiua boni: malitia vero opponitur virtuti, vt est bonitas: vitium autem propriè opponitur virtuti, secundum quod est virtus, *ead. q. art.* 1. *a.* 1.

3. Quomodo peccatum peius est, quàm vitium?

Peccatũ simpliciter peius est quàm vitiũ, quia vitiũ est habitus; peccatũ verò actus ipsius vitij: habitus autẽ dicitur bonus, vel malus propter bonitatem, vel malitiam actus. Et ideò peccatum est peius, quàm vitium, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis est. Vnde pro actu vitioso aliquis iustè punitur; non autem pro habitu vitioso, si non procedat ad actum. Secundum quid tamen habitus vitiosus est peior, quàm actus, quia est diuturnior, & in se habet virtualiter actum, vt causa efficiens. *ead. q. art.* 3. *& ad.* 1. 2. *&* 3.

QVÆSTIO V.

De distinctione peccatorum.

1. Quomodo peccata differunt specie?

Peccata distinguuntur specie ex parte conuersionis ad obiecta,

siue fines, quia ad rationem peccati concurrunt duo; vnum est actus voluntarius, qui se habet ad intentionem peccantis per se, quia intendit talem actum voluntarium excercere in tali materia. Aliud est inordinatio actus, quæ est per auersionem à lege Dei, quæ per accidens se habet ad intentionem peccantis: nullus enim intendens ad malum operatur: vnumquodque autem specificatur secundũ illud, quod est per se. Et ideo peccata distinguuntur specie ex parte actuum voluntariorum, magis quàm ex parte inordinationis: actus autem voluntarij distinguuntur specie secũdum obiecta. Vnde peccata propriè distinguuntur specie ex parte conuersionis ad obiecta; non autem ex parte auersionis. Conuersio autem ad obiectum est duplex; quædam est ad bonum incõmutabile, scilicet Deum; & sic peccata, quæ sunt directe contra Deum, distinguuntur specie; sicut odium Dei, desperatio, & infidelitas, quæ opponũtur virtutibus Theologicis, quæ habent Deum pro obiecto; & similitèr blasphemia: quædam verò est conuersio ad bonum commutabile; & sic alia peccata distinguuntur specie 1. 2. *q.72.art.* 1. *&* 2.2.*q.20.art.*1.*ad.*1.*& Quodl.6.ar.*16.

2. *Cur peccata non distinguuntur specie secundum diuersas causas actiuas?*

PEccata non distinguuntur specie secundum diuersas causas actiuas, sed solum secundum diuersos fines, quia ex vno principio actiuo, vel motiuo possunt diuersæ species peccatorum procedere; sicut ex timore potest procedere quod homo furetur, quod occidat, & quod deserat gregem sibi commissum, & hæc eadem possunt procedere ex amore. *ead. q. art. 3.*

Et intelligit, (vt aduertit Caietanus.) de principio actiuo absolutè. Vnde si principium actiuum induceret alium finẽ, tunc non ratione principij actiui, sed ratione finis potest diuersificari species peccati. Contingit enim, quod mulier, ne perdat dilectum sacrilegum, consentiat alteri laico: & tunc actus ille ex illo timore erit etiam peccatum sacrilegij ratione finis: quamuis absolutè fuisset fornicatio, vel adulterium.

3. *Quomodo peccatum in Deum, in seipsum, & in proximum distinguuntur specie?*

PEccatum in Deum, in seipsum, & in proximum distinguuntur specie secundum obiecta; quia homo peccat in Deum in his, in quibus dirigitur ad ipsum secundum regulam diuinæ legis; vt in his, quæ sunt fidei, & quæ debentur soli Deo: sicut hæreticus, sacrilegus, & blasphemus: Peccat verò in seipsum in his, in quibus dirigitur secundum regulam rationis ad seipsum tantùm; sicut patet de guloso, luxurioso, & prodigo. Peccat autem in proximum in his, quibus ordinatur ad ipsum secundum rationem; sicut patet de fure, & homicida. *ead. q. art.* 4.

4. *Quare peccatum mortale, et veniale non differunt specie?*

PEccatum mortale, & veniale non differunt specie, quia peccata dif-

differunt specie ex parte conuersionis ad obiectum, vt dictum est: peccatum autem mortale, & veniale non differunt ex parte talis conuersionis; quia vtrumque est circa idem obiectum; idem enim est obiectum adulterij, & primi motus eius: sed differunt ex parte auersionis iuxtà duos modos inordinationis auersiuæ, quia peccatum veniale est inordinatio pręter vltimum finem, quia non tendit in ipsum vltimum finem, scilicet Deum: peccatum verò mortale est inordinatio contra vltimum finem. *ead. q. art. 5. et ad 1. et 4. sent. dist. 17. q. 3. ar. 2. q. 3. ad 5.*

5. Cur peccatum commissionis, & omissionis non differunt specie?

PEccatum commissionis, & omissionis materialiter differunt specie, secundum quod affirmatio, & negatio speciem habere possunt: quia peccatum cõmissionis opponitur pręcepto negatiuo; omissionis verò affirmatiuo. Formaliter autem ratione finis, & obiecti peccatum commissionis, & omissionis non differunt specie: quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt: auarus enim & aliena rapit, & sua non dat, quibus dare debet, ad congregandam pecuniam: & similiter gulosus superflua comedit, & ieiunia debita non seruat ad satisfaciendum gulæ: & idem est videre in cęteris. *ead. q. ar. 6. & 2. 2. q. 79. art. 2. & ad 3.*

Ex hac doctrina colligit Caietanus, quod peccata non distinguuntur specie secundum diuersitatem praeceptorum. Vnde furtum ex hoc, quod est prohibitum diuersis praeceptis, puta iuris diuini, naturalis, & positiui, Principis, vel Praelati, non transfert in aliam speciem; si tamen essent aliqua peccata solùm, quia prohibita, specie differrent secundum differentiam praeceptorum, vt docet Auctor q. 2. de malo art. 6.

6. Quomodo differunt peccata cordis, oris, & operis?

PEccata cordis, oris, & operis differunt secundum diuersos gradus peccati; pertinent tamen ad vnam perfectam peccati speciem, quia ab eodem motiuo procedunt tamquam obiecto: Iracundus enim ex hoc, quod appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde, secundò in verba contumeliosa prorumpit, tertiò procedit vsque ad facta iniuriosa: & idem patet in quolibet alio peccato. Quod intelligendum est de peccatis, quæ perfectionem non habent, nisi in opere: sunt enim quædam peccata, quæ perficiuntur in solo corde, vt hæresis, vel in honore, vt detractio: & sic peccata cordis, oris & operis distinguuntur secundum veras, & perfectas species peccati. *ead. q. art. 7. & q. 90. ar. 3. ad 1. ter. p.*

7. Quando diuersitas circumstantiarum facit diuersas peccati species?

QVando corruptiones diuersarum circumstantiarum proueniunt ex eodem motiuo, non diuersificant speciem peccati; quia motiuum ad peccandũ est finis, & obiectum: sicut eiusdem speciei est accedere ad consanguineam, & quod fit in

in secundo, vel in tertio gradu. Sed quando corruptiones diuersarum circumstantiarum habent diuersa motiua, faciunt diuersas peccati species; puta si vnus acciperet non sua vbi non deberet, scilicet de loco sacro, quod faceret speciem sacrilegij; alius quãdo non deberet propter solum inordinatum appetitum habendi, quod esset simplex auaritia, 1. 2. *q.* 72. *art.* 9. & 2. 2. *q.* 53. *art.* 2. *ad.* 3.

8. Quando diuturnitas peccati transfert in aliam speciem?

Diuturnitas, vel frequentia non est circumstantia trahens in aliam speciem, nisi fortè per accidens ex aliquo superueniente: non enim aliquid acquirit nouam speciem ex hoc, quod multiplicatur, nisi fortè in actu multiplicato superueniat aliquid, quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid huiusmodi. 1. 2. *q.* 88. *ar.* 5. *ad* 5.

QVÆSTIO VI.

De comparatione peccatorum ad inuicem.

1. Quando peccatum aggrauatur secundum diuersitatem obiectorum?

Vnum peccatum est grauius altero secundum diuersitatem obiectorum, quia opponitur maiori bono: vndè peccatum, quod est circa ipsam substantiam hominis, sicut homicidium, est grauius peccato, quod est circa res exteriores, sicut furtum; & peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, adhuc est grauius, sicut infidelitas, blasphemia, & huiusmodi; quia res exteriores ordinantur ad hominem, sicut ad finem; homo autem ordinatur vlterius in Deum, sicut in finem. 1. 2. *q.* 72. *art.* 3. & 2. 2. *q.* 73. *art.* 3. & *q.* 74. *art.* 2. *ad.* 1. & *q.* 2. *de ma. art.* 10.

2. Quomodo peccatum aggrauatur per circumstantiam?

Peccatum aggrauatur per circumstantiam tripliciter. Primò quidem modo, inquantum circumstantia constituit nouam peccati speciem, quę est duplex: quædam est species peccati præintellecti, quæ comparatur ad peccatum, vt species ad genus, sicut accipere alienum, constituit speciem furti: si autem addatur hæc circumstantia, vt locus, de quo alienum accipitur, sit sacer, constituit aliam speciem peccati, scilicet sacrilegij, quod, sicut species, continetur sub genere furti, & est grauius peccatum, quàm furtum. Quædam verò est species peccati, quæ per circumstantiam constituitur disparata, non pertinens ad illud genus peccati; sicut si quis mœchatur, vt furetur, constituitur quædam alia species peccati propter actum intentionis tendentem in malum finem; & sic est duplex peccatum. Alio modo circumstantia aggrauat peccatum, quia multiplicat rationem peccati; sicut si prodigus det quando non debet, & cui non debet, multipliciùs peccat eadem specie peccati, quàm si solum det, cui non debet. Vnde & Tullius dicit in Paradoxis, quod in patris vita violan-

da, multa peccantur: violatur enim is, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in sede, ac domo, atque in Republica collocauit. Tertio modo circumstantia aggrauat peccatum, quia auget deformitatem prouenientem ex alia circumstantia; sicut accipere alienum cōstituit peccatum furti: si autem addatur hæc circumstantia, vt accipiat de alieno in magna quantitate, erit grauius peccatum. *ead. q. art. 7. & q. 2. de malo. art. 6. & ad 2. & 12. & art. 7.*

3 *Quomodo peccatum aggrauatur secundum maius nocumentum?*

PEccatum aggrauatur propter maius nocumentum, vel quando nocumētum est præuisum, & intentum: sicut cum aliquis peccat animo nocendi alteri, vt homicida, vel fur: & tunc quantitas nocumenti directè aggrauat peccatum, quia tūc nocumentum est per se obiectum peccati: vel quando nocumentum est præuisum, sed non intentum; sicut cum aliquis transiens per agrum, vt commodiùs vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ sunt seminata in agro, scienter, licèt non animo nocendi: & tunc quantitas nocumenti indirectè aggrauat peccatum, inquantum scilicet ex voluntate multum inclinata procedit, quod aliquis non prætermittat inferre nocumentum alteri, quod simpliciter non vellet. Quando autem nocumentum nec est præuisum, nec intentum, si per accidens se habet ad peccatum, non aggrauat peccatum directè, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ consequi possent; imputantur homini ad pœnam mala, quæ eueniunt præter eius intentionem, si dabat operam rei illicitæ. Si verò nocumentum per se sequatur ex actu peccati, directè aggrauat peccatum; sicut si aliquis publicè fornicetur, sequitur scandalum plurimorum, quod licèt ipse non intendat, nec fortè præuideat, directè per hoc aggrauatur peccatum. *ead. q. art. 8.*

4. *Quomodo peccatum aggrauatur ratione personę?*

COnditio personæ aggrauat peccatum, vel ex parte Dei, inquantum peccatur in personam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij, quia iniuria tali personæ illata, magis redundat in Deum, secūdum illud Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Vel ex parte peccantis, in quantum aliquis pecat in personam magis sibi coniunctam, vel naturali necessitudine, vel beneficijs, quia videtur in seipsum magis peccare. Vel ex parte proximi, in quantum peccatur in personam publicam, puta, Regem, vel principem, quia redundat in iniuriam totius multitudinis, cuius personam gerit, vel in personam famosam, quia redundat in scandalum, & in tribulationem plurimorum. *ead. q. art. 9. & 2. 2. 65. art. 4.*

5. *Quomodo magnitudo personę aggrauat peccatum?*

MAgnitudo personæ aggrauat speciem peccati, quod ex deli-

liberatione procedit. Primo quidem, quia maior, qui excedit in scientia, & virtute, facilius potest peccato resistere. Secundo propter ingratitudinem, quia magnitudo est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando. Tertio propter repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ: sicut si Princeps iustitiam violat, qui ponitur iustitiæ custos; & si Sacerdos fornicetur, qui castitatē vouit. Quarto propter scandalum. Potest etiam magnitudo personæ transferre in aliam speciem, si superueniat deformitas inobedientię, vel voti, vel alicuius huiusmodi *ead. q. art.* 10. *&* *q.* 89. *art.* 3.

QVÆSTIO VII.

De subiecto peccatorum?

1 Quomodo peccatum est in voluntate?

Non solum voluntas est subiectum peccati, sed omnes aliæ inferiores potentiæ, quæ possunt moueri ad suos actus, & ab eis reprimi per voluntatem; quia peccatum est actus voluntarius: actus autem voluntarij dicuntur non solum qui eliciuntur à voluntate, sed etiam qui à voluntate imperantur. 1. 2. *q.* 74. *art.* 1. *&* 2.

2. Quomodo peccatum est in sensualitate?

In sensualitate potest esse peccatum, in quantum nata est à voluntate moueri: in ea tamen non potest esse peccatum mortale, sed solum in ratione; quia inordinatio, siue auersio ab vltimo fine, in qua consistit ratio peccati mortalis, non est nisi eius, cuius est ordinare in finem; ordinare autem aliquid in finem non est sensualitatis, sed solum rationis. *ead. q. ar.* 3. *&* 4. *&* *q.* 7. *de malo art.* 6.

3. Quomodo peccatum est in ratione?

Peccatum potest esse in ratione, dupliciter. Primò quidem quando deficit in cognitione veri; sicut quando ignorat id quod potest, & debet scire. Secundò quando deficit in directione non solum exteriorum actuum, sed etiam interiorum passionum: & hoc contingit dupliciter: Vno modo quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione sibi prouocat motum iræ, vel cōcupiscentiæ: Alio modo quando post deliberationem non reprimit illicitum passionis motum: sicut cùm aliquis, postquam deliberauit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit: & sic dicitur peccatum delectationis morosæ esse in ratione *ead. q. art.* 5. *&* 6.

4. Quomodo consensus est in ratione superiori, & inferiori?

Ad rationem superiorem, quæ intendit rationibus æternis, pertinet consensus in actum peccati, & etiam in delectationem interiorem, quæ inducit ad actum; quando scilicet ratio superior per considerationem legis æternæ non cohibet ipsum actum peccati, vel etiam delectationem. Sed ad rationem inferiorem, quæ intendit temporalibus rationibus, spectat consensus solum in

de-

delectationem, quando inferior ratio per rationes temporales acceptat ipsam delectationem. *ead. q. art. 7. & ad. 3. & 4. qu. 7. de malo art. 5.*

5. Quomodo consensus attribuitur rationi, & voluntati?

CONsensus potest attribui rationi, & voluntati: rationi quidem absolutè, quia ad ipsam pertinet deliberare, & iudicare; Voluntati verò non absolutè, sed consequenter ad actum rationis deliberantis, & iudicantis: in hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est iam ratione iudicatum. *ead. q. art. 7. ad. 1.*

6. Quando consensus in delectationem est peccatum mortale?

COnsensus in delectationem cogitationis fornicationis, sicut & alij actus peccati mortalis, quæ habet pro obiecto ipsam cogitationem, non est peccatum mortale; sed interdum est veniale: sicut cum aliquis inutiliter cogitat de fornicatione, & occurrunt pulchræ vitæ, & delectatur: interdum nullum est peccatum, puta cum aliquis vtiliter cogitat de ea; sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare. Consensus autem in delectationem fornicationis cogitatæ, quæ habet pro obiecto ipsam fornicationem, quando scilicet ratio imperat delectationem huius actus, vel non reprimit post deliberationem, vt dictum est, est peccatum mortale, quia prouenit ex inclinatione affectus in hunc actum. Si autem post deliberationem non reprimit ex negligentia, vel ex tepiditate; non vt delectetur de malo actu cogitato, secundum Caietanum in summa, verbo: *Delectationis morosa*, non est peccatum mortale: nisi sit tanta negligentia, vt redeat in naturam suæ speciei, vt quasi ideo neglexerit, vt delectetur. *ead. qu. art. 8. & qu. 15. de verit. art. 4. & Quodl. 12. art. 34.*

QVÆSTIO VIII.

De causis peccatorum in generali.

1. Quæ est causa interior peccati?

DVplex est causa interior peccati. Vna est proxima ex parte rationis, & voluntatis, quando scilicet ratio cessat à consideratione regulę rationis, vel legis diuinæ, & voluntas intendit bonum apparens, dissonans legi rationis, vel Dei: & sic voluntas producit actum peccati. Alia causa interior peccati est remota ex parte imaginationis, & appetitus sensitiui, quando ex apprehensione imaginationis appetitus sensitiuus inclinatur in bonum apparens: & hęc causa, vt notat Caietanus, non inuenitur in quolibet peccato, potest enim peccari absque concursu appetibilis secundum sensum, vt patet de infidelitate. *1. 2. q. 75. art. 1. & 2.*

2. Cur non potest esse aliqua causa exterior perficiens peccatum?

NVlla potest esse causa exterior perficiens peccatum: quia causa interior peccati est voluntas, ratio, & appetitus sensitiuus, vt dictum est, Si ergo aliquid exterius esset

sit causa perficiens peccatum, moueret voluntatem, vel rationem, vel appetitum sensitiuum, sed non potest aliquid exterius, sicut bonum apprehensum, ex necessitate mouere voluntatem: sed voluntas interius mouetur ex necessitate à seipsa, vt causa secunda: & à Deo vt causa prima. Neque potest aliquid exterius ex necessitate mouere rationem, sicut homo, vel dæmon persuadens peccatum. Neque potest ex necessitate mouere appetitum sensitiuum, sicut sensibile exterius, nisi fortè aliquo modo dispositum. Vnde relinquitur, quod non potest esse aliqua causa exterior sufficienter ad peccandum inducens. *ead. q. art. 3. & q. 3. de malo art. 3.*

QVESTIO IX.

De causa peccati, quæ est malitia.

1. *Quando aliquis peccat ex certa malitia?*

PEccatum ex certa malitia, vel industria est ex voluntaria electione mali: quando scilicet aliquis non refugit incurrere aliquod malum spirituale, vt bono temporali perfruatur. Vnde dicitur Iob 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & vias eius intelligere noluerunt. 1. 2. q. 78. art. 1. & q. 3. de mal. art. 12.*

2. *Quare peccatum ex certa malitia est grauius, quàm peccatum ex passione?*

PEccatum ex certa malitia est grauius quàm peccatum ex passione, vel infirmitate. Primò quidem, quia cum aliquis peccat ex malitia, voluntas ex seipsa ad malum mouetur; sed cum peccat ex passione, voluntas mouetur ad malum, quasi ex quodam extrinseco impulsa. Secundò quia in eo, qui peccat ex malitia, voluntas inclinatur in actum peccati, per proprium habitum, qui manet: & ideo qui sic peccat, non de facili pœnitet. In eo autem qui peccat ex passione, voluntas inclinatur ad actum peccati, quamdiù passio durat, quæ citò transit; & sic pœnitet de peccato. *ead. q. art. 4. & q. 3. de malo, art. 12. ad 5. & art. 13.*

QVÆSTIO X.

De causa peccati ex parte Dei.

1. *Cur Deus non potest esse causa peccati?*

DEus non potest esse causa peccati, quia homo dupliciter est causa peccati vel sui, vel alterius. Vno modo directè, inclinando scilicet voluntatem suam, vel alterius ad peccandum. Alio modo indirectè, dum scilicet aliquos non retrahit à peccato. Deus autem non potest esse causa peccati primo modo, quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem. Et ideo non est à Deo, qui omnia inclinat in seipsum, sicut in vltimum finem. Neque potest esse causa peccati secundo modo: Deus enim aliquibus non præbet auxilium gratiæ, per quam quis à peccato retraheretur, in pœnam præcedentis peccati, vt in eis iustitiæ ordo manifestetur 1. 2. q. 79.

q. 79. art. & 2. dist. 37. art. 1. & ad 1. 1. & 3. contra gent. cap. 161. & 162. & q. 3. de malo art. 1.

2. Quomodo Deus est causa actus peccati?

QVamuis Deus non sit causa peccati, est tamen causa actus peccati, non inquantum deformis est: sic enim est ex causa secunda, scilicet libero arbitrio; sed inquantum est actus: Deus enim est causa omnis actionis, inquantum est actio; quia omnis actio causatur ab aliquo existente in actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. *ead. q. art. 2. & 1. sent. dist. 40. q. 4. art. 2. & 2. dist. 37. q. 1. art. 2. & q. 3. de malo art. 2.*

3. Quomodo Deus est causa excæcationis, & indurationis?

DEus est causa excæcationis, & indurationis, secundum illud *Isai. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: & Rom. 9.* dicitur: *Cuius vult, miseretur; Et quem vult, indurat.* Hoc autem fit, cum aliquis ponit obstaculum gratiæ, & est causa quod Deus suo iudicio subtrahat gratiam, ex quo sequitur excæcatio, & aggrauatio aurium, & obduratio cordis. Vnde excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem eorum, qui excæcantur; propter quod ponitur etiam reprobationis effectus, sed ex diuina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, inquantum DEVS permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes, humilientur, & conuertantur. *ead. q. art. 3. & 4. & 3. con. gent. cap. 162.*

QVÆSTIO XI.

De causa peccati, ex parte diaboli.

Quomodo diabolus potest esse causa peccati?

DIabolus potest interius inducere hominem ad peccandum, vel proponendo aliquod appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Non potest tamen necessitatem inducere homini ad peccandum, quia potest per rationem peccato resistere. *1. 2. q. 80. ad. 1. & 3. & qu. 3. de malo a. 3. & 4.*

DE PECCATO ORIGINALI, quod est causa peccati ex parte hominis.

QVÆSTIO XII.

De traductione Originalis peccati.

1. Quomodo peccatum primi parentis traducitur in posteros?

PEccatum primi parentis, quod dicitur peccatum Originale, traducitur in posteros per originem, hoc est, per virtutem actiuam in generatione simul cum natura, quæ quidem traducitur non secundum se totam, sed secundum carnem, cui Deus animam infundit. Et ratio est: quia sicut iustitia originalis, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vi-

res rationi, & corpus animæ, diuinitus data est primo parenti pro se, & posteris, vt principio totius humanæ naturæ: ita idem illam peccando amisit, vt non solùm ipse, sed etiam posteri sint priuati dono iustitiæ originalis. Hæc autem priuatio est formale in peccato originali. Et ideo huiusmodi peccatum in posteris habet rationem culpæ originalis ex voluntate primi parentis, non in quantum posteri sunt singulares personæ, sed in quantum sunt membra totius humanæ naturæ quam à primo parente accipiunt, ac si omnes homines essent vnus homo; sicut motus manus ad homicidium perpetrandum habet rationem culpæ actualis non secundum se, quia manus de necessitate mouetur ab alio, sed vt est pars totius hominis, qui voluntate agit. Vnde sicut homicidium non dicitur culpa manus; sed culpa totius hominis, ita peccatum primi parentis non dicitur esse peccatum huius personæ, sed peccatum totius naturæ, secundum illud ad *Eph.* 2. *Eramus natura filij iræ.* Alia autem peccata primi parentis non traducuntur in posteros, quia sunt peccata personæ, siue actualia. 1. 2. q. 18. *art.* 1. & *ad* 2. & *art.* 2. & q. 82. *art.* 3. & q. 4. *de malo art.* 1. & 4. *con: gent. cap.* 52. & *opus.* 2. *cap.* 196. & 197.

2. *Qui contrahant peccatum Originale?*

OMnes homines per virtutem actiuam in generatione originaliter ab Adam deriuati, peccatum Originale contrahunt, *secundum illud Rom.* 5. *Mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*; alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ per Christum facta est, quod est erroneum. Ratio autem sumi potest ex hoc, quod supra dictum est, quod à primo parente traducitur culpa originalis in posteros, sicut à voluntate per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis: manifestum est autem, quod peccatum actuale traduci potest ad omnia membra, quæ nata sunt moueri à voluntate; Vnde & culpa originalis traducitur ad omnes homines, qui mouentur ab Adam motione generationis. *ead. q. art.* 3. & *q.* 4. *de malo art.* 6.

3. *Quomodo baptizati traducunt peccatum Originale?*

BAptizati traducunt peccatum Originale, quia peccatum Originale per baptismum aufertur reatu, in quantum mens recuperat gratiam, remanent tamen actu quantum ad fomitem, qui est inordinatio virium inferiorum animæ, & ipsius corporis, secundum quod homo generat; & consequenter traducit Peccatum Originale; & non secundum mentem. *Vnde Apost. ad Rom.* 7. *dicit: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, in quantum caro infecta cōcupiscit aduersus spiritũ & *declarat Conc. Trid. sess.* 5. *in decreto de pecc. Origin. ead. qu. art.* 3. *ad* & *quæst.* 2. 4. *de malo art.* 6. *ad* 4. & *Quodl.* 6. *art.* 15.

4. *Quid si aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana?*

SI aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana, non contra-

heret peccatum Originale; quia peccatum Originale contrahitur, per virtutem actiuam in generatione originalitèr ab Adam deriuatam: Si autem aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana, manifestum est, quod virtus actiua non deriuaretur ab Adam, sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moueretur à voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco mouente. *ead. q. art. 4.*

7. Quid si Adam non peccasset, Eua peccante, & è conuerso?

SI Adam non peccasset, Eua peccante, filij non contraherent peccatum Originale, & è conuerso esset, si Adam peccasset, & Eua non; quia peccatum Originale contrahitur per virtutem actiuam in generatione: principium autem actiuum in generatione est à patre; mater verò ministrat materiam, secundum doctrinam Aristotel. 2. de gener. animalium cap. 1. & sic peccatum Originale non contrahitur à matre, sed à patre. *unde Rom. 5. dicitur. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, & nō per duos homines; cum tamen ambo peccauerint. Similitèr si Adam nō peccasset, Eua peccante, in filijs non esset passibilitas, & mortalitas, quia transfudisset in filios iustitiam originalem, per quam non solùm anima subdebatur Deo, sed etiam corpus subdebatur animæ, per quod excludebatur passibilitas, & mortalitas. *ead. q. art. 5, & ad, 2, q: 4. de malo art. 7. ad. 4. & 5.*

QVÆSTIO XIII.

De peccato Originali secundum essentiam.

6. Quid est peccatum Originale?

PEccatum Originale est quædam inordinata dispositio naturæ, proueniens ex auersione rationis à Deo in primo parente, ex qua tamquam ex causa consecuta est inobedientia inferiorum animæ virium ad rationem, & corporis ad animam; quia sicut prima subiectio rationis ad Deū fuit causa secundæ, & tertiæ, scilicet inferiorum animæ virium ad rationem, & corporis ad animam, sic prima inobedientia rationis ad Deum fuit causa secundæ, & tertiæ. Vndè priuatio originalis iustitiæ per quam ratio subdebatur Deo, est formale principalitèr in peccato Originali, secundariò verò est inordinatio rationis per comparationem ad inordinationem in alijs viribus animæ, quæ se habet, vt quoddam materiale, quia formale in peccato Originali accipitur ex parte ipsius peccati. *1. par. q. 95. art. 1. & 1. 2. q. 82. art. 1. & ad. 1. & 2. & ar. 3. & q. 85. art. 5. & q. 4. de malo art. 2. & ad. 12.*

QVÆSTIO XIV.

De subiecto Originalis peccati.

1. Quomodo in Adam, in semine, & in anima est peccatum Originale?

PEccatum Originale fuit in Adam, sicut in prima causa principali

secun-

secundum illud Apost. ad Rom. 5. in quo omnes peccauerunt. In semine autem corporali est peccatum Originale, sicut in causa instrumentali, quia per virtutem actiuam seminis traducitur peccatum Originale in prolem simul cum natura humana: In anima autem est peccatum Originale, sicut in subiecto, quia anima potest esse subiectum culpæ. *1. 2. q. 83. art. 1. & q. 4. de malo art. 3.*

2. *Quomodo peccatum Originale fuit in Adam?*

PEccatum Originale potiori modo fuit in Adam, quia in eo fuit secundum rationem actualis peccati. *ead. q. art. 1. ad 2.*

3. *Quare peccatum Originale prius est in essentia animæ, quàm in potentijs?*

PEccatum Originale prius est in essentia animæ, quam in potentijs; quia anima habet infectionem peccati Originalis ex vnione eius ad corpus, secundùm quod est forma corporis, quod quidem conuenit ei secundùm essentiam. Inter potentias autem animæ prius est in voluntate, quæ primam inclinationem habet ad peccandum, *ead. qu. art. 2. & 3. & 2. dist. 31. qu. 2. art. 1. & qu. 4. de malo, art. 4. & 5.*

4. *Quas potentias peccatum Originale magis inficit?*

PEccatum Originale magis inficit potentiam generatiuam, vim concupiscibilem, & sensum tactus, quia traducitur per actum generationis in commixtione sexuum, in qua est delectatio secundùm tactū, quæ maximè concupiscentiam mouet, *ead. q. art. 4.*

QVÆSTIO XV.

De Causa peccati secundùm quod vnum est causa alterius?

Quomodo cupiditas est radix omnium malorum, & superbia initium omnis peccati?

CVpiditas, siue auaritia, secundum quod est speciale peccatum, scilicet inordinatus appetitus diuitiarum, est radix omnium malorum, *vt dicitur primo ad Timot. vltimo*, quantum ad executionem, quia homo per diuitias potest iuuari ad consequenda quæcumque bona temporalia, quæ sunt obiecta omnium peccatorum, *secundū illud Eccl. 10. Pecuniæ omnia obediunt*. Superbia vero, secundùm quod est speciale peccatum, est initium omnis peccati, *vt ibidem dicitur*, quantum ad intentionem, quia homo per superbiam, quæ est appetitus propriæ excellentiæ, intendit habere quæcunque bona temporalia. *1. 2. q. 84. art. 1. & 2. q. 8. de malo. art. 1. ad 1.*

QVÆSTIO XVI.

De Corruptione boni naturæ.

1. *Quomodo bonum natura diminuitur per peccatum?*

Bonum naturæ, quod est ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum; nunquam per oppositionem contrarij, quia peccatum est contrarium virtuti. 1.2.q. 85. art. 1. & q. de malo art. 11.

2. *Quare bonum naturæ non totaliter tollitur per peccatum?*

Non est possibile quod bonum naturæ totaliter per peccatum tollatur, quia bonum naturæ est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem conuenit homini ex eo, quod rationalis est: per peccatum autem non potest totaliter ab homine tolli, quod sit rationalis, quia non esset capax peccati. *ead. q. art. 2. & q. 2. de malo art. 12.*

3. *Quæ sunt vulnera naturæ ex peccato consequentia?*

Quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia; quia per iustitiam originalem inferiores animæ vires perfectè subdebantur rationi, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subiecta. Hac autem originali iustitia subtracta per peccatum primi parentis, omnes vires animæ remanent quodammodo proprio ordine destitutæ, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio, vulneratio dicitur naturæ. Et quia quatuor sunt potentiæ animæ, quæ possunt esse subiecta virtutum, scilicet ratio, voluntas irascibilis, & concupiscibilis, quatuor etiam sunt vulnera inflicta naturæ. Inquantum enim ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ. Inquantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ, quæ est pronitas ad malum. In quantum autē irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis. Inquantum vero concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sunt etiam quatuor vulnera ex peccatis actualibus consequentia: qu a inclinatio ad bonum virtutis diminuitur per peccatum actuale; Inquantum per peccatum; & ratio hebeatur, precipue in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & maior difficultas bene agendi accrescit, quæ ad irascibilem pertinet, & concupiscentia magis exardescit. *ead. qu. art. 3. & qu. 2. de malo art. 11.*

4. *Quomodo mors, & alij corporales defectus sunt effectus peccati?*

Mors & alij defectus corporales consequentes sunt effectus peccati Originalis; quia per iustitiam originalem non solum inferiores animæ vires subdebantur rationi absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu. Et ideo sublata originali iustitia per peccatum Originale, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animā per deordinationem potentiarum, ita etiam corruptibilis facta est per deordinationem corporis. Vnde huiusmodi defectus sunt quædam pœnæ Originalis pec-

cati

cati, quia subtractio originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ. *ead. qu. art. 5. & 2. sent. dist. 30. qu. 1. art. 1. & 4. con. gent. cap. 52. & q. 5. de malo. art. 4.*

5. *Cur defectus corporales non sunt æquales in omnibus?*

DEfectus corporales non sunt æquales in omnibus, quamuis peccatum Originale sit æquale; sed quorumdam corpora pluribus defectibus subiacent, quorumdam verò paucioribus, secundum diuersitatem naturalis complexionis; quia subtracta originali iustitia per peccatum Originale, natura corporis humani relicta est in suis naturalibus. Hæc tamen diuersitas est à Deo ordinata; quandoque quidem in pœnam peccati parentis: cum enim filius sit aliquid patris secundum corpus, non est inconueniens, quod pro peccato patris corporaliter puniatur; quandoque verò ad salutem hominum, vel eorum, qui patiuntur, vel aliorum, qui pœnis admonentur; & etiam ad gloriam Dei. *ead. q. art. 5. ad 1. & q. 87. art. 7. ad. 2. & q. 5. de malo art. 4.*

6. *Cur remoto peccató Originali per baptismum, non remouentur in hac vita defectus corporales?*

REMOTO peccato originali per baptismū non, remouentur etiam defectus corporales, *secundum illud Rom 8. Viuificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum eius in vobis*: quod fit secundum ordinem diuinæ sapientiæ congruo tempore, post scilicèt resurrectionem; quia oportet, quod ad immortalitatem, & impassibilitatem gloriæ, quæ in Christo inchoata est, & per Christum nobis acquisita, perueniamus, conformati priùs passionibus eius. *ead. qu. art. 5. ad. 2.*

QVÆSTIO XVII.

De reatu pœnæ.

1. *Quomodo reatus pœna est effectus peccati?*

POena directè non est effectus peccati, quia potest esse iusta, & a Deo, & ab homine inflicta. Sed reatus pœnæ est effectus peccati, quod scilicèt aliquis fit reus pœnæ, quod est malum, quia qui peccat, agit contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem diuinam. Vndè triplicem pœnam incurrit: vnam quidem à seipso, quæ est conscientiæ remorsus; aliam autem ab homine; tertiam verò à Deo. *1. 2. qu. 87. 1. & ad. 2.*

2. *Quomodo peccatum potest esse pœna peccati?*

PEccatum per se non potest esse pœna peccati, quia peccatum per se consideratur secundum quod est voluntarium: Sic autem habet rationem culpæ. Per accidens autem peccatum potest etiam esse pœna peccati: Primò quidem per subtractionem gratiæ, quæ est quædam pœna præcedentis peccati, ex qua sequitur peccatum. *Vnde Rom. 1. dicit Apost.*

Apost. *Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum*, quæ sunt animæ passiones; quia scilicet deserti homines ab auxilio diuinæ gratiæ vincuntur à passionibus. Secundo peccatū potest esse pœna peccati per accidens ex parte substantiæ actus, quæ afflictionem inducit, siue sit actus interior, vt patet in ira, & inuidia; siue actus exterior, vt patet, cum aliqui graui labore opprimuntur, & damno, vt expleant actum peccati, *secundum illud Sap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis*. Tertio ex parte effectus, vt scilicet aliquod peccatum dicatur pœna respectu effectus consequentis. *ead. qu. art. 2. & 2. sent. dist. 36. art. 3.*

3. *Quomodo peccato debetur pœna infinita?*

IN peccato sunt duo, quorū vnū est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, & sic peccato debetur pœna infinita, non quidem intensiue, quia nihil creatum sic infinitum esse potest, sed duratione; est enim amissio infiniti boni scilicèt Dei. Aliud est inordinata conuersio ad commutabile bonum, quod est finitum, & ex hac parte peccato debetur pœna finita. *ead. q. art. 4. & ad. 3. & 3. par. q. 86. art. 4. & opusc. 2. cap. 183.*

4. *Quæ peccata non puniuntur pœna æterna?*

PEccata in quibus est inordinatio circa ea, quæ sunt ad finem, saluato ordine ad vltimum finem, in quantum plus, vel minus debitè eis intenduntur, non puniuntur pœna æterna, sed temporali, puta cum homo nimis erga aliquam rem temporalem afficitur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum eius faciendo. Huiusmodi autem sunt peccata venialia. *ead. q. art. 5.*

5. *Quomodo pœna debetur culpæ?*

POena simplicitèr, secundùm quod habet rationem pœnæ, semper habet ordinem ad culpam propriam: quandoque quidem ad culpam actualem, puta cùm aliquis vel à Deo, vel ab homine pro peccato commisso punitur: quandoque verò ad culpam originalem, vel principalitèr, vel consequentèr. Principalitèr quidem pœna originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquitur destituta dono originalis iustitiæ, consequenter verò, in quantum ad hoc consequuntur omnes pœnalitates, quæ ex defectu naturæ hominis contingunt. Pœna autem inquantum est satisfactoria, quæ quodammodo est voluntaria, non semper sustinetur pro culpa, sed interdum aliquis, qui non peccauit, pœnam voluntariam pro alio portat. *ead. qu. art. 7.*

QVÆSTIO XVIII.

De peccato mortali, & veniali.

1. *Quomodo peccatum moatale, & veniale differunt genere?*

PEccatum mortale, & veniale differunt genere, ex eo, quod est

est aliquod mortale ex genere, quod contrariatur charitati, siue sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, periurium, & huiusmodi, siue contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, & similia: aliquod verò est veniale ex genere, quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia huiusmodi. *1. 2. qu. 72. art. 5. ad. 1. & qu. art. 2. & q. 2. de malo art. 8.*

2. Quomodo peccatum veniale potest fieri mortale, & è conuerso?

PEccatum veniale ex genere potest fieri mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit vltimum finem, sicut cum quis ita peccatum veniale committit, quod paratus esset illud exequi, etiam si esset mortale. Vel cum ordinat ipsum ad aliquid, quod est peccatum mortale ex genere, sicut cum ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum. Similiter quando ex peccato veniali scienter sequitur aliquod peccatum mortale, puta graue scandalum, vel si est conscientia erronea, sicut si aliquis putat se peccare mortaliter in verbo otioso: Ex parte etiam agentis contingit, quod peccatum veniale propter imperfectionem actus, qui non est deliberatus ratione, potest fieri mortale ex genere, si superueniat deliberatus consensus rationis; & è contra peccatum mortale ex genere potest fieri veniale, propter imperfectionem actus, si actus non est deliberatus ratione. Non possunt autem multa venialia peccata vnum peccatum mortale constituere: nec enim omnia peccata venialia mundi possunt habere tantum de reatu, quantum vnum peccatum mortale: quod patet ex parte durationis, quia peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ; peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis. Patet etiam ex parte pœnæ damni, quia peccatum mortale meretur carentiam visionis diuinæ, cui nulla alia pœna comparari potest. Est etiam manifestum ex parte pœnæ sensus, quantùm ad conscientiæ remorsum, licet forte quantùm ad pœnam ignis non sint improportionabiles pœnæ. *1. 2. qu. 19. art. 5. & qu. 88. art. 2. 4. & 6. qu. 2. de malo art. 8. & qu. 7. art. 1. ad. 5. & art. 3.*

3. Quomodo peccatum veniale disponit ad mortale?

PEccatum veniale ex genere potest disponere ad mortale dupliciter. Primò quidem potest disponere ad peccatum, quod est mortale ex parte agentis per quamdam consequentiam: augmentata enim dispositione, vel habitu per actus venialium peccatorum, in tantum potest affectus peccandi crescere, quod ille, qui peccat, finem suum constituat in peccato. Secundò potest peccatum veniale ex genere disponere ad mortale ex genere, remouendo prohibens, scilicet subiectionem voluntatis ad debitum ordinem: ex hoc enim, quod peccans consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subiicere

re circa ea, quæ sunt ad finem, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subiiciat ordini vltimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere 1.2.q.88.ar.3.

4. *Quomodo peccatum veniale potest fieri mortale ratione circumstantiæ?*

CIrcumstantia non potest de veniali peccato ex genere facere mortale, manens circumstantia, sed solùm quando constituit nouam speciem peccati, & tunc non habet rationem circumstantiæ, sed efficitur specifica differentia actus moralis. De veniali autem propter imperfectionem actus, quando non pertingit ad deliberatum consensum rationis, potest circumstantia, scilicet deliberatus consensus superueniens, facere mortale. *ead. q. art. 5. & q. 7. de malo art. 4.*

DE GRATIA, QVÆ EST Exterius principium humanorum actuum.

QVÆSTIO XIX.

De necessitate gratiæ.

1. *Cur homo non potest cognoscere aliquod verum sine auxilio Dei?*

HOmo non potest cognoscere aliquod verum naturale sine auxilio Dei generali, à quo mouetur ad suum actum: quia intellectus humanus dependet à Deo, à quo non solùm habet formam per quam agit, scilicet ipsum intelligibile lumen, sed etiam mouetur ad suum actum, sicut & de quolibet ente creato dicendum est. Verum autem supernaturale, sicut mysteria fidei, non potest cognoscere absque speciali lumine gratiæ. *1. p. q. 111. art. 1. ad. 1. & 1. 2. q. 109. art. 1. & ad. 2. 2. q. 6. art. 1. & 2. sent. dist. 28 art. 5. & ad. 1. & 4.*

2. *Cur homo non potest velle, & facere bonum sine diuino auxilio?*

HOmo in statu naturæ integræ, qui erat status innocentiæ ante peccatum primi parentis, poterat velle, & facere totum bonum naturæ suæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ per sua naturalia, absque speciali auxilio diuino, non tamen absque auxilio generali, sicut primo mouente. Sed non potuit homo in illo statu velle, & facere bonum supernaturale, quod est bonum virtutis infusæ, absque speciali dono gratuito superaddito virtuti naturæ, quantum ad vnum, scilicèt ad operandum, & volendum illud bonum. In statu autem naturæ corruptæ, scilicet post peccatum, non potest homo per sua naturalia velle, & facere totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat, absque speciali Dei auxilio naturam sanantis: sed potest velle, & facere aliquod bonum sibi connaturale per virtutem suæ naturæ, quod dicitur bonum moraliter, sine speciali Dei auxilio, sicut ædificare domum, plantare vineas, manducare, bibere, & habere amicum, & alia huiusmodi quæ ad præsentem vitam pertinent (*vt dicit, Augustinus in 3. responsione*

contra Pelagianos) non tamen potest hoc facere, & velle sine generali Dei motione, *secundum illud Ioannis 15. Sine me nihil potestis facere, & Isai 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Vlterius non potest facere, & velle bonum supernaturalis virtutis absque speciali dono supernaturali, quantum ad duo, scilicet ad naturam sanandam, & ad operandum illud bonum. Mouet autem Spiritus sanctus voluntatem libere ad benè agendum, & volendum, in quantum per amorem inclinat voluntatem in verè bonum, ad quod naturaliter ordinatur. *Vnde Apostolus dicit 2. Cor: 3. Vbi Spiritus Domini; ibi libertas. 1. p. q. 105. art. 4. & ad. 1. & q. 11. art. 2. & 1. 2. q. 9. art. 6. ad. 3. & q. 109. art. 2. & 5. & 2. sent. vbi sup. art. 1. & 4. contr. gent. cap. 22.*

3. *Cur homo non potest diligere Deum super omnia, sine auxilio gratiæ?*

HOmo in statu naturæ integræ poterat naturaliter diligere Deum super omnia, sine dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, quia naturale est, vt quælibet pars plus amet totum, quam seipsam: vnde manus exponitur ictui ad conseruationem totius corporis. Manifestum est autem, quod Deus est bonum commune totius vniuersi, & omnium partium eius: & ideo homo in statu naturæ integræ naturaliter poterat diligere Deum plus, quàm seipsum, & super omnia; non tamen poterat virtute suæ naturæ diligere Deum super omnia absque generali auxilio Dei, ad hoc eum mouentis; Sed in statu naturæ corruptæ non potest homo per virtutem suæ naturæ diligere Deum super omnia sine speciali auxilio gratiæ naturam sanantis; quia propter corruptionem naturæ, sequitur bonum priuatum, nisi sanetur per gratiam Dei. *ead. q. art. 3. & 1. part. qu. 60. art. 5. et 3. dist. 29. art. 3. et Quodl. 1. art. 8.*

4. *Cur homo non potest seruare omnia præcepta legis sine auxilio gratiæ?*

HOmo in statu naturæ integræ, potuit ex puris naturalibus implere omnia mandata legis sine auxilio gratiæ, quantum ad substantiam operum, pro ut scilicèt homo operatur iusta, & fortia, & alia virtutis opera. Indigebat tamen generali Dei motione ad mandata implenda. Sed in statu naturæ corruptæ non potest naturalitèr omnia mandata diuina implere sine gratia sanante, *vt docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 11.* Quantum autem ad modum agendi, vt scilicèt ex charitate fiant, neq; in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest homo mandata legis implere absque gratia, scilicèt gratum faciente. *ead. q. art. 4. ad. 3. & 2. sent. vbi sup. art. 3.*

5. *Cur homo non potest se præparare ad gratiam absque auxilio gratiæ?*

HOmo non potest se præparare ad consequendum donum gratiæ habituale, sine auxilio Dei gratuito interius homini inspirantis bonum propositum, & exterius remedia salutis procurantis, puta prædicationes, exempla, & interdum ægri-

ægritudines, & flagella: & ratio est, quia hoc est præparare se ad gratiam, quasi ad Deum conuerti: non potest autem homo ad Deum conuerti, nisi Deo ipsum ad se conuertente, secundùm illud *Hierem. 31. Conuerte me, & conuertar.* Et Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, & declarat *Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. ead. qu art. 6.* & 2. 2. *qu. 2. art. 5. ad. 1. & 2. sen. vbi sup. art. 4, & ad. 2. Quodl. 2. art. 7.*

6. *Cur homo non potest resurgere à peccato sine auxilio gratiæ?*

HOmo non potest resurgere à peccato, quod est ipsum reparari ad ea, quæ peccando amisit, sine auxilio gratiæ, & quantùm ad habituale donum, & quantùm ad interiorem Dei motionem, quia homo incurrit triplex detrimentum peccando; scilicet maculam, in quantum priuatur decore gratiæ ex deformitate peccati: corruptionem naturalis boni, in quantùm natura hominis deordinatur voluntate hominis Deo non subiecta; & reatum pœnæ, per quem homo peccando mortalitèr meretur damnationem æternam. Sed decor gratiæ, cum proueniat ex illustratione diuini luminis, non potest in anima reparari, nisi Deo denuo illustrante per habituale donum, quod est gratiæ lumen. Neque ordo naturæ reparari potest, vt scilicet voluntas hominis Deo subiiciatur, nisi Deo ipsam ad se trahente. Neque reatus pœnæ æternæ remitti potest, nisi à Deo, in quem est offensa commissa, & qui est hominum iudex: Ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo à peccato resurgat. *ead. q. art. 7. & 2. sen. vbi supra art. 2. & 3. con. gent. cap. 157. & docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 14.*

7. *Cur homo sine gratia non potest diù vitare peccatum mortale?*

HOmo sine gratia non potest vitare peccatum mortale, non nisi citò per gratiam reparetur, quia cum homo non habet cor suum ita firmatum in Deo per gratiam, vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari vellet, & habet malum finem, vel malum habitum, occurrũt multa, proptèr quæ consequenda, vel vitanda, recedit à Deo, contemnẽdo præcepta eius, & ita peccat mortalitèr, quia homo operatur secũdum finem præconceptum, & secundum inclinationẽ habitus, nisi præmeditatio rationis impediat: sed quia non potest homo semper esse in tali præmeditatione, ideo non potest diù permanere, quin operetur secundùm suam inclinationem, nisi citò per gratiam reparetur. Vnde dicitur *in Psalm. Dum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. ead. q. art. 8. & 3. con. gent. cap. 160.*

8. *Cur homo in gratia constitutus non potest operari bonum, & vitare malum, & etiam in bono perseuerare absque auxilio gratiæ?*

HOmo constitutus in gratia non potest operari bonum, & vitare malum, & etiam in bono per-

perseuerare sine diuino auxilio ipsu protegente, & dirigente propter humanæ naturæ infirmitatèm, quæ quidem licet per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea infectio quantum ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur *ad Rom.*

7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam non possumus plenè scire quid nobis expediat, secundum illud *Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, non solùm proptèr varios rerum euentus, sed etiam quia nos ipsos non perfectè cognoscimus. Vndè etiam renatis in filios Dei per gratiam conuenit dicere in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra: & Ne nos inducas in tentationem. & in Psal. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, ead. q. art. 9. & 10. & 3. cont. gent. cap. 155. Et docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 13. & de iustificat. Can. 22. & 23.*

QVÆSTIO XX.

De gratia quantùm ad eius essentiam.

1. *Gratia habitualis doni quid est?*

Gratia habitualis doni est qualitas supernaturalis, quæ à Deo infunditur animæ ad bonum supernaturale æternum promptè, & suauitèr consequendum. *1. 2. q. 110. art. 2.*

2. *Quomodo gratia contrcatur?*

Gratia propriè non creatur, quia est accidens, quod non fit, neque corrumpitur, sed dicitùr creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, hoc est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, hoc est, non ex meritis, secundùm illud ad *Ephes. 2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis. ead. q. art. 2. ad. 3.*

3. *Quomodo gratia est in essentia animæ?*

Gratia est in essentia animæ, sicut in subiecto, quia homo secundum essentiam animæ est particeps diuinæ naturæ per quandam regenerationem, quæ fit per gratiam. *Vnde secundum Caietanum, gratia primò facit hominem filium Dei adoptiuum, & consequentèr facit eum mereri vitam æternam, quia prius est esse, quam operari.*

Est autem in essentia animæ mutabilitèr, ita vt possit amitti, quia est in essentia animæ, sicut quædam forma, quæ est in subiecto secundum conditionem subiecti: Anima autem quamdiù est in statu viæ, est mutabilis secundùm liberum arbitrium. *ead. q. art. 4. & 3. q. 63. art. 5. ad. 1. & 2. sent. dist. 26. art. 3. & q. 27. de verit. art. 6.*

QVÆTIO XXI.

De diuisione gratiæ.

1. *Quomodo gratia diuiditur per gratiam gratum facientem, & gratis datum [illegible]*

Duplex est gratia; vna gratum faciens, per quam homo iustificatur; alia gratis data, quæ da-

est homini, vt ad iustificationem alterius cooperetur, & de hac dicit *Apost. 1. Corinth: 12. Vniucuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*, scilicet aliorum 1. 2. q. 111. *art.* 1.

2. *Quare gratia gratis data communi nomine appellatur?*

GRatia gratum faciens dicitur etiam gratis data secundùm illud ad *Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius*; sed addit aliquid supra rationem gratiæ gratis datæ, quia facit hominem gratū Deo: Et ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet sibi nomen commune. *ead. qu. art.* 1. *ad.* 3.

3. *Quomodo gratia diuiditur per operantem, & cooperantem?*

GRatia diuiditur per operantem, & cooperantem: si enim gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, tunc vel mouet humanam mentem ad actum voluntatis interiorem, qui elicitur a voluntate, & præsertim ad primum actum, cum scilicèt aliquis incipit bonum velle, qui prius malum volebat, sicut cum dolet de peccatis, & ratione huius actus dicitùr gratia operans, quia operatio attribuitur Deo: Vel mouet humanam mentem ad exercitium actus interioris, vel exterioris, qui à voluntate imperatur, sicut cum quis vult largiri eleemosynam, vel ipsam actu largitur: & respectu huius actus dicitùr gratia cooperans, quia operatio attribuitur voluntati, & etiam Deo, in quantum nos adiuuat ad hunc actum, & interius confirmando voluntatem, vt ad actum perueniat, & exterius facultatem operandi præbendo.

Et loquitur de humana mente gratia informata, quia ante iustificationem gratia non dicitùr cooperans, sed tantum liberum arbitrium, vt patet ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 5.

Si autem accipiatùr gratia pro habituali dono, vel est principium effectus meritorij, quo aliquis constituitùr in statu meritorio, in quantum iustificat, & sic diictùr gratia operans: vel est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, & sic dicitur gratia cooperans. *ead. qu. art.* 2. *& ad.* 2. *&* 2. *sent. dist.* 27. *art.* 5. *& ad.* 4.

4. *Quomodo gratia diuiditur per præuenientem, & subsequentem?*

GRatia ponitur præueniens, & subsequens, *secundum illud Psalm 58. Misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me, quia gratia Dei prouenit ex eius misericordia.* Diuiditur autem in præuenientem, & subsequentem, secundum diuersos effectus gratiæ in nobis, qui sunt quinque, primus est, vt anima iustificetur; secundus, vt bonum velit; tertius, vt bonum quod vult, efficaciter operetur; quartus, vt in bono perseueret: quintus, vt ad gloriam perueniat. Quantum ad primum, dicitur præueniens respectu secundi; & quantùm ad secundum dicitur subsequens respectu primi; & præueniens respectu tertij; & sic de alijs. Vndè gratia præueniens, & subsequens

quens non differunt secundùm essentiam, sed solùm secundum effectum. *ead. qu. 3. & ad. 2.*

5. *Quæ continentur sub gratia gratis data?*

SVb gratia gratis data continentur omnia dona supernaturalia, quibus homo indiget ad instruendum alium in rebus diuinis, quę sunt super rationem, & numerātur à *Paul. 1. ad Corint. 12. Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, allij sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Fides autem continetur inter gratias gratis datas, vt est quædam supereminens certitudo, qua homo potest alios instruere de his, quæ ad fidem pertinent. Abundantia etiam sapientiæ, & scientiæ est donum gratię gratis datę, vt homo possit non solùm in seipso recta sapere de diuinis, sed etiam alios instruere, & contradicentes arguere. *ead. q. art. 4. & ad. 2. & 4.*

QVÆSTIO XXII.

De causa gratiæ.

1. *Quomodo Deus est causa gratiæ?*

SOlus Deus est causa principalis gratiæ, secundùm illud *Psal. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus:* quia donum gratiæ excedit omnem facultatem naturę creatę, cum sit quędam participatio naturę diuinę, quę excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est, quod aliqua creatura gratiam causet 1. 2. *q. 112. art. 1. & ad 1. & 2. & q. 27. de veritate art. 3.*

2. *Quomodo requiritur præparatio ad gratiam ex parte hominis?*

EX parte hominis requiritur præparatio ad habituale donum gratiæ suscipiendum per actum liberi arbitrij moti à Deo, & sic homo dicitur se præparare, secundum illud *Prou. 16. Hominis est præparare animum*, & est principaliter à Deo mouente liberum arbitrium, & secundùm hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino gressus hominis dirigi. Ad gratiam autem, quæ dicitur auxilium Dei mouentis ad bonum, non requiritur aliqua pręparatio ex parte hominis, quasi pręueniens diuinum auxilium, sed potiùs, quæcumque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum. Præparat autem se homo ad gratiam habendam per displicentiam peccati, & affectum ad Deum; & hæc præparatio, quædam est perfecta, quæ est simul cum ipsa infusione gratiæ, quæ est meritoria, non quidem gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur: Quædam verò est imperfecta, quæ aliquando pręcedit donum gratię habituale, quæ non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam iustificato, quia nullum meritum potest esse, nisi ex dono gratię habituali, quod est principium operis meritorij 1. 2. *q. 109. art. 6. & q. 112. ar. 2. & ad 1. & 2. & 4. sent. dist. 17. q. 1 a. 2. & ad 1. & q. 1.*

3. Quo-

2. *Quomodo datur gratia se præparanti ad gratiam?*

NON ex necessitate datur homini gratia gratum faciens, quantumcumq; se præparet, vel faciat quod in se est, si consideretur præparatio secundum quod est à motu liberi arbitrij; quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Hæc etiam necessitas repugnat arbitrij libertati, quæ ad præparationem requiritur; quia præparatio est à motu liberi arbitrij per gratiam excitati, eidem gratiæ non ex necessitate coactionis, sed liberè assentiendo, *vt statuit Conc. Trid. Sess. 6. ca. 5.* Si autem consideretur præparatio secundùm quod est à Deo mouente, in quantum scilicet Deus gratuita sua voluntate cor hominis mouet ad gratiæ consecutionem, tunc ei ex necessitate infallibilitatis dat gratiam propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest. Ex quo patet, quod Deus dat gratiam se præparanti ad eam per actum liberi arbitrij moti a Deo, quia ipse Deus vult, in quantum dat ei posse se ad gratiam præparare, & in eo operatur, vt velit per auxilium gratiæ efficacis, non solum ab interiori, ei bonum propositum inspirando, sed etiam ab exteriori, eum ad hoc prouocando prædicationibus, vel exemplis, vel infirmitatibus, seu flagellis, vel alio auxilio exteriori, *secundum Aug. de grat. & lib. arbit. cap. 17. & de corr. & grat. cap. 12. tom. 7.* Vnde dicit Apostolus *ad Phil. 2. Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, scilicet Dei, *vt intelligit Aug. de bon. perseuer. c. 14.* *& Theod. super his verbis Apostoli.* Similiter etiam multi non saluantur, quia Deus non vult, non quia ipsi nolunt: quod euidenter apparet in paruulis, decedẽtibus sine baptismo, qui non habent contrariam voluntatem, *vt idem Aug. dicit contra Pelag. ad Vitalem epist. 107. tom. 2.* Non vult autẽ Deus aliquos saluari, in quantum eis subtrahit auxilium gratiæ efficacis in pœnam præcedentis peccati, & saltem Originalis, secundum illud *Osee 13. Perditio tua Israel.* sub quibus adulti, & paruuli comprehenduntur, vt in eis iustitiæ ordo manifestetur. Aliquos verò vult saluos fieri, in quibus vult misericordiam suam apparere, præbendo eis tale auxilium gratiæ: *Et hoc est quod dicit Aug. ca. 11. de corr. & grat. Quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est: Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.* Vtrumque autem patet *ad Rom. 9. Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*: & ibidem: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in contumeliam?* Volens Deus ostendere iram, id est vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Vnde non est ratio inquirenda quare hos conuertat, & non illos, hoc enim ex simplici eius voluntate procedit. Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, ea enim, quæ gratis dantur, potest aliquis pro libito suæ voluntatis dare, secundùm illud *Matth. 20. Tolle quod*

tuum

ctum est, & vade. An non licet mihi, quod volo, facere? Auxilium autem gratiæ efficacis est donum Dei gratuitum: Et ideo potest Deus hoc dare, vel subtrahere cui vult, hunc conuertendo, & non illum. Est autẽ hoc auxilium gratiæ efficacis ipsa gratia excitans, siue diuina motio, & gratiæ infusio, atque exterior Dei protectio. In adultis quidem, quos Deus ad se conuertit per gratiæ infusionem, absque perseuerantiæ dono, hoc auxilium gratiæ est gratuita Dei motio, per quam dat eis posse, & velle conuerti, vt dictum est: Et in hoc differt à gratia sufficienti, per quam dat homini tantùm posse conuerti, & etiam posse perseuerare, si velit, *ex Aug. de corr. & grat. loco citato*. In ijs verò, quos vult Deus saluos fieri, quibus perseuerantię bonum largitur vsque in finem, est tum diuina motio, & gratiæ infusio, tum etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi eis ex diuina prouidentia tolluntur, & prouocantia ad peccatum comprimuntur. In pueris autem hoc auxilium gratiæ est sola gratię infusio. Quod autem dicitur *1. ad Timot. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri*, intelligit *Aug. in Enchir. cap. 103.* de generibus singulorum, & non de singulis generum, vt sit sensus: Deus vult de quolibet statu hominum, saluos fieri mares, & feminas, Iudęos, & Gentiles, magnos, & paruos, non tamen omnes de singulis statibus *1. par. q. 19. ar. 6. ad. 1. & q. 23. ar. 5. ad. 3. & q. 106. ar. 2. & q. 111. art. 2. & q. 110. art. 1. & 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. & q. 79. art. 3. & q. 87. art. 2. et q. 109. ar. 6. et 8. ad 3. et art. 10. et q. 111. art. 2. et ad 2. et q. 112. art. 2. et 3. et ad 2, et q. 113. art. 3. et 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. et qu. 24. art. 3. et q. 137. art. 4. et 4. sent. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 1. et quæst. 1. et ad 2. et q. 2. et dist. 20. art. 1. et 3. cont. gent. cap. 161. 162. et 163. et q. 6. de malo, quæ est de elect. humana art. 1. et ad. 3.*

4. Quomodo gratia est maior in vno quàm in alio?

GRatia est maior in vno, quàm in alio ex parte subiecti, prout vnus perfectiùs illustratur à lumine gratiæ, quàm alius, cuius ratio accipienda est a Deo mouente liberum arbitrium plus, vel minùs secundùm suam voluntatem, qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat ad hoc, quod ex diuersis gradibus pulchritudo, & perfectio Ecclesiæ consurgat. Vnde dicit *Apostolus ad Ephes. 4. Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*, & numeratis diuersis gratijs, subiungit: *Ad consummationem Sanctorum in ædificationem Corporis Christi 1. 2. q. 112. art. 4. et 2. 2. q. 24. art. 3. et ad 1.*

5. Quomodo potest aliquis scire se esse in gratiâ?

HOmo potest scire se esse in gratia per reuelationem; reuelat enim Deus hoc aliquibus ex speciali priuilegio, sicut Paulo dictum est *2. ad Corint. 12. Sufficit tibi gratia mea.* Sed non potest aliquis scire ex se ipso per certitudinem se habere gratiam, quia non potest haberi certa scientia de aliquo, nisi per proprium principium

pium: principium autem gratiæ est Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud *Iob. 36. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Potest tamen scire per cõiecturam se habere gratiam, inquantum percipit se delectari in Deo, & contemnere mundanas res, & inquantum non est conscius sibi alicuius peccati mortalis; & sic potest intelligi quod dicitur Apoc. 1. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit, nisi ille, qui accipit*, quia scilicet ille, qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis nouit. Sed ista cognitio est imperfecta. *vt dicit Apost. 1. ad Corint. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, quia vt dicitur in Psal. 18. Delicta quis intelligit? ead. q. art. 5. et 1. sent. dist. 17. q. 1. art. 4. et decreuit Concil. Trid. sess. 6. c. 9. et 12. et can. 13. et 14.*

QVÆSTIO XXIII.

De iustificatione, quæ est effectus gratiæ operantis.

Quid est iustificatio impii?

IVstificatio impij est quædam translatio a statu iniustitiæ, hoc est peccati, ad statum iustitiæ, inquantum Deus infundit donum gratię iustificantis, & in eo, qui habet vsum liberi arbitrij, nullis existentibus meritis, sua præueniente gratia, simul mouet eius liberum arbitrium ad conuertendum se ad ipsum, eidẽ gratię liberè assentiendo, & cooperando per actus fidei, spei, & charitatis, dum credit à Deo se iustificari per gratiam eius, & sperat Deum sibi propitium fore, illumq; diligere incipit, & propterea mouetur in detestationem peccatorum. Vnde iustificatio impij non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratię, & donorum; ex quo homo ex iniusto fit iustus. *1. 2. q. 113. ar. 1. 3. 4. et ad. 1. et 3. et ar. 5. 6. & 8. & 3. par. q. 89. ar. 2. & 4. sent. dist. 17. q. 1. ar. 3. 4. 5. 6. & 8. & q. 28. per totam de veritate. Et declarat. Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. 5. 6. & 7.*

QVÆSTIO XXIV.

De merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.

1. *Quomodo homo potest aliquid mereri à Deo?*

HOmo non potest per suam operationem mereri aliquid à Deo simpliciter, quia in his est simpliciter ratio meriti, in quibus est simpliciter iustum; merces enim dicitur retributio operis, vel laboris, quæ est actus iustitiæ: inter eos autem simpliciter est iustitia, quorum est simpliciter æqualitas; quia iustitia ęqualitas quędam est. Vnde cum inter Deum, & hominem sit maxima inęqualitas, in infinitum enim distant; & totum quod est hominis bonum, sit à Deo non potest homo aliquid mereri à Deo simpliciter, sed ex præsuppositione diuinę ordinationis, quia meretur illud bonum, ad quod diuinitus ordinatur, & sic Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed ipsi, inquantum debi-

tum

num est, vt sua ordinatio impleatur 1. 2. *q.* 114. *art.* 1. *& ad.* 3. *&* 2. *sent. dist.* 27. *art.* 3. *& ad.* 4.

2. Cur homo sine gratia non potest mereri vitam æternam?

HOmo sine gratia, neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest mereri vitam ęternam per pura naturalia, secundũ illud *Rom.* 6. *Gratia Dei, vita æterna*, non quidem in statu naturæ integrę ex vna ratione, quia nulla res creata potest producere effectum, qui excedat proportionem suæ naturæ: Vita autem æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ, quia etiam excedit cognitionem, & desiderium eius, secundùm illud 1. *ad Corinth.* 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Vnde nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorij vitæ ęternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur: In statu autem naturæ corruptæ additur alia ratio, cur homo non potest mereri vitam æternam, scilicet propter impedimentum peccati; Cum enim peccatum sit quædam Dei offensa excludens à vita æterna, nullus in statu peccati existens potest vitam æternam mereri, nisi prius Deo reconcilietur, dimisso peccato, quod fit per gratiam *ead. q. art.* 2.

3. Quomodo homo per gratiam potest mereri vitam æternam ex condigno?

OPeratio hominis, si consideretur vt procedit ex motu liberi arbitrij, sic non potest esse meritoria ex condigno propter maximam inæqualitatem: sed est meritoria ex congruo propter quamdam æqualitatem proportionis, quia videtur congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Quod non intelligendum est de operibus ante gratiam, sed de operibus hominis iusti; quia nullum est meritum hominis ante gratiam, *vt docet Auctor qu.* 112. *art.* 2. *ad.* 1. *& expressè determinatio est in Conc. Arausic. can.* 25. *& in Conc. Trid sess.* 6. *cap.* 5. & sic operatio hominis valet ad triplex bonum scilicet ad temporalium consecutionem, ad assuetudinem bonorum operum, &ad dispositionem ad gratiam, non quidem ad primam gratiam quæ iam habetur, sed ad gratiæ augmentum. Si autem operatio consideretur vt procedit ex gratia Spiritus sancti, sic est meritoria vitæ æternæ ex condigno, hoc est ex iustitia, *vt dicit Apostolus* 2. *ad Timoth.* 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*; quia homo per gratiam consors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui ex ipso iure adoptationis debetur hęreditas vitæ æternæ, secundùm illud *Rom.* 8. *si filij, & hæredes*. Est autem meritoria ex condigno, non secundum æqualitatem quantitatis, non enim tantum bonum est secundum quantitatem actus virtutis, quã tum præmium vitæ æternæ. Et hoc est quod dicitur *Rom.* 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, sed est meritoria secundum æqualitatem proportionis, *quia Deus vni-*

cuique reddit secundum opera sua. ead. q. art. 3. 8. ad. 3. & art. 10. & 2. sent. vbi supra art. 3. & 4. dist. 15. q. 1. art. 3. q. 3.

4. *Cur homo non potest sibi mereri primam gratiam?*

HOmo non potest sibi mereri primam gratiam, tum quia excedit proportionem naturę, tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. *ead. q. art. 5. & 2. sent. vbi sup. art. 4.*

5. *Quomodo homo in gratia constitutus potest alteri mereri primam gratiam?*

HOmo in gratia constitutus potest alteri mereri primam gratiam ex congruo, nisi ponat obicem, quia congruum est secundùm amicitię proportionem, vt Deus impleat voluntatem hominis constituti in gratia in saluatione alterius, cum ipse impleat voluntatem Dei. Nullus autem potest alteri mereri primam gratiam ex condigno, nisi solus Christus: quia vnusquisque nostrum mouetur à Deo per donum gratiæ, vt ipse ad vitam æternam perueniat: Anima autem Christi mota est à Deo per gratiam, non solùm, vt ipse perueniret ad vitam æternam; sed etiam, vt alios in eam adduceret, inquantum est caput Ecclesiæ, & auctor salutis humanæ, vt dicitur ad *Hebr. 2. ead. q. art. 6. & 2. sent. vbi sup. art. 6.*

6. *Quomodo homo potest mereri augmentum gratiæ?*

AVgmentum gratiæ cadit sub merito condigni, quia illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit: motio autem gratiæ non solùm se extendit ad terminum motus, qui est vita æterna, sed etiam ad progressum in hoc motu, qui est secundùm augmentum gratiæ, secundum illud *Prou. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem,* scilicet *gloriæ*. Et sic homo quolibet actu meritorio meretur augmentum gratiæ, cum sufficienter est dispositus ad gratiæ augmentum: & hoc fit, cum vtitur accepta gratia secundùm proportiones suarum virium, vt in nullo gratiæ Dei desit per negligentiam. *ead. q. art. 8. ad. 3. & 2. sent. dist. 27. art. 5. & ad. 2. & 3.*

7. *Cur homo non potest mereri perseuerantiam?*

PErseuerantia non cadit sub merito, sed Deus gratis perseuerantiæ donum largitur, quia dependet ex principio diuinæ motionis, quæ hominem inclinat ad bonum, vsque ad finem. *ead. q. art. 9.*

8. *Quomodo bona temporalia cadunt sub merito?*

BOna temporalia secundùm se, quæ non sunt bona simpliciter, sed secundum quid, cadunt sub merito secundum quid, inquantum homines

mines

mines mouentur à Deo ad aliqua temporaliter prosequenda, licèt interdùm in his non habeant rectam intentionem. Sed bona temporalia, in quantum sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, cadunt sub merito simpliciter, tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis expedit ad perueniendum ad vitam æternam. Vnde dicitur *in Psal. 33. Timentes autem Dominum non minuentur omni bono, ead. qu. art. 10.*

Finis primi Libri.



DE CVRA ANIMARVM

LIBER SECVNDVS.

Postquam de vitijs in communi explicatę sunt quæstiones, descendere oportet ad ipsarum dilucidationem in speciali: & quia vitiorum cognitio ex cognitione oppositarum virtutum dependet, de ipsis etiam, ac de respondentibus donis differendum est, quatenus animarum curam gerentibus opus est.

DE FIDE.

QVÆSTIO I.

De obiecto Fidei.

1. *Quomodo obiectum fidei est prima veritas?*



ORMALE obiectum fidei est Deus reuelans, vt prima veritas, quia omnibus, quæ nobis credenda proponuntur, assentimus propter veritatem Dei reuelantis. Ea autem, quibus fides assentit, se habent materialiter ad obiectum fidei. *2. 2. q. 1. art. 1. & ad. 1. & 2. art. 2. & 3. sent. dist. 24. art. 1.*

2. *Quomodo ea, quæ sunt fidei cognoscuntur esse credenda?*

EA, quæ sunt fidei cognoscuntur esse credenda, non solum ex lumine fidei, sed etiam ex euidentia signorum, quia licèt non videamus signa, videmus tamen effectum signorum, scilicet conuersionem ferè totius mundi ad Christum. *ead. q. art. 4. ad. 2. & 3. & opusc. 3. cont. Græcos cap. 7.*

3. *Quomodo credibilia sunt per articulos distinguenda?*

CRedibilia fidei Christianæ distinguūtur per articulos, inquātum seorsum habent speciales difficultates: sicut aliam difficultatem habet, quod Deus sit passus, & aliam quod mortuus resurrexerit: & ideò sunt duo articuli. Sed quod sit passus, mortuus, & sepultus, vnā difficul-

cultatem habent: & ideo hæc sub vno articulo continentur. Arthron enim in Græco, quod in Latino articulus dicitur, significat quamdam cooptationem aliquarum partium ad inuicem. Non omnia autem credibilia distinguuntur per articulos, sed ea, quæ per se ad fidem pertinent, sicut mysterium Trinitatis, Incarnationis Christi, & alia huiusmodi. Ea verò, quæ proponuntur in sacra Scriptura, vt credenda non per se, sed in ordine ad manifestationem eorum, quæ per se pertinent ad fidem, non sunt per articulos distinguenda, sicut quòd Abraham duos filios habuit, & quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus, & alia huiusmodi, quæ narrantur in sacra Scriptura in ordine ad manifestationem Diuinæ maiestatis, vel Incarnationis Christi *ead. q. art. 6. & ad. 1. & 3. sent. dist. 25. q. 1. art. 1.*

4. *Quomodo Articuli Fidei per successionem temporum creuerunt?*

ARticuli fidei creuerunt per temporum successionem, non quãtum ad eorum substantiam, quia quæcumque posteriores crediderunt, implicitè continebantur in fide præcedentium Patrum, sed quantum ad explicationem, quia quędam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Vnde Dominus Moysi dixit Exod. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis*. Et Dauid dicit: *Super senes intellexi.* Et Apostolus ad *Eph. 3. In Mysterio Christi quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominũ, sicut nunc reuelatũ est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis*; Quod intelligẽdum est salua Capitis excellentia in statu tam naturę, quàm legis, vt docet Caietanus. Nam in statu naturæ Abraham plus sciuit per diuinam reuelationem mysterium fidei, quam posteriores vsque ad Moysen; & Moyses in statu legis plus sciuit, quam posteriores vsque ad tempus gratiæ; in tempore autem gratiæ, quod dicitur tempus plenitudinis ad *Galat.* 4. illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, vt Ioannes Baptista, vel post, vt Apostoli, plenius mysteria fidei cognouerunt; quia & circa statum hominis hoc videmus, quod tantò homo habet perfectiorem statum, quantò est iuuentuti propinquior, vel ante, vel post. *ead. qu. art. 7. & ad. 4. & qu. 174. art. 6. & 3. sent. vbi sup. art. 2. qu. 1.*

5. *Quot sunt articuli fidei?*

ARticuli fidei quantum ad ipsos, qui articulos distinxerunt, sunt duodecim, secundùm numerum duodecim Apostolorum, sed quantum ad ipsa credibilia, sunt quatuordecim: Septem pertinentes ad maiestatem Diuinitatis, & septem ad mysteriũ Humanitatis Christi, quod est pietatis sacramentum, vt dicitur ad *Tim.* 4. Circa maiestatem Diuinitatis est primus articulus de Diuinæ essentiæ vnitate, tres alij sunt de Trinitate personarum secundum tres personas, quia circa singulas personas contingit esse errorem. Arrius

enim credidit Patrem omnipotentem, & æternum, sed non credidit Filium coæqualem, & consubstantialem Patri; & ideò necesse fuit ponere articulum de persona Filij. Et eadem ratione contra Macedonium necessarium fuit ponere tertium articulum de persona Spiritus Sancti. Sunt etiam tres alij articuli de triplici opere diuinitatis proprio. Primum quidem pertinet ad esse naturæ, & sic proponitur nobis quintus articulus de Creatione: Secundum pertinet ad esse gratiæ, & sic sub sexto articulo proponuntur omnia pertinentia ad sanctificationem hominis. Tertium pertinet ad esse gloriç, & sic proponitur nobis septimus articulus de Resurrectione carnis, & vita æterna. Resurrectio enim, & vita æterna, in quantum ad vnum ordinatur, possunt comprehendi sub vno articulo: sed in quantum seorsum habent difficultates, possunt distingui. Similiter circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli, quorum Primus est de Incarnatione, siue de Conceptione Christi. Secundus de Natiuitate eius ex Virgine; Conceptio enim Christi, & Natiuitas possunt distingui, in quantum seorsum habent speciales difficultates. Tertius est de Passione eius, & Morte, & Sepultura. Quartus de Descensu ad inferos. Quintus de Resurrectione. Sextus de Ascensione. Septimus de Aduentu ad iudicium. *ead. q. art. 8. & ad. 3. & 3. sent. vbi sup. art. 2. & ad. 6. & opusc. 5.*

6. Quomodo vnitas Diuinitatis ponitur vnus articulus fidei?

VNitas Diuinitatis ponitur vnus articulus fidei, quia sub articulo vnitatis Dei continentur omnia, quæ pertinent ad eius prouidentiam, & omnipotentiam, & quod ipse solus sit colendus; quæ naturali ratione inuestigari non possunt. *ead. qu. art. 8. ad. 1.*

7. Quare in Symbolo antiquorum Patrum non fit mentio de descensu ad inferos?

IN Symbolo antiquorum Patrum non fit mentio de descensu ad inferos, quia de descensu ad inferos nullus error erat exortus apud hæreticos: & ideò non fuit necessarium aliquam explicationem circa hoc fieri. *ead. q. art. 9. ad. 4. & 3. sent. vbi sup. art. 2. ad. 8.*

8. Cur Symbolum Patrum publicè cantatur, & Symbolum Apostolorum occultè dicitur?

SYmbolum Patrum publicè in Missa cantatur, quia est declaratiuum Symboli Apostolorum, & etiam fuit editum, fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente; Symbolum autem Apostolorum occultè dicitur in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum, quia fuit editum tempore persecutionis, fide nondum publicata. *ead. qu. art. 9. ad. 6.*

9. Quare editio Symboli necessaria fuit?

EDitio Symboli necessaria fuit, quia accedentem ad Deum oportet

oportet credere, vt dicit Apostol. ad *Hebr.* 11. Non potest autem aliquis credere, nisi ei veritas, quam credat, proponatur. Et ideò necessarium fuit fidei veritatē in vnū colligi, vt faciliùs posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorātiā fidei veritate deficeret. *ead. q. art.* 9.

10. *Quare noua editio Symboli pertinet ad Papam?*

NOVA editio Symboli pertinet ad solam auctoritatem summi Pontificis: quia ad illius auctoritatem pertinet noua editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus firmiter teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis; quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ secundùm illud 1. ad *Corinth.* 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*, quod seruari non posset, nisi quęstio fidei determinaretur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, id est, per summū Pontificem. *ead. q. art.* 10, *& 4. cont. gent. cap.* 76.

11. *Quare Papa in iudicio fidei non potest errare?*

PApa in quibusdam sententijs, quę ad particularia facta pertinent, potest errare, vt priuata persona, sicut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi: sed vt Papa in iudicio fidei, non ex suo tantùm consilio procedens, sed ex consilio bonorum virorum, & doctorum, non potest errare: tum propter diuinam prouidentiam, quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto regit, vt non erret, sicut ipse promisit *Ioan.* 14. quod Spiritus Sanctus adueniens doceret omnem veritatem, de necessarijs scilicet ad salutem: tum etiam propter specialem assistentiam Spiritus Sancti, qui Papæ semper assistit ratione dignitatis, ne in definitionibus fidei erret. Vnde Dominus Petro, quem summum Pontificem constituit, dixit *Luc.* 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, scilicet in fide. Et propter hoc Caiphas, quamuis nequam, cum esset Pontifex, legitur. *Ioan.* 11. etiam inscius prophetasse. *ead. qu. art.* 10. *& Quodl.* 9. *art.* 16. *& opusc.* 1. *contra errores Græcorum.*

12. *Quare Papa in canonizatione Sanctorum non potest errare?*

PApa in canonizatione Sanctorum non potest errare, quia, vt dictum est, in iudicio fidei non potest errare: sed honor, quem Sanctis exhibemus, est quædam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus. Vnde nec in canonizatione Sanctorum, per quam declarat aliquem venerandum esse, vt Sanctum, poterit errare. Et quamuis in canonizando Sanctos innitatur testimonio humano, quod est fallibile, cum inquirat per testes de vita, & miraculis, non tamen ob hoc potest errare, quia diuina prouidentia præseruat Ecclesiam, ne in talibus fallatur. Quod autē dicit Auctor *pie credendum* est, interpretandum est *religiosè*, *Quodl.* 9. *art.* 15, *& ad.* 2.

QVÆSTIO II.

De actu fidei interiori.

1. Quomodo homo tenetur credere ea, quæ sunt fidei?

HOmo tenetur de necessitate salutis explicitè credere ea, quæ sunt fidei per se, quę directè ordinant hominem ad vitam æternam, quę sunt articuli fidei quantum ad ea, quę in articulis continentur implicitè, quod quidem contingit, dum homo scit vim veritatis articulorum, licèt non sciat eos distinctè, puta Deum esse Trinum, & vnum, Filium Dei esse incarnatum, & mortuum, & resurrexisse, & reliqua. Non tenetur autem explicitè credere ea, quę sunt fidei per accidens, scilicet in ordine ad prędictorum manifestationem, quę sunt omnia, quę in sacra Scriptura Diuinitus tradita continentur. Sed tenetur ea credere implicitè in fide maiorum, in quantum maiores adhęrent doctrinę Diuinę, vel in prępparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid in sacra Scriptura continetur. Sed tunc solùm hoc tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri. Maiores autem, quibus incumbit officium alios instruendi de fide, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere, secundum quod pertinet ad eorum officium. *so. 2. q. 2. art. 5. & 6. & ad. 3. & 3. sent. dist. 25. q. 2. art. 1. qu. 1. 2. & 3. & in expos. textus, & qu. 14. de verit. art. 11.*

2. Quomodo homo tenetur credere mysterium Incarnationis Christi?

HOmo ante statum peccati habuit explicitam fidē de Christi Incarnatione, in quantum ordinabatur ad consummationem glorię: non autem in quantum ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem, & Resurrectionem; quia homo non fuit pręscius peccati futuri. Post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis CHRISTI non solùm quantùm ad Incarnationem: sed etiam quantùm ad Passionem, & Resurrectionem, quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur; præfigurabant enim Christi Passionem quibusdam Sacrificijs, & ante legem, & sub lege, quorum quidem Sacrificiorum significatum explicitè maiores cognoscebant; minores autem sub velamine illorum Sacrificiorum credentes ea Diuinitus esse disposita de Christo venturo. In tempore autem gratię tam maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de articulis Incarnationis Christi, vt dictum est. Alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minùs explicitè credere, secundùm quod conuenit officio vniuscuiusque. *ead. qu. art. 7. & 3. sent. vbi sup. art. 2. qu. 1 & 2. & qu. 14. de verit. vbi sup.*

3. Quomodo homo saluabatur per fidem Christi ante eius aduentum?

IVdęi antequam circumcisio institueretur, saluabantur per fidem Christi,

Christi, quàm sacrificiorum oblatione profitebantur: maiores quidem explicitè, minores verò implicitè sub velamine illorum Sacrificiorum. Postea verò saluabantur per circumcisionem, quę erat signaculum fidei, vt dicit Apost. ad *Rom.* 4. Gentilium autem multi fuerunt saluati per fidem Christi explicitam, quam habuerunt per diuinam reuelationem, vt patet per ea, quę prędixerunt. Nam *Iob* 19. dicitur: *Scio quod Redemptor meus viuit.* Sibylla etiam prenunciauit quędam de Christo, *vt Aug. dicit lib.* 13. *cont. Faust. cap.* 15. Potuerunt tertiò alij Gentiles saluari per fidem Christi implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus reuelasset, secundùm illud *Iob* 35. *Qui docet nos super iumenta terræ.* Numquam enim Deus facienti quod in se est, de quęrenda salute deficit, vel deest, prouidendo ei, vel per prędicatorem fidei, vt patet de Cornelio *Act.* 10. vel per reuelationem. *ead. q. art.* 7. *& ad.* 3. *&* 3. *par. q.* 78. *art.* 1. *&* 2. *sent. dist.* 28 *art.* 4. *ad.* 4. *&* 3. *sent. vbi supra art.* 1. *ad.* 1. *&* 2. *& art.* 2. *q.* 1. *ad.* 3. *& qu.* 14. *de verit. vbi sup.*

4. *Quomodo homo tenetur credere mysterium Trinitatis?*

SIcut mysterium Incarnationis Christi ante Christi aduentum fuit explicitè creditum à maioribus, implicitè autem, & quasi obumbratè à minoribus; ita etiam, & mysterium Trinitatis: quia mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis. Nā in mysterio Incarnationis Christi continentur, quod Filius Dei carnem assumpserit, & quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit. Et ideò etiam post tempus gratię tenentur omnes explicitè credere mysterium Trinitatis. *ead. quest. art.* 8. *&* 3. *sent. vbi sup. art.* 2. *qu.* 3.

QVÆSTIO III.

De actu exteriori fidei.

Quando confessio fidei est de necessitate salutis?

COnfessio fidei cadit sub pręcepto affirmatiuo, quod non obligat ad semper, sed pro loco, & tempore. Et ideo est de necessitate salutis, in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per occultationē fidei subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda. Sicut si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij propter eius taciturnitatē auerterentur à fide; in huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Si autem oriatur turbatio Infidelium de manifesta Dei cōfessione, absque aliqua vtilitate fidei, vel Fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publicè confiteri, secundum illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas mittere ante porcos, ne conuersi dirumpant vos* 2. 2, *qu.* 3. *art.* 2. *& ad.* 3.

Ex quibus colligit Caietanus, quod in

terris infidelium; vbi est lex, aut consuetudo in viridi obseruantia, quod omnes Cristiani deferant aliquam certam vestem, vel signum ad professionem suæ fidei: Si aliquis Christianus vestem mutet, vel signum omittat, ne cognitus occidatur, mortaliter peccat. quia tunc est locus & tempus confitendæ fidei, ne subtrahat Deo debitum honorem, Vbi autem non est lex, neque consuetudo, aut non seruatur ab omnibus, vel non est ad professionem fidei ordinata, sed ad politicum bonum verum, vel æstimatum, puta ad punitionem, vel ad cauendum ab eis; aut aliquid huiusmodi, vt contingit Iudæis inter Christianos, licitum est, ad saluandam vitam, ad tempus non vti tali veste, vel signo.

QVÆSTIO IV.

De fidei virtute.

1. *Fides quid est?*

FIdes ex Apost. ad *Hebr.* 1. est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Dicitur substantia, hoc est prima inchoatio rerum sperandarum, quæ in nobis est per assensum fidei; Ideo enim speramus beatitudinem, quia videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhęremus. Dicitur argumentum non apparentium, hoc est, conuictio non visorum, quia propter diuinam veritatem intellectus credentis conuincitur ad assentiendum his, quę non videt. 2. 2. q. 4. *art.* 1.

2. *Quomodo fides est in intellectu?*

FIdes est in intellectu, tamquam in subiecto, quia formale obiectum fidei est prima veritas, quę est obiectum intellectus. Est etiam in voluntate, in quantum ex imperio voluntatis intellectus credibilibus assentit. *ead. q. art.* 2. *& ad.* 1. *Dicitur autem subiectum, vt simplices intelligant, in quo aliquid recipitur, vt in materia; obiectum verò, quod intellectui, vel voluntati, vel sensui proponitur velut materia: & sic dicitur obiectum materiale: vel vt finis, & sic dicitur obiectum formale.*

3. *Quomodo charitas est forma fidei?*

CHaritas dicitur forma fidei, inquantũ actus fidei per charitatẽ informatur, quia actus fidei ordinatur ad bonum diuinum sicut ad finẽ, quod est obiectũ charitatis; Vnde dicitur ad *Galat.* 5. *Quod fides per dilectionem operatur. ead. q. art.* 3.

QVÆSTIO V.

De habentibus fidem.

1. *Quomodo in Dæmonibus est fides?*

IN Dęmonibus est fides coacta secundum illud *Iacobi* 2. *dæmones credunt, & contremiscunt*, quia coguntur ad credendum ex euidentia signorum, non rerum: Vident enim multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesię à Deo esse, sed ipsas res, quas Ecclesia docet, non vident, puta Deum esse trinum, & vnum, vel aliquid huiusmodi. 2. 2. *q.* 5. *art.* 2. *& ad.* 1. *&* 3. *sent. dist.* 23. *q.* 3. *art.* 3.

2. *Cur.*

2. *Cur hæreticus, quid discredit vnum articulum fidei, non habet fidem de alijs?*

HÆreticus, qui discredit vnum articulum fidei, fidem non habet de alijs articulis, quia hęreticus non inhęret doctrinę Ecclesię, quę procedit ex prima veritate in Scripturis sacris manifestata, tamquam infallibilis, & diuina regula, sed inhęret proprię voluntati. Et ideo si discredit vnũ articulum, fidem non habet de alijs, quia obiectum formale fidei est prima veritas. Sed habet opinionem quamdam secundùm propriam voluntatem. *ead. q. a. 3.*

3. *Quomodo fides potest esse maior in vno, quàm in alio?*

FIdes potest esse maior in vno, quàm in alio ex parte materialis obiecti, scilicet eorum, quæ materialiter credenda proponuntur, quia potest vnus plura explicitè credere, quàm alius: Non autem ex parte formalis obiecti, quod est vnũ, & simplex, scilicet prima veritas. Ex parte etiam subiecti fides potest esse maior in vno, quàm in alio: Ex parte quidem intellectus, propter maiorem certitudinem, & firmitatem: Ex parte verò voluntatis propter maiorem promptitudinem, vel deuotionẽ, vel confidentiã. *ead. q. a. 4.*

QVÆTIO VI.

De causa fidei.

1. *Quomodo fides est homini à Deo infusa?*

FIdes quantum ad ea, quæ homini credenda proponuntur, necesse est, quod sit à Deo: Ea enim, quę sunt fidei, excedunt rationem humanam; Et ideo non possunt ab homine cognosci, nisi Deo reuelante. Sed quibusdam reuelantur immediatè à Deo, sicut sunt reuelata Apostolis, & Prophetis; Quibusdam autem reuelantur per fidei prædicatores à Deo missos, secundùm illud Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quantùm etiam ad assensum hominis in ea, quę sunt fidei, oportet, vt fides sit à Deo; non enim potest esse ab aliquo extrinseco inducente, sicut à miraculo viso, vel persuasione inducente ad fidem, quorum neutrum est sufficiens causa: videntium enim vnum, & idem miraculum, & audientium eamdem prędicationem, quidam credunt, & quidam non credunt, vt docet Aug. *contra Pelag. epistola 105. ad Sixtum.* Necesse est igitur, quod sit à Deo interiùs mouente per auxilium gratię: intellectus enim assentire non potens veritati fidei ex euidentia rationis, disponitur à diuina gratia, vt assentiat per imperium voluntatis in diuinam veritatem tendentis. Vndè non est fides, nisi sit à Deo infusa. *2. 2. qu. 6. art. 1. & 1. par. qu. 111. art. 1. ad. 1.*

2. *Quomodo fides informis est donum Dei?*

DEus aliquando dat homini donum fidei absque charitate, quę est vera fides infusa, sicut etiam aliquando dat donum prophetię absque charitate; Ille tamen, qui accipit à Deo fidem absque charitate,

non simpliciter sanatur ab infidelitate, quia non remittitur ei culpa precedentis infidelitatis absque charitate, sed sanatur secundùm quid, vt scilicet cesset à tali peccato. *ead. qu. art.* 1. 2. *ad.* 3. & 3. *par. qu.* 86. *art.* 3. *ad.* 1.

Hac secundùm Caietanum sunt notanda propter baptizatos in peccato mortali, & propter hæreticos, quando conuertuntur ad fidē cũ peccato mortali. Tunc enim à diuina liberalitate infunditur fides sine charitate, subiecto disposito ad fidei, & non charitatis susceptionem.

QVÆSTIO VII.

De dono intellectus, quod respondet fidei virtuti.

1. Quomodo intellectus est donum Spiritus Sancti?

INtellectus est donum Spiritus Sancti, quia est lumen supernaturale homini datum, ad cognoscendum quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non potest. Vnde Dominus. *Luc. vlt. Aperuit discipulis suis sensum, vt intelligerent scripturas.* 2. 2. *qu.* 8. *art.* 1. & 3. *dist.* 35. *qu.* 2. *art.* 2.

2. Quomodo intellectus potest simul esse cum fide?

EA, quę per se, & directè cadunt sub fide, sicut mysterium Trinitatis, & Incarnationis, non possunt perfectè cognosci, scilicet secundùm essentiam, durante statu fidei, sed cognoscuntur imperfectè, in quãtum scilicet cognoscitur; quod propter ea, quę extrinsecus apparent, non est recedendum ab his, quę sunt fidei: Ea verò, quę cadunt sub fide in ordine ad hęc, sicut omnia, quæ in diuina Scriptura continentur, perfectè cognosci possunt. *ead. qu. art.* 2.

3. Quomodo donum intellectus est in habentibus gratiam?

DOnum intellectus non est, nisi in habentibus gratiam gratum facientem, vt dicitur in Psal. 81. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: quia ille habet donum intellectus, qui ad hoc mouetur à Spiritu Sancto, vt rectam æstimationem, vel iudicium de vltimo fine habeat. Hanc autem æstimationem non habet, nisi ille, qui circa finem non errat, sed ei firmiter inhæret tamquam optimo, quod est sollum habentis gratiam gratum facientem. *ead. q. art.* 5.

QVÆSTIO VIII.

De dono scientiæ, quod etiam respondet virtuti Fidei.

1. Quomodo scientia est donum Spiritus Sancti?

SCientia est donum Spiritus Sancti, per quod homo habet certum, & rectum iudicium circa credenda, & agenda secundùm causas creatas, discernendo credenda à non credendis, & agenda à non agendis. 2. 2. *qu.* 8. *art.* 6. & *qu.* 9. *art.* 1. & 3.

2. Quomodo donum scientia est in habentibus gratiam?

ILli soli donum scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ rectum iudicium habent circa credenda, & agenda, ita quod in nullo deuient à rectitudine iustitiæ; & hæc est scientia Sanctorum, de qua dicitur Sap. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum. ead. qu. art. 3. ad. 3.*

QVÆSTIO IX.

De infidelitate in communi.

1. *Quomodo infidelitas est peccatum?*

INfidelitas secundùm puram negationem, quandò scilicet aliquis ex hoc solo dicitur Infidelis, quod non habet fidem, sicut ille, qui nihil audiuit de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia diuinorum consecuta est ex peccato primi parētis. Vndè sic infideles damnantur propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem propter infidelitatis peccatum. Sed infidelitas est peccatum secundùm contrarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, secundum illud Esai. 63. *Quis credidit auditui nostro?* tales sunt infideles, qui propè nos sunt, qui de nostra fide notitiam habent. 2. 2. qu. 10. art. 1.

2. *Quomodo infidelitas est maximum peccatum?*

PEccatum infidelitatis est maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruersitate morum, quia tantò aliquod peccatum est maius, quantò per ipsum homo magis à Deo separatur. Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. *ead. qu. art. 3.*

3. *Quot sunt species infidelitatis?*

INfidelitatis species secundùm comparationem ad fidem, in quātum peccatum infidelitatis repugnat fidei, sunt tres, quia aut repugnat fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum, vel Gentilium: aut repugnat fidei susceptæ in figura; & sic est infidelitas Iudæorum: aut repugnat fidei susceptæ in manifestatione veritatis; & sic est infidelitas hæreticorum. Species autem infidelitatis secundùm errorem in diuersis, quæ ad fidem pertinent, non sunt determinatę; possunt enim errores in infinitum multiplicari. Sunt autem diuersæ infidelitatis species ex parte conuersionis ad formale obiectum, quod est falsa sententia, ex hoc, quod infideles diuersas, & falsas sententias sequuntur. *ead. qu. art. 5. & ad. 1.*

4. *Quomodo infidelitas hæreticorum est grauior quàm Iudæorum, & Iudæorum quàm Gentilium?*

INfidelitas hæreticorum est grauior, quàm Iudæorum, & Iudæorum, quam Gentilium, secundùm comparationem ad fidem, quia grauius contra fidem peccant hæretici, qui repugnant fidei susceptæ, eam corrumpentes, quàm Iudæi, qui repugnant fidei nondum susceptam,

tis, secundum illud 2. *Petri 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quàm post cognitonem retrorsum conuerti*. Grauius etiam peccant Iudæi, qui repugnant fidei susceptæ in figura, quàm Gentiles, qui repugnant fidei nullo modo susceptæ. Sed secundum errorem eorum, quæ ad fidem pertinent, grauior est infidelitas Gentilium, quàm Iudæorum; & Iudæorum, quàm Hæreticorum; quia in pluribus errant Gentiles, quàm Iudæi, & Iudęi, quàm hæretici. Harum tamen grauitatum prima præponderat secundæ quantùm ad rationem culpæ, quia infidelitas habet rationem culpæ magis ex hoc, quod renititur fidei, quàm ex hoc, quod non habet ea, quæ sunt fidei, quod magis pertinet ad rationem pœnæ, vt dictum est. Vndè simplicitèr loquendo, infidelitas hæreticorum est pessima. *ead. qu. art. 6.*

5. *Quando cum infidelibus publicè coram simplicibus est disputandum?*

Disputare de fide publicè cum Infidelibus coram simplicibus, qui sunt sollicitati ab Infidelibus conatibus eos peruertere, est necessarium ad confirmationem fidei, & ad hoc, quod tollatur infidelibus decipiendi facultas, dummodo inueniantur aliqui ad hoc idonei, qui errores confutare possint. Sed coram simplicibus, qui non sunt sollicitati super hoc, sicut in Terris, in quibus non sunt Infideles, periculosum est publicè disputare de fide, quia eorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diuersum audierunt ab eo, quod credunt. *ead. qu. art. 7.*

6. *Quid si simplices in subtilitatibus fidei deficiunt?*

Si simplices, vt mulieres, idiotæ, & huiusmodi, in his, quę ad subtilitatem fidei pertinent, ab hereticis deprauati, vel ex maiorum errore, vel ex simplicitate deficiunt, non eis imputatur, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhęreant contra vniuersalis Ecclesiæ fidem, quę non potest deficere, Domino dicente Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, 2. 2. *qu.* 2. *art.* 6. *ad.* 2. *&* 3.

7. *Quando Infideles sunt compellendi ad fidem?*

INfideles, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Iudæi, non sunt ad fidem compellendi, vt credant, quia credere voluntarium est. Sunt tamen compellendi à Fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant, vel blasphemijs, vel alijs malis persuasionibus; vel etiam apertis persecutionibus. Et ideo Fideles frequenter contra Infideles bellum mouent, non quidem, vt eos ad credendum cogant, quia etiā si eos captiuos haberent, in eorum libertate relinquerēt, an credere vellent, sed propter hoc, vt eos compellant, ne fidem Christi impediant: Infideles verò, qui fidem quandoque susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici, & quandoque apostatæ, sunt etiam corporaliter com-

compellendi, vt teneant fidem. 2. 2. quæst. 10. art. 8. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 3. & Quodl. 10. art. 15.

8. *Cum quibus Infidelibus non est communicandum?*

ECclesia non interdicit Fidelibus communionem Infidelium, qui numquam fidē Christianam receperunt, scilicet Paganorum, & Iudæorum, in eorum pœnam; quia non habet de eis iudicare spirituali iudicio, secundùm illud 1. Corinth. 5. *Quid mihi est de his, qui foris sunt, iudicare?* Sed temporali iudicio in casu, cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committunt. Sed in pœnam interdicit Fidelibus communionem illorum Infidelium, qui à fide suscepta deuiant, vel corrumpendo fidem, sicut hæretici, vel totaliter à fide recedendo, sicut apostatæ. Et ratio est, primò quidem ne eorum conuersatio alios corrumpat, secundùm illud 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Secundò, ne videamur eorum peruersę doctrinæ aliquem assensum pręstare, quod posset vergere in aliorum errorem, quia alij per talem familiaritatem possent credere illos placere nobis: & sic eis crederent; vt dicitur 1. *Corinth.* 8. Si autem aliqui sint simplices; & infirmi in fide, de quorū subuersione probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab Infidelium communione, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganorum, & Iudæorum, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent, *ead. quæst. art.* 9. & 4.

9. *Quare Infideles non possunt dominium acquirere supra fideles?*

INfideles nullo modo possunt dominium acquirere super Fideles, quia hoc cederet in scandalum, & in periculum Fidei; de facili enim illi, qui subijciuntur aliorum iurisdictioni, subuerti possunt ab eis, quibus subduntur, nisi fuerint magnæ virtutis. Possunt autem Infideles, præexistens dominium habere supra Fideles, quamuis iustè per ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij possit tolli. *ead. qu. art.* 10.

10. *Qui Infidelium ritus sunt tolerandi?*

RItus Iudæorum sunt tolerandi propter aliquod bonum, quod ex eis prouenit. Ex hoc enim, quod Iudæi ritus suos obseruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus. Ritus autem aliorum infidelium, scilicet Paganorum, vel hæreticorum, qui nihil veritatis, vel vtilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati conuertuntur ad fidem *ead. q. art.* 11.

Hinc elicit Caietanus regulam per missionum criminum in regimine Principum

pam spiritualium, & temporalium, propter bonum proueniens, vel malum, vitandum, quas homo scit esse de fide *ead. quest. art. 2. ad. 3. & 4. sent. dist. 13. qu. 2. art. 1. ad. 6.*

QVÆSTIO X.

De hæresi.

1. Quomodo heresis est species infidelitatis?

HÆresis, quæ ab electione dicitur, est species infidelitatis, pertinens ad eos, qui intendunt quidem Christo assentire, inquantum fidem Christi profitentur, sed deficiunt in eligendo ea, quibus Christo assentiant, quia non eligunt ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit. Est autem hæresis non solùm circa ea, quæ directè pertinent ad fidem, quæ sunt articuli fidei, sed etiam circa ea, quæ indirectè ad fidem pertinent, sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli. 2. 2. qu. 11. art. 1. & 2.

2. Qua ad heresim requiruntur?

AD hæresim duo requiruntur: Primum est error contra ea, quæ sunt fidei, per Ecclesiam determinata, quæ quidem determinatio principaliter pertinet ad auctoritatem summi Pontificis. Secundùm est pertinacia, quæ constituit rationem hæresis, ita quod sine ea non est hæresis. 24. *quest. 3. cap. dixit Apostolus. & cap. qui in Ecclesia*. Pertinacia autem non importat obdurationem vel obstinationem, sed solùm assensum contrarium, his,

3. Cur heretici non sunt tolerandi?

HÆretici ex parte ipsorum statim, ex quo de hæresi conuincuntur, possunt non solùm excommunicari, sed etiam iustè occidi, quia corrumpunt fidem, per quam est vita animæ, secundùm illud Rom. 1. *Iustus ex fide viuit.* Ex parte autem Ecclesiæ, cuius est misericordia ad errantium conuersionem, non statim condemnantur, sed post primam, & secundam correctionem, vt *Apostolus* docet ad *Timoth. 3.* Postea verò si adhuc pertinaces inueniantur, Ecclesia de eorum conuersione non sperans, illorum saluti prouidet, eos ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam, & vlterius relinquit eos iudicio sæculari, mundo exterminandos per mortem. *ead. qu. art. 3. & 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 3.*

Et loquitur de pœnis hereticis infligendis iudicio Ecclesiæ: sunt tamen ipso iure excommunicati ab Innoc. 3. de hereticis cap. excommunicamus, ab Alex. 4. eod. tit. cap. quicunque lib. 6. & in Bulla Cœna Domini excommunicatio est Papa reseruata.

Hic aduertit Caietanus, quod licèt hereticus purè mentalis sit verè hereticus, non est tamen excommunicatus, sed ad hoc exigitur aliquis actus exterior, quia Ecclesia non iudicat actum interiorem secundùm se. Si autem exteriori aliquo opere, vel verbo peccatum suum exequatur, vel dicat, etiam si nullus videat

videat, vel audiat, statim est excommunicatus, quia est peccatum exterius, quod per se potest ab Ecclesia sciri, licèt per accidens sit occultum Ecclesiæ. Non obstat, quod de haret. in 6. Clem. cap. multorum §. verum prohibetur Inquisitoribus sub excommunicationis sententia eo ipso incurrenda, ne odio, vel amore, vel timore, aut cuiuslibet commodi temporalis affectione contra iustitiam ommittant cõtra hæreticos procedere, aut alicui huiusmodi prauitatem imponere: nam ex hoc non excomunicatur actus interior solus, sed actus exterior, puta omissio, vel impositio ex interiori odio, vel amore procedens, & sic de similibus.

4. *Quomodo hæretici sunt ab Ecclesia recipiendi?*

Ecclesia primò reuertẽtes ab hæresi non solùm recipit ad bonum spirituale, scilicèt ad pœnitentiam; sed etiam eos conseruat in bonis temporalibus, sicut in vita, & possessione mundana, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, siue sæculares, quas prius habebant, si videantur verè conuersi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum. Hæreticos autem relapsos recipit quidem ad pœnitentiam, non tamen eos conseruat in vita, & alijs temporalibus bonis, vt habetur. *cap. ad abolendam de hæreticis*; quia relapsi ostendunt signum inconstantiæ circa fidem, & ideo si conseruarentur in vita, & alijs temporalibus bonis, posset hoc in præiudicium salutis aliorum cedere, quia si relaberentur, alios inficerent. *ead. qu. art. 4. & Quodlib. 10. art. 16.*

QVÆSTIO XI.

De Apostasia.

1. *Quomodo apostasia pertinet ad infidelitatem?*

Apostasia importat retrocessionem quamdam à Deo, quæ quidem fit tribus modis. Primò in quantum aliquis retrocedit à religione, quam professus est, vel ab ordine, quem suscepit: & hæc dicitur apostasia religionis, vel ordinis. Secundò per mentem repugnantem diuinis præceptis. Tertiò in quantum aliquis discedit à fide, & hæc vocatur apostasia à fide, & sic ad infidelitatem pertinet, quæ non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggrauantem, secundùm illud, 2. Pet. 2. *Melius erat eis veritatem non cognoscere, quàm post cognitam retroire. 2. 2 qu. 12 art. 1. & ad. 3.*

2. *Cur Princeps propter apostasiam à fide amittit ius dominij?*

Princeps quàm citò per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, sicut etiam propter alias culpas, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & à iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur, de *hær. cap. absolutos Art. 15. qu. 6. cap. nos Sanctorum.* Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo apostata iurgia seminat, in-

teng

tendens alios separare à fide, sicut & ipse recessit. *ead. q. art. 9.*

QVÆSTIO XII.

De peccato blasphemiæ, quod opponitur confessioni fidei.

1. Quomodo blasphemia est peccatum?

Blasphemia importat quamdam derogationem diuinæ bonitatis, in quantum per blasphemiam aliquis, vel negat aliquid de Deo, quod ei conuenit, sicut cum dicitur, *Deus non est iustus, non est bonus, non potest facere*; vel asserit aliquid de eo, quod ei non conuenit, Quod est grauius peccatum, & fit vel per modum iniuriantis, sicut cum dicitur, *Deus iniustus, iniquus, cornutus*, & similia, quæ sapiunt hæresim; vel fit per modum detestantis, sicut cum dicitur *Deus maledictus, veniat Deo hoc, vel illud*; vel fit per modum irridentis, sicut Iudæi dicebãt: *Vah qui destruis templum Dei* Hoc autem si consistat in corde, est cordis blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia, & secundùm hoc blasphemia opponitur confessioni fidei. Ex hoc autem quod blasphemia est contra Deum, non sequitur, quod blasphemia, quæ fit in Sanctos, non habeat rationem blasphemiæ, quia blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat, sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantùm laudantur opera, quę Deus in Sanctis effecit, secundùm illud Psal. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* Vnde blasphemia Dei, & Sanctorum est eiusdem speciei.

Ex hoc etiam, quod blasphemia est, aliquid dicere de Deo, quod ei non conuenit, non sequitur, quod ignominiosè nominare membra Christi, & Sanctorum, quæ in veritate habent, non sit blasphemia, quia secundùm Caietan. hæc vt vituperabilia dicuntur in actu exercito. Sancti autem nihil habent vituperabile, & ideò dicitur aliquid de eis, quod eis non conuenit. Similiter dicere: Ad corpus, & sanguinem Dei *per modum spernentis, est blasphemia, quamuis post Incarnationem Verbi Deus habeat corpus, & sanguinem, quia dicit hæc vt contemptibilia. Dicere autem hæc per modum iurantis non est blasphemia. 2. 2. qu. 13. art. 1. & ad. 1. & 1. Corinth. 15. lect. 2.*

2. Quare blasphemiæ non sunt diuersæ species?

Peccatum blasphemiæ, propriè loquendo, non habet diuersas species, sed omnes blasphemię sunt eiusdem speciei: quia dicere de Deo aliquid, quod ei non conuenit, & negare aliquid de eo, quod ei conuenit, non differunt, nisi secundùm affirmationem, & negationem, quæ non faciunt diuersitatem speciei.

Et ideò (vt aduertit Caiet.) à Confessario non est inquirenda varietas blasphemiarum pro diuersitate specierum, sed pro maiori grauitate iudicanda, vt in cæteris peccatorum speciebus contingit. ead. qu. art. 1. ad. 3.

3. Quomodo blasphemia prohibetur per præceptum Decalogi?

Blas-

Blasphemiæ prohibitio reducitur ad prohibitionem infidelitatis, quod intelligitur in eo, quod dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* vel prohibetur per id, quod dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Magis enim in vanum assumit nomen Dei, qui aliquod falsum de Deo asserit, quàm qui per nomen Dei aliquod falsum confirmat. *ead. q. art. 2. ad. 2.*

4. *Quando blasphemia est peccatum mortale?*

Blasphemia est peccatum mortale ex suo genere, quia contrariatur charitati diuinæ, in quãtum derogat diuinæ bonitati, quæ est obiectum charitatis. Quæcunque autem charitati contrariantur, tamquam principio spiritualis vitæ, ex suo genere sunt peccata mortalia. *ead. qu. art. 2.*

5. *Quomodo blasphemia excusat à peccato mortali?*

Si aliquis non aduertit hoc, quod dicit esse blasphemiam, sicut cũ subitò ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, tunc est peccatum veniale, & nõ habet propriè rationem blasphemiæ. Si autem aliquis aduertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu iræ aliquem occidit iuxtá se sedentem. *ead. quæst. art. 2. ad. 3.*

Vbi notandum est secundùm Caietanum in Summa, Verbo Blasphemię, *& Silu. eodem, qu. 4. quos sequitur Nauarr. cap. 12. num. 84. quod si aliquis non aduertit hoc, quod dicit, esse blasphemiam ex consuetudine, non excusatur à peccato mortali, quia est inaduertentia concomitans voluntatẽ, ita quòd si aduerteret, nihilominus blasphemaret. Vndè dicit Auctor opusc. 1. cap. 28. quod blasphemantem ex consuetudine difficile est non blasphemare.*

6. *Quomodo blasphemia est maximum peccatum?*

Blasphemia est maximum peccatum, quia opponitur confessioni fidei; & ideò habet in se grauitatẽ infidelitatis, quæ cum sit maximum peccatum ex suo genere, consequens est, quod etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipsum aggrauans, si aliquis non moueatur ex passione, vel habitu, sed praua voluntate affecta ad detestandum diuinum honorem, & adhuc magis si prorumpat in verba: sicut & laus fidei augetur per dilectionem, & confessionem.

Vndè publico blasphemo est arcta pœnitentia imponenda cap. statuimus de maled. quæ tripliciter fit. Prima, vt septem diebus Dominicis maneat in foribus Ecclesiæ, dum Missarum solemnia celebrantur, & vltima Dominica absque pallio, & calceamentis, & cum corrigia in collo. Secunda, vt septem diebus Veneris in pane, & aqua ieiunet, & Ecclesiam non ingrediatur. Tertia, vt singulis illis diebus, si potest, tres, alioquin duos reficiat pauperes, siue vnum, & si

& si hoc non potest, in aliam pœnam commutetur, & si hanc renuit pœnitentiam, prohibeatur ab ingressu Ecclesiæ, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura. Per sæcularem etiam iudicem pœna ibi taxata mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus. ead. q. art. 3. & dist. 9. art. 3. q. 2.

7. *Quomodo peccatum blasphemiæ est grauius peccato homicidij?*

Peccatum blasphemiæ est grauius peccato homicidij secundùm obiectum, in quo peccatur, quia opponitur maiori bono: blasphemia enim est peccatum in Deum, homicidium verò in proximum: sed secundùm effectum nocendi grauius est peccatum homicidij, quia plus homicidium nocet proximo, quàm blasphemia Deo. Sed quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio prauæ voluntatis, quàm effectus operis, ideò cum blasphemus intendat nocumentum inferre honori diuino, simpliciter loquendo, grauius peccat, quàm homicida. *ead. qu. art. 3. ad. 1. & q. 2. de malo. art. 10.*

QVÆSTIO XIII.

De blasphemia in Spiritum Sanctum.

1. *Quomodo peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum ex certa malitia?*

Peccatum in Spiritum Sanctum est speciale genus peccati ex certa malitia; quia est cum contemptu alicuius boni impedientis peccatum, quod quidem bonum est effectus Spiritus Sancti. Sunt autem huiusmodi bona sex, duo ex parte diuini iudicij, quod habet iustitiam cum misericordia, quorum vnum est spes, per quam homo impeditur à peccato ex consideratione diuinæ misericordiæ remittentis peccata, & præmiantis bona: & hæc tollitur per desperationem. Alterum est timor, per quem homo auertitur à peccato ex consideratione diuinæ iustitiæ punientis peccata: & hic abijcitur per præsumptionem, cum scilicet aliquis præsumit se posse consequi gloriam sine meritis, vel veniam sine pœnitentia. Duo verò sunt ex parte donorum Dei, quibus retrahitur homo à peccato, quorum vnum est agnitio veritatis; & hæc remouetur per impugnationem veritatis agnitæ, dum scilicèt aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, vt licentius peccet. Aliud est auxilium interioris gratiæ: & hoc aufertur per inuidentiam fraternæ gratiæ, dum scilicèt aliquis non solùm inuidet personæ fratris, sed etiam inuidet gratiæ Dei crescenti in mundo. Duo autem sunt ex parte peccati, quæ possunt hominem à peccato retrahere, quorum vnum est deformitas actus, cuius consideratio inducere solet hominem ad pœnitentiam de peccato commisso, & hæc tollitur per impœnitentiam, quando scilicèt aliquis habet propositum non pœnitendi. Aliud est paruitas, & breuitas boni delectabilis, quod quis in peccato quærit, vt dicitur Rom. 6. *Quem* fru-

fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? Cuius consideratio inducere solet hominem ad hoc, quod eius voluntas in peccato non firmetur: & hoc remouetur per obstinationem, quando scilicèt homo firmat suum propositum in hoc, quod peccato inhæreat. Vndè sex sunt species peccati in Spiritum Sanctum, Desperatio, Præsumptio, Impugnatio veritatis agnitæ, Inuidentia fraternæ gratiæ, Impœnitentia, & Obstinatio. *2. 2. qu. 14. art. 1. & ad 3. & art. 2. & qu. 105. art. 2. ad 2. & qu. 3. de malo art. 14.*

2. *Quomodo peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile?*

PEccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile ex parte sua, vt dicitur *Matth.* 12. inquantum directè excludit ea, per quæ homo retrahitur à peccato: sed ex parte Dei est remissibile, quia per suã omnipotentiam, & misericordiam, aliquando conuertit in profundum maris. *ead. qu. art. 3. & ad 3.*

QVÆSTIO XIV.

De Cæcitate mentis, & hebetudine sensus.

1. *Quomodo cæcitas mentis est peccatum?*

CÆcitas mentis est peccatum. Primò quidem, si sit priuatio luminis gratiæ, quæ est quædam pœna. Secundò, si sit priuatio principij intellectualis visionis, cui mens hominis non intendit; vel quia habet voluntatem se auertentem à consideratione talis principij, secundùm illud Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret*; vel quia occupatur circa alia, quæ magis diligit; secundùm illud Psalm. 57. *Supercecidit ignis*, scilicèt concupiscentiæ, *& non viderunt Solem.*

2. *Quomodo hebetudo sensus est peccatum?*

HEbetudo sensus circa intelligentiam est peccatum, si sit voluntaria; quod contingit, cum aliquis affectus circa carnalia, spiritualia subtiliter penetrare negligit. *ead. q. art. 3.*

DE SPE.

QVÆSTIO XV.

De Obiecto Spei,

1. *Quomodo beatitudo æterna est obiectum spei?*

PRoprium, & principale obiectum spei, est beatitudo æterna, quæ in fruitione Dei consistit, quia obiectum spei est bonum futurum arduum, possibile haberi. Huiusmodi autẽ est beatitudo æterna, secũdùm quod est possibilis haberi per diuinum auxilium, tamquam agens principale inducens ad beatitudinem. *2. 2. q. 17. art. 1. 2. & 4. & qu. 18. art. 2.*

2. *Quomodo est licitum sperare in homine?*

LIcitum est sperare in homine, tamquam agente secundario, & instrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcumque bona consequenda ad beatitudinem ordinata, & hoc modo ad Sanctos conuertimur, & ab hominibus etiàm aliqua petimus. *ead. quest. art. 4.*

QVÆSTIO XVI.

De Subiecto spei.

Quomodo spes est in voluntate?

SPes est in voluntate, sicut in subiecto, quia obiectum spei est bonum Diuinum, quod est obiectũ voluntatis. 2. 2. qu. 18. art. 1.

2. *Cur in Beatis non est spes?*

IN Beatis non est spes, quia obiectum spei est futura beatitudo; Beati autem fruuntur beatitudine. Vndè Apostol. ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat? ead. quest. art. 2.*

3. *Quare in Christo non fuit spes?*

CHristus quamuis beatitudinem corporis sperare potuisset, quia erat passibilis, & mortalis: non tamen habuit virtutem spei, quia spes secũdùm quod est virtus Theologica, non respicit beatitudinem corporis, sed beatitudinem animæ, quæ in diuina fruitione consistit. Christus autem ab instanti suæ conceptionis plenè habuit fruitionẽ diuinam. *ead. qu. art. 2. ad 1. & 3. par. q. 7. art. 4. & ad 2.*

QVÆSTIO XVII.

De Dono timoris, quod respondet fidei.

1. *Quomodo timor diuiditur in filialem, seruilem, initialem, & mundanum?*

TImor conuenienter diuiditur in filialẽ, seruilẽ, initialẽ, & mũdanum, siuè humanum, qui differunt specie; Filialis enim est, quando aliquis cõuertitur ad Deum, & ei inhæret propter timorem culpæ, quia filiorum est timere offensam patris. Seruilis, quando propter timorem pœnæ: Initialis, quando propter timorem culpæ, & pœnæ, qui competit statui incipientium: Mundanus est, quando aliquis auertitur à Deo propter timorem amittendi bona exteriora; Humanus pro eodem computatur, quando propter timorem amittendi incolumitatem proprij corporis *2. 2. q. 19. art. 2. & ad 5. & 3. sent. dist. 34. qu. 2. art. 1. qu. 1.*

2. *Quomodo timor est donum Spiritus Sancti?*

TImor humanus non est donum Spiritus Sancti; hoc enim timore Petrus negauit Christũ; nec timor seruilis, licèt sit à Spiritu Sancto; quia potest habere annexam voluntatem peccandi. Dona autem Spiritus Sancti, non possunt esse cũ voluntate peccati, quia non sunt sine charitate. Timor autem filialis est donum Spiritus Sancti, quia per ipsum, Deum reueremur, & ei subijcimur. *ead. q. art. 9.*

QVÆSTIO XVIII.

De Desperatione.

Quomodo desperatio est peccatum?

DEsperatio non solùm est peccatum, sed aliorum peccatorum principium; quia per desperationem homines in peccata inducuntur: motus enim desperationis conformiter

formiter se habet ad opinionem falsam de Deo, quod peccatori pęnitenti veniam deneget, vel quod peccatores ad se non conuertat per gratiam iustificantem. Et propter hoc homines irrefrenantes in vitia labuntur. Vnde Apost. de quibusdam dicit ad Ephes. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ, & auaritiæ* 2. 2. *qu.* 20. *art.* 1.

QVÆSTIO XIX.

De Præsumptione.

1. *Quomodo præsumptio est peccatum?*

PRæsumptio est peccatum, quia conformiter se habet ad falsam opinionem de Deo, sicut & desperatio: Sicut enim falsum est, quod Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quod peccantes ad se non conuertat, ita falsum est, quod in peccato perseuerantibus veniam largiatur; minus tamen peccatum est, quàm desperatio, quia magis propriũ est Deo misereri, & parcere, quod ei conuenit secundũm se, quàm punire, quod conuenit ei secundũm nostra peccata. 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 2.

2. *Quando peccare sub spe veniæ auget peccatum?*

PEccare sub spe veniæ cum proposito perseuerandi in peccato, ad præsumptionem pertinet, & hoc auget peccatum. Peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, non est præsumptionis, nec auget, sed minuit peccatum, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. *ead. q. art.* 2. *ad* 3.

Vnde colligit Caiet. vulgarem errorem putantium, quod peccans sub prætextu, quod post confitebitur, & faciet pœnitentiam, magis peccet.

QVÆSTIO XX.

De Charitate.

1. *Quomodo charitas est amicitia?*

CHaritas est amor amicitiæ hominis ad Deum, quia ad amorem amicitiæ requiritur mutuus amor fundatus super aliqua communicatione, vel sanguinis, vt inter consanguineos; vel militiæ, vt inter milites, & huiusmodi; Charitas autem est mutuus amor hominis ad Deum, fundatus super communicatione æternæ beatitudinis, de qua quidem communicatione dicitur 1. ad Corinth. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societate Filij eius.* 2. 2. *q.* 23. *art.* 1.

2. *Quomodo charitas causatur in nobis ex infusione gratiæ?*

CHaritas inest nobis per infusionem gratiæ, quia excedit naturam potentiæ voluntatis, est enim amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicationem beatitudinis æternæ, vt dictum est. Hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundũm dona gratuita; quia vt dicitur Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna.* Vnde ad actum charitatis requiritur aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali, scilicet gratia,

 incli-

inclinans ipsam ad charitatis actum, & faciens eam promptè, & delectabiliter operari. *ead. q. art. 2. & q. 24. art. 2. & 3. cont. gent. cap. 151.*

3. Quomodo charitas est vita animæ?

DEus est vita effectiuè, & animæ per charitatem, & corporis per animam; sed formaliter charitas est vita animæ; sicut & anima corporis. Et ideo sicut anima immediatè vnitur corpori, ita charitas animę. *ead. q. art. 2. ad 2.*

4. Quomodo charitas est excellentior fide, & spe?

CHaritas est excellentior fide, & spe, vt dicitur 1. ad Cor. 13. *Maior horum est charitas*; quia obiectum fidei, & spei est Deus secundùm quod ex ipso prouenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni: obiectum verò charitatis est Deus in seipso. Semper autem id, quod est in se, maius est eo, quod est per aliud. *ead. q. art. 6.*

QVÆSTIO XXI.

De Subiecto charitatis.

1. Quomodo charitas est in voluntate?

CHaritas est in voluntate sicut in subiecto, quia obiectum charitatis est bonum Diuinum; hoc autem est obiectum voluntatis. 2. 2. q. 24. *art. 1.*

2. Quomodo charitas augetur?

CHaritas vitæ potest augeri, inquantum Deo magis appropinquamus mentis affectibus; quia per ipsam mens Deo vnitur. Non augetur autem per additionem, ita quod charitas addatur charitati; sed augetur per solam intensionem subiecti, inquantum scilicet anima magis, ac magis participat charitatem. *ead. q. art. 4. & 5. & 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 2. & Quodl. 9. art. 13.*

3. Cur charitas non augetur quolibet actu charitatis?

NOn quolibet actu charitatis charitas augetur, sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, inquantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterùm ad agendum secundùm charitatem, & dispositione crescente, homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quousque conetur ad charitatis augmentum, & tunc charitas augetur in actu; sicut contingit in animalibus, & plantis, in quibus ex Arist. sententia, augmentum corporale non est motus continuus, ita quod continuè aliquid augeatur, sed per aliquod tempus natura operatur, disponens ad augmentum, & postea in actu auget ipsum animal, vel plantam. *ead. q. art. 6. & 1. sent. vbi sup. art. 3.*

4. Quomodo charitas in hac vita potest semper augeri?

CHaritas in hac vita potest semper augeri. Primò quidem ex parte charitatis, quia est participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sanctus. Secundò ex par-

parte agentis, scilicet Dei, qui est infinitæ virtutis. Tertiò ex parte subiecti, quia semper charitate crescente, supercrescit habilitas ad maius augmentum. *ead. q. art. 7. & 1. sent. vbi sup. art. 4.*

5. Quomodo charitas in hac vita potest esse perfecta?

CHaritas in hac vita non potest esse perfecta ex parte diligibilis, quia ex parte diligibilis charitas est perfecta, vt diligatur Deus quantùm diligibilis est: Deus autem infinitè diligibilis est, quia est infinitè bonus, & ideo nulla creatura, quę virtutem habet finitam, potest sic eum diligere. Ex parte verò diligẽtis charitas potest esse perfecta in hac vita, vt aliquis diligat Deum quantùm potest, vel deputando studium suum ad vacandum Deo, & rebus diuinis, prætermissis alijs, nisi quantùm necessitas præsentis vitæ requirit, & ista perfectio non est communis omnibus habentibus charitatem: vel ponendo habitualiter totum cor suum in Deo, ita quod nihil cogitet, vel velit, quod diuinæ dilectioni sit contrarium, & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus. *ead. q. art. 8. & 3. sent. dist. 27. q. 3. art. 4. & opusc. 18. cap. 3.*

6. Quare perfectio charitatis patriæ est impossibilis in hac vita?

PErfectio charitatis patriæ non est possibilis in hac vita, neque ex parte obiecti, neque ex parte subiecti. Non ex parte quidem obiecti, quia obiectum charitatis viæ est Deus mouens voluntatem ad amandum per cognitionẽ fidei: sed obiectum voluntatis patriæ est Deus mouens voluntatem per apertam visionem suæ essentiæ. Neque ex parte subiecti, quia huiusmodi perfectio consistit in hoc, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, quod in hac vita impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem. *ead. q. art. 7. ad 3. & art. 8. & 3. sent. vbi sup. & opusc. 18. cap. 4.*

7. Quot sunt gradus charitatis?

GRadus charitatis assignantur tres, secundùm diuersa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Primus est incipientium, quibus incumbit principale studium, vt recedant à peccato, & resistant concupiscentijs eius. Secundus est proficientium, qui debent intendere ad hoc, quòd in bono proficiant. Tertius est perfectorum, ad quos pertinet studium, vt Deo inhæreant, & eo fruantur: & isti sunt, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo. *ead. q. art. 9. & 3. sent. dist. 29. art. 8.*

8. Cur charitas non potest diminui?

CHaritas non potest diminui, quia diminueretur à Deo, vel à peccato; sed à Deo non potest diminui, sed tantum subtrahi in pœnam peccati: neque potest diminui à peccato, quia diminueretur vel effectiuè, vel meritoriè: Neutro autem modo peccatum mortale diminuit

nuit charitatem, sed totaliter corrumpit ipsam; effectiuè quidem, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati; meritoriè etiam, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, meretur, vt Deus ei subtrahat charitatem. Similiter etiam nec peccatum veniale potest charitatem diminuere, neque effectiuè, neque meritoriè. Non quidem effectiuè, quia ad ipsam charitatem non attingit: charitas enim est circa vltimum finem: peccatum autem veniale est quædam inordinatio circa ea quæ sunt ad finem. Neque peccatum veniale diminuit charitatem meritoriè, quia qui delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Et ideo, qui inordinatè se habet circa ea, quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad vltimum finem. *ead. q. art.* 10. *&* 1. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5. *&* *q.* 7. *de malo art.* 2.

9. *Quomodo per vnum actum peccati mortalis, charitas amittitur?*

PEr vnum actum peccati mortalis charitas amittitur, quia charitas dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in ipsa infusione charitatis, sicut Sol in illuminatione aeris; & ideo sicut lumen statim cessaret esse in aere per hoc, quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi Solis, ita etiam charitas statim deficit esse in anima per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur infusioni charitatis à Deo in animam, quod est peccatum mortale. *ead. qu. art.* 12. *&* *q.* 2. *de virt. art.* 13.

QVÆSTIO XXII.

De Obiecto Charitatis.

1. *Quomodo charitas se extendit non solùm ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi?*

HAbitus charitatis non solùm se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi, quia ratio diligendi proximum est Deus: diligimus enim proximum dupliciter. Primò quidem in hoc quod sit in Deo, & sic proximo volumus charitatem, beatitudinem, & alias virtutes. Secundò inquantum habet imaginem Dei, & est beatitudinis capax. Et sic dat aliquis eleemosynam pauperi ex charitate, secundùm Caietanum. Vnde dicitur 1. Ioan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 2. 2. *q.* 25. *art.* 2. *&* *ad* 1. *&* *q.* 44. *art.* 7. *&* 1. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5.

2. *Quomodo homo debet seipsum, & corpus suum ex charitate diligere?*

HOmo debet seipsum ex charitate diligere, inquantum est beatitudinis capax, super cuius communicatione charitas fundatur: sic etiam debet corpus suum diligere ex charitate quantùm ad naturã; corpus enim aliquo modo est particeps beatitudinis, in quantum ex fruitione animæ redundat quædam beatitudo ad corpus. *ead. q. art.* 4. *&* 5. *&* *ad* 2. *&* 3. *sent. dist.* 28. *art.* 7.

3. *Quare boni verè diligunt seipsos, non autem mali?*

PEccatores non verè diligunt seipsos, quia æstimant principale in seipsis naturam sensitiuam, & corporalem; & ideo non rectè cognoscentes seipsos, non verè seipsos diligunt, sed diligunt id, quod seipsos esse reputant. Boni autem, quia æstimant principale in seipsis rationalem naturam, rectè cognoscentes seipsos, verè seipsos diligunt. Sunt autem quinque signa veri amoris proprij, qui solis bonis conuenit: Primus est velle partem rationalem conseruari in sua integritate: Secundus velle bona eius spiritualia: Tertius operari bona: Quartus intus delectari, quia ibi inueniunt bonas cogitationes in præsenti, & memoriam præteritorum bonorum, & spem futurorum bonorum, ex quibus delectatio causatur. Quintus est cum voluntate concordare. *ead. q. art. 7.*

4. *Quomodo debemus peccatores ex charitate diligere?*

IN peccatoribus debemus odisse culpam, quod peccatores sunt, etiamsi sit pater, & mater, vt habetur *Lucæ* 14. sed debemus diligere naturam, quod homines sunt, beatitudinis capaces, & hoc est eos verè ex charitate diligere propter Deum. *ead. q. art. 6. & 3. sent. vbi sup. art. 4.*

5. *Quando diligere inimicum, & exhibere ei signa dilectionis est de necessitate charitatis?*

DIligere inimicum in communi quantum ad naturam, est de necessitate charitatis, vt scilicet aliquis diligens Deum, & proximū, ab illa generali dilectione proximi inimicos suos non excludat. Sed in speciali non est de necessitate charitatis, nisi secundùm præparationem animi, vt scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Præter articulum autem necessitatis diligere inimicum in particulari propter Deum, pertinet ad perfectionem charitatis. Similiter exhibere inimico signa dilectionis in communi, est de necessitate charitatis, vt scilicet aliquis orans pro omnibus Fidelibus, vel pro toto populo, vel impendens aliquod beneficiū toti communitati, inimicum non excludat, hoc enim pertineret ad liuorem vindictæ. Sed in particulari exhibere inimico signa dilectionis non est de necessitate charitatis, nisi quando necessitas expeteret quantum ei esset subueniendum, secundùm illud Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: Si sitit, da illi potum:* Etiam quando inimicus veniam peteret, vel se ad familiaritatem ingereret, quia tunc diligit, & inter amicos deputandus est, ita vt sit ei dilectionis signum exhibendum, non quantum ad dimissionem satisfactionis iniuriæ, sed quantum ad dimissionem rancoris. *dist. 90. si quis contristatus, & 23. q. 4. si illic.* Alioquin daretur ei occasio recidiuæ inimicitię, & alijs scandalum secundùm Caietanum. Extra huiusmodi autem casus exhibere inimico signa dilectionis, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non solùm cauet vinci à malo, quod necessitatis

est, sed etiam vult in bono vincere malum, quod est perfectionis. *ead. q. art. 8. & 9. q. 83. art. 8. & 3. sent. dist. 30. art. 2. & ad 5. & q. 2. de virtute art. 8.*

QVÆSTIO XXIII.

De ordine charitatis.

1. *Quare debet homo ex charitate magis diligere Deum, quàm proximum, & seipsum?*

HOmo debet ex charitate magis diligere Deum, quàm proximum, quia amicitia charitatis fundatur super communicationem beatitudinis æternæ, quæ est in Deo, sicùt in primo principio, à quo deriuatur in omnes, qui sunt beatitudinis capaces. Et ideo Deus est maximè ex charitate diligendus: ipse enim diligitur sicut beatitudinis causa; proximus autem diligitur, sicùt & nos ipsi diligimur, tamquam beatitudinem ab eo participantes. *2. 2. qu. 26. art. 2. & 3. & q. 2. de virtute art. 7.*

2. *Quare debet homo ex charitate magis diligere seipsum, quàm proximum?*

HOmo debet ex charitate magis diligere seipsum, quàm proximum, quia seipsum diligit secundùm rationem, qua est particeps beatitudinis: proximum verò secundùm rationem societatis in ipsa beatitudine. Maior autem ratio dilectionis est, quod homo participet beatitudinem, quàm quod alius associetur sibi in hac participatione; & huius signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato. Non obstat, quod tenetur homo ex præcepto charitatis diligere proximum, sicut seipsum, quia hoc non est intelligendum sibi æqualiter, vt infra dicetur, sed sibi similiter, *ead. q. art. 4. & q. 2. de virt. vbi sup.*

3. *Quare debet homo ex charitate magis diligere proximum, quàm corpus proprium?*

HOmo debet ex charitate magis diligere proximum, quam proprium corpus, quantùm ad salutem animæ; quia consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio dilectionis proximi, est maior ratio, quàm participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio dilectionis proprij corporis. Non debet tamen proprium corpus exponere pro salute spirituali proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti prouidere. *ead. q. art. 5. & ad 3. q. 2. de virt. vbi sup.*

4. *Quomodo vnus proximus est magis diligendus, quàm alius?*

VNus proximus est magis diligēdus, quàm alius, non solùm quantùm ad effectum, sed etiā quantùm ad affectum, ita scilicet, vt ad eos intensiorem charitatis affectū habeamus, qui sunt nobis propinquiores, vel Deo propter maiorem bonitatem; quia principium dilectionis est Deus, & ipse diligens. *ead. q. art. 6. & ad 2.*

5. *Quare meliores sunt magis ex charitate diligendi?*

MEliores sunt magis ex charitate diligendi secundùm rationem dilectionis, quæ est Deus, quia sunt Deo coniunctiores, sed nobis propinquiores intensiori affectu diliguntur secundùm rationem diligentis. *ead q. art. 7. & ad 3.*

6. *Quomodo spiritualiter coniuncti sunt magis diligendi?*

SPiritualiter coniuncti sunt magis diligendi, quantùm ad beneficia spiritualia, in his enim magis debet homo subuenire filijs spiritualibus, quos spiritualiter genuit, quàm filijs corporalibus, quibus tenetur magis prouidere in corporalibus. *ead. q. art. 8. ad 2.*

Hinc colligit Cait. quod orationum suffragia magis sunt impendenda coniunctis spiritualiter, quàm carnaliter.

7. *Quare homo ex charitate debet magis diligere patrem, quàm filium, vel vxorem?*

HOmo debet ex charitate magis diligere patrem, quàm filium, secundùm rationem boni, quia diligit patrem sub ratione principij, quod habet rationem eminentioris boni, sed debet magis diligere filium secundùm rationem coniunctionis, quia filius est coniunctior patri; est enim quædam pars patris. Similiter etiam debet homo ex charitate magis diligere patrem, quàm vxorem, secundùm rationem boni; sed debet magis diligere vxorem, secundùm rationem coniunctionis, quia vxor coniungitur viro, vt vna caro. Et ideo intensiùs diligitur vxor, sed maior reuerentia est parentibus exhibenda. *ead. q. art. 9. & 11.*

8. *Quare homo magis debet diligere patrem, quàm matrem?*

HOmo, per se loquendo, debet magis diligere patrem, quàm matrem, quia pater habet excellentiorem rationem principij, quàm mater; pater enim est principium actiuum, mater verò passiuum. *ead. q. art. 10.*

QVÆSTIO XXIV.

De actu charitatis.

Quare est magis meritorium diligere inimicum, quàm amicum;

DIlectio inimici ex parte rationis dilectionis est magis meritoria, quàm dilectio amici. Primò quidem, quia ratio dilectionis inimici est solus Deus; dilectionis autem amici potest esse alia ratio, quàm Deus. Secundò, quia præsupposito, quod vterque propter Deum diligatur, tantò ostenditur dilectio Dei esse fortior ex dilectione inimici, quantò propter diuinam dilectionem difficiliora implemus. Dilectio autem amici est magis meritoria ex parte eius, qui diligitur, si propter Deum diligatur, quia amicus,

&

& melior est, & magis coniunctus. 2. 2. q. 27. art. 7. & ad 1.

QVÆSTIO XXV.

De Beneficentia.

1. *Quando magis coniunctis est magis benefaciendum?*

MAgis coniunctis magis est benefaciendum simpliciter loquendo. Coniunctio autem vnius hominis ad alium attéditur secundùm diuersa, in quibus sibi inuicem homines communicant, vt consanguinei in naturali communicatione, conciues in ciuili, Fideles in spirituali, & sic de alijs, & secundùm diuersas coniunctiones sunt diuersimodè diuersa beneficia dispensanda: in aliquo tamen casu extraneis, vel minùs coniunctis est magis subueniendum. Si enim extraneus sit in extrema necessitate, magis est ei subueniendum, quàm etiam patri non tantam necessitatem patienti. Intelligendum est enim, quod magis coniunctis magis est cęteris paribus benefaciendum: In articulo etiam extremæ necessitatis magis licet deserere filios, quàm parentes, quos nullo modo delerere licet, propter obligationē beneficiorum susceptorum. 2. 2. q. 31. art. 3. & ad 1. & 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 6. q. 2.

2. *Quomodo subueniendum est peccatoribus excommunicatis, & hostibus.*

SVbueniendum est peccatoribus ad sustentationem naturæ, non autem ad fomentum culpæ: hoc enim non esset benefacere, sed potiùs malefacere. Similiter excommunicatis, & Reipublicæ hostibus, est benefaciendum ad sustentationem naturæ, debito tamen modo, puta ne fame, vel siti moriantur, nisi secundùm ordinem iustitiæ patiantur. *ead. q. art. 2. ad 2. & 3. & 4. sent. vbi supra art. 6. q. 1.*

QVÆSTIO XXVI.

De Eleemosyna.

1. *Quomodo dare eleemosynam est actus charitatis?*

DAre eleemosynam materialiter, hoc est prẹter ordinem ad Deū, est sine charitate, secundùm illud 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Formaliter autem dare eleemosynas, hoc est propter Deum promptè, & delectabiliter, & omni eo modo, quo debet, est actus charitatis, quia motiuum ad dandum eleemosynam est, vt subueniatur necessitatem patienti propter Deum. Vnde definitur, quod est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. 2. 2. q. 32. art. 1. ad 1.

2. *Quando dare eleemosynam cadit sub præcepto?*

DAre eleemosynam cadit sub pręcepto ex parte dantis, & ex parte recipientis. Ex parte quidem dantis, cum habet superflua, quæ secundùm conditionem, & statum

tum propriæ personæ, & aliorum, quorum cura sibi incumbit, non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest, secundùm illud Luc. 2. *Quod superest, date eleemosynam* Ex parte autem recipientis dare eleemosynam est in præcepto, cum apparet euidens, & vrgens necessitas alicuius, qui sibi satisfacere non potest, nec apparet in promptu, quomodo ei possit aliter subueniri. Non enim expectanda est vltima necessitas, quia tunc fortè non posset iuuari, natura iam fame, vel siti consumpta: Si autem in promptu appareat quomodo aliter ei subueniri possit, vel per personam magis coniunctam, vel maiorem facultatem habentem, vel per seipsum, non tenetur aliquis ex necessitate ei subuenire: tenetur enim ipse manibus operari, cuiuscunque sit conditionis. Et hoc significant verba Apost. *Qui non vult operari, nec manducet. ead. q. art. 5. & ad 3. & art. 6. & q. 71. art. 1. & q. 187. art. 3. & 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 1. q. 3. & ad 4.*

3. *Quando dare eleemosynam de necessario cadit sub præcepto.*

Dare eleemosynam de necessario ad sustentationem vitæ propriæ personæ, & aliorum, quorum cura sibi incumbit, quod dicitur necessarium simpliciter, non cadit sub præcepto, quia hoc esset sibi, & suis vitam subtrahere, nisi fortè præponderaret necessitas alicuius magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, quia pro talis personæ liberatione, seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum. Neque etiam dare eleemosynam de necessario ad sustentationem vitæ alicuius personæ secundùm decentiam status sui, & suorum, quod dicitur necessarium personæ, cadit sub præcepto, sed sub consilio, nisi occurreret aliqua magna necessitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ, vel etiam extrema, vel grauis necessitas alicuius priuatæ personæ, quod patet *Matth.* 26. vbi damnatur homo, quia non succurrit etiam extra extremam necessitatem, cum dicitur. *Ite maledicti in ignem æternum, quia sitiui, & non dedistis mihi bibere, esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Iudicatur autem necessarium naturæ non solùm respectu præsentis status, sed etiam respectu periculorum, quæ probabiliter, vt in pluribus possunt euenire, sicut infirmitas, penuria rerum, & similia. Similiter dijudicatur necessarium personę respectu præsentis, & futuri status, sicut cum quis indecenter manet in aliquo statu, & ipsum mutare vult. *2. 2. qu. 31. art. 3. ad. 3. & qu. 32. art. 5. ad. 3. & art. 6. & 4. sent. vbi supra art. 1. quest. 3. art. 4.*

4. *Quando tenetur aliquis dare eleemosynam pauperi petenti?*

Habens superfluum, & respectu naturæ, hoc est sustentationis vitæ sui, & suorum, & respectu personæ, hoc est decentiæ status, tenetur dare eleemosynam petenti, si videat in eo euidentia

signa

signa extremæ necessitatis, & peccat non dando si vero huiusmodi signa non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti, quia non tenetur superfluum omnibus dare, nec huic, sed secundùm quod sibi visum fuerit opportunum: nec tenetur inquirere pauperes indigentes, quibus subueniat, quia hoc esset nimis graue; sed sufficit, si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat, quia ad eum, qui necessitatem patitur, pertinet, vt necessitatem suam exponat. 2. 2. *qu.* 66. *art.* 7. *&* *qu.* 71. *art.* 1. *&* *Quodl.* 8. *art.* 12.

5. Quando de illicitè acquisitis potest fieri eleemosina?

NOn potest fieri eleemosyna de illicitè acquisitis, quæ non possunt ab eo retineri, qui acquisiuit, sed debentur ei, a quo sunt acquisita, sicut contingit in rapina, in furto, & vsuris; Sed potest fieri eleemosyna de illicitè acquisitis, quę ab eo, qui acquisiuit, retineri non possunt, nec debentur ei, à quo acquisiuit, quia ille contra iustitiam diuinæ legis accepit, & iste contra eamdem iustitiam dedit, vt contingit in simonia. Potest etiam fieri eleemosyna de illicitè acquisitis, quæ retineri possunt ex eo, quod ipsa acquisitio non est illicita, sed id, ex quo acquiritur, est illicitum, vt patet de acquisitis per meritricium, quod propriè vocatur turpe lucrum. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 7. *&* *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 2. *&* 4 *sent. vbi sup. art.* 4. *quest.* 1. *&* 2.

6. Quando de re aliena licitum est eleemosynam dare?

LIcitum est de re aliena, vel furto sublata, vel mutuo accepta, vel deposita, elemosynam dare extremam necesitatem patienti; nisi fortè, & ille, cui res debetur, in simili necessitate esset; in quo casu pésanda esset vtriusq; conditio secundùm alias conditiones requisitas prudentis iudicio. Si tamen fieri potest sine periculo, debet tali pauperi prouideri, requisita domini voluntate. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 3. *ad.* 3. *&* *qu.* 32. *art.* 7. *ad.* 3. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 4. *quest.* 1. *ad* 2.

7. Quomodo ille, qui est sub potestate constitutus, potest eleemosynam facere?

ILle, qui est sub potestate constitutus, non potest eleemosynam facere de re, secundùm quam potestati superioris subijcitur, nisi inquantnm ei à superiore fuerit commissum, quia quantùm ad hoc non est sui iuris. Vndè monachus si habet dispensationem sibi à Prælato commissam, vel de rebus monasterij, vel de eleemosynis sibi particulariter datis, potest de eis eleemosynam facere, secundùm quod est sibi commissum: Si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, non potest dare eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expressa, vel probabiliter præsumpta, nisi in articulo extremæ necessitatis, vel absente Abbate, aliquam modicam sub spe ratihabitationis. Similiter

vxor, si habet alias res, præter dotem, quæ ordinatur ad sustentandũ onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, scilicet per donationem, vel hęreditatem, tunc potest dare eleemosynas sine consensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur, alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri expresso, vel præsumpto, nisi aliquas communes, & modicas, de quibus satis ei constare potest, quod viro placeret, si necessitatem pauperis inspiceret. Filius etiam familias non potest facere eleemosynam sine consensu patris, nisi aliquam modicam, de qua potest præsumere, quod patri placeat, nisi fortè alicuius rei esset sibi à patre dispensatio commissa, vel haberet officium publicum, sicut notarius, aduocatus, iudex, medicus, & huiusmodi; vel haberet beneficium ecclesiasticum, vel bona castrensia: & idem dicendum est de seruis 2. 2. *qu. 32. art. 7. 8. & ad. 1. 2. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 5. & qu. 1. 2. & 3. Quodl. 3. art 15.*

8. *Qoando propinquioribus est magis eleemosyna facienda?*

PRopinquioribus est magis eleemosyna facienda, cęteris paribus; nam sanctiori magis necessitatem patienti, & magis vtili ad commune bonum, est magis eleemosyna facienda, quàm personæ propinquiori, maximè si non sit multum coniuncta, cuius cura specialis nobis immineat, & si magnam necessitatem non patiatur. *ead. q. art. 9. & 4. sent. vbi sup. ar. 6. q. 2.*

9 *Quare eleemosyna non semper debet dari minùs indigenti meliori?*

ELeemosyna non debet dari minùs indigenti meliori, si indigentia ex parte altera nimis excedat, quia eleemosynarum largitio ad necessitatẽ proximi subleuandam Diuinitùs instituta est. *4. vbi sub. art. 6. quæst. 2. ad 1. & qu. 3. art. 1.*

10. *Quomodo aliquis potest sibi eleemosynam facere?*

NVllus potest sibi facere eleemosynam, nisi fortè ex persona alterius; sicut cum aliquis ponitur distributor eleemosynarum, si indigeat, potest tantùm sibi accipere, quantùm sibi similibus ministrat sine fraude 2. 2. *q. 32. art. 9. ad. 3. & 4. sent. vbi sup. art. 6.*

QVÆSTIO XXVII.

De Fraterna correctione.

1 *Quomodo fraterna correctio est actus charitatis?*

DVplex est correctio: vna, quæ adhibet remedium peccato, inquantum est in malum ipsius peccantis; & hæc est propriè fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem peccantis, & est actus charitatis; quia per eam remouetur peccatum fratris, cuius remotio magis pertinet ad charitatem, quàm remotio exterioris damni, vel etiam cor-

po-

poralis nocumenti, cum bonum virtutis, quod contrariatur peccato, magis competat charitati, quàm bonum corporis, vel exteriorum rerum. Vnde fraterna correctio est magis actus charitatis, quàm curatio infirmitatis corporalis, vel subuentio, qua remouetur exterior egestas. Alia verò correctio est, quæ adhibet remedium peccato, inquantum est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni, & hæc est actus iustitiæ. 2. 2. *q. 33. art. 1.*

2. *Quando correctio fraterna cadit sub præcepto?*

Correctio fraterna cadit sub præcepto affirmatiuo, quod non obligat ad semper, sed pro loco, & tempore. Hoc autem est, cum corripiens scit peccatum, secundum illud Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, hoc est, te sciente, & delinquens occurrit corripienti, & corripi potest commodè, & speratur emẽdatio, & non est alius, cui ex officio incumbat corrigere, vel ille, cui incumbit, negligens apparet ad corrigendum subditum. Vnde omissio fraternæ correctionis est peccatum mortale, quando aliquis probabiliter præsumit, quod delinquens, qui sibi occurrit, posset emendari; & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit. Si autem timor, vel cupiditas tardiorem reddit hominem ad corrigendum delicta fratris, non tamen ita, quod, si sciret, quod frater posset amendari, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, omissio fraternæ correctionis est peccatum veniale. *ead. q. art. 2. & ad 3. & 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 2. ad 3. & q. 3. de virtute art. 1.*

3. *Quando cessandum est à correctione fraterna?*

Correctio, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam, non est dimittenda propter timorem, ne ille, qui corrigitur, deterior efficiatur; tùm quia si sponte emendari non velit, cogendus est per pęnas, vt peccata dimittat, tùm etiam, quia si incorrigibilis sit, per hoc prouidetur bono communi, dum seruatur ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur. Sed correctio fraterna, quæ ordinatur ad emendationem peccantis per simplicem admonitionem, est dimittenda, vbi huiusmodi timor probabiliter æstimatur, quia est impeditiua finis, scilicet emendationis fratris. *ead. q. art. 6. & ad 3.*

4. *Quomodo correctio pertinet ad Prælatos?*

Correctio, quæ est actus charitatis, & specialiter ordinatur ad emendationem fratris delinquentis, per simplicem admonitionem pertinet ad quemlibet charitatem habentem, siuè sit subditus, siuè Prælatus. 24. *q. 3. tàm Sacerdotes.* Diuersimodè tamen, quia ad subditum pertinet corrigere in casu, quãdo scilicet ei occurrit deliquens: Prælato verò incumbit hoc ex officio: & ideò non debet expectare, quod ei delinquens occurrat, sed tenetur so-

li-

licitudinem gerere, vt eum inquirat, ad hoc, quod eum de peccato corrigat. Correctio autem, quæ est actus iustitiæ, & ordinatur ad bonum cómune, habens vim coactiuam, pertinet ad solos Prælatos, qui non solùm debent admonere, sed etiam corrigere puniendo. *ead. q. art. 2. ad 4. & 4. sent. vbi sup.*

5. *Quomodo Prælati debent corrigere multitudinem peccantium?*

PRælati secundùm Aug. *epist.* 64. non asperè, non modo imperioso debent agere cum multitudine peccantium; magis docendo, quã iubendo, magis monendo, quàm minando. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum. Si autem speratur multorum correctio, debet seueritas exerceri in aliquos paucos principales, quibus punitis, cęteri terreantur; sicùt Num. 25. *Dominus mandauit suspendi populi principes pro peccato multitudinis.* Hoc autem intelligendum est, quando ex dissimulatione peccati multitudinis maius periculum non timetur, quàm ex pęna. Vnde si ex impunitate multitudinis, fides, & doctrinæ veritas, & boni mores corrumpantur, non parcendum est multitudini, quod præcipuè contingit, quando peccantes suum peccatum auctoritate, aut potestate defendere moliuntur. Et eadem ratio est de Principe, quem sequitur multitudo; tolerandum enim est peccatum eius, si sine scandalo multitudinis puniri non posset, nisi fortè esset tale peccatum Principis, quod magis noceret multitudini, vel spiritualiter, vel temporaliter, quàm scandalum, quod exindè oriretur. 2. 2. 108. *art.* 1. *ad* 5. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 1.

6. *Quomodo subditi debent Prælatos corrigere?*

IN correctione fraterna, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia, & duritie, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigantur. Vnde Apost. dicit 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 4. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 2.

7. *Quomodo peccator potest corrigere delinquentem?*

PEccator, etiam notorius, potest delinquentem cum humilitate corripere, non per modum corripientis, sed per modum rogantis. Per peccatum tamen præcedens, impedimẽtum quoddam correctioni affert. Primò quidem, quia ex peccato præcedenti indignus redditur, vt alium corrigat, & præcipuè si maius peccatum commisit. Secundò propter scandalum, quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis fit manifestum, quia videtur, quod ille non corrigat ex charitate, sed magis ad ostentationem. *ead. qu. art.* 5. *&* 4. *sent. vbi sup. q.* 1.

8. *Quando in fraterna correctione debet secreta admonitio præcedere publicam denunciationem?*

IN fraterna correctione secreta admonitio debet præcedere publi-

blicam denunciationem, iuxta præceptum Domini, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum*, quia ille, qui procurat emendationem fratris, debet sic tendere ad reparationem conscientię, vt conseruetur fama, quæ quidem est vtilis; Primò ipsi peccanti, non solùm in temporalibus, in quibus homo patitur detrimentum amissa fama, sed etiam quantùm ad spiritualia, quia per timorem infamiæ multi à peccato retrahuntur. Secundò fama est vtilis alijs; tùm quia vno infamato alij infamantur: tùm etiam, quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccandum. Si autem peccator non emendatur, debet sic negligi fama, vt conscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur. Debet autem secreta admonitio præcedere publicam denunciationem peccatorum, si sint peccata occulta, quæ solùm sunt in malum peccantis. 2. q. 2. *peccauerit*. Si verò sint in corruptionem multitudinis corporalem, vel spiritualem; puta si aliquis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat; vel si sint in damnum alterius, sicut furtum, vel homicidium, oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi mala impediantur, nisi fortè aliquis firmiter æstimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. Si autem sint peccata publica, sunt denuncianda ei, qui potestatem habet corrigendi, vt qui sunt scandalizati de culpa, ædificentur de pœna. Vnde dicit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cęteri timorē habeant*. Quod intelligit de peccatis publicis. *ead. q. ar. 7. & q. 70. ar. 1. ad. 2. & 4. sent. vbi sup. ar. 2. & ad. 2. & q. 1. ad. 1. & Quodl. 11. ar. 12. & q. 3. de virt. ar. 2.*

9 *Quādo licitum est denuntiare Prælato, non præmissa secreta admonitione?*

SI aliquis statim denuntiet Prælato peccatum proximi, vt emendetur, considerans, quod per Prælatum meliùs corrigatur, dummodo Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens odium aduersus subditum illum, & denuncians probabiliter præsumat, quod subditus benè ferat verba Prælati, tunc denuntiando non peccat, nec dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei, sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendationem. Si autem denunciet hoc ex malitia, vt proximus confundatur, vel deprimatur, peccat mortaliter. Si autem referat Prælato, vel alteri ex incautela, ita tamen quod non proueniat inde infamia, vel vituperium, non peccat mortaliter. *Quodl. 2. art. 13. & ad. 1. & 3.*

10. *Quando post secretam admonitionē procedendū est ad testium inductionē?*

POst secretam admonitionem semel, vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de emendatione, per secretam admonitionem procedendum est: Si autem probabiliter iam cognoscere possumus, quod secreta admonitio non valeat, procedendū est vlterius, quantumcumque sit peccatum occultum,

ad

ad testium inductionem, secundùm ordinem Euangelij, nisi fortè æstimaretur probabiliter, quod ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur, quia sic esset totaliter à correctione cessandum. Inducuntur autem testes ad conuincendum peccantem de actu, si iteretur, secundum Augustin. vel ad testificandum, quod frater admonens fecit, quod in se fuit, vt Chrysost. dicit. *ead. q. art. 8. ad. 1. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1. & q. 3. de virt. art. 2. ad 2.*

QVÆSTIO XXVIII.

De Odio, quod opponitur dilectioni charitatis.

1. *Quomodo Deus potest odio haberi?*

DEus in quantum apprehenditur secundùm seipsum, hoc est secundùm suam essentiam, quæ est ipsa bonitas, non potest odio haberi, quia de ratione boni est, vt ametur: & ideo impossibile est, quod aliquis videns Deum per essentiam, eum odio habeat. Neque potest Deus odio haberi in quantum apprehenditur vt causa aliquorum effectuum, qui nullo modo possunt esse contrarij voluntati humanæ, sicut esse, viuere, & intelligere, quod est appetibile, & amabile omnibus: Sed potest odio haberi in quantum apprehenditur vt causa aliquorum effectuum, qui repugnant voluntati deprauatæ per peccatum, sicut inflictio pœnę; & etiam cohibitio peccatorum per legem Diuinam. *2. 2. q. 34. art. 1.*

2. *Quomodo odium Dei est maximum peccatorum?*

ODium Dei inter alia peccata est grauius. Primò quidem, quia opponitur dilectioni Dei; in qua consistit optimum hominis: optimo autem opponitur pessimum. Secundò, quia ratio culpæ consistit in voluntaria auersione à Deo, cum autem aliquis odit Deum, voluntas eius secundùm se à Deo auertitur. Sed in alijs peccatis, puta cum aliquis fornicatur, non auertitur à Deo secundùm se, sed secundùm aliud, in quantum scilicet appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam auersionem à Deo. Semper autem id quod est per se, potius est eo, quod est secundùm aliud. *ead. q. ar. 2.*

3. *Quomodo odiũ proximi est peccatum?*

ODium proximi est peccatum, si in ipso odio habetur natura, & gratia, quam à Deo habet. Si autem in proximo odio habetur culpa, quã habet à se ipso, & Diabolo, hoc pertinet ad eius amorem; Eiusdem enim rationis est, quod aliquis velit bonum alicuius, & quod oderit malũ ipsius. *ead. q. art. 3.*

4. *Quomodo interius odium est grauissimum peccatorum, quæ in proximum committuntur?*

GRauius est interius odium, quàm exteriora peccata, quæ sunt in proximi nocumentum, quantum ad deordinationem voluntatis, ex qua est radix peccati. Vnde si quid culpæ est in exterioribus peccatis, quæ contra proximum committuntur, totum est ex interiori odio,

vt patet de homicidio, quod non est peccatum, nisi ex interiori odio: Et ideo, si homo occidatur à iudice sine odio, non est homicidium. Quantum verò ad nocumentum, quod proximo infertur, grauiora sunt exteriora peccata, quàm interius odium *ead. q. ar. 4.*

QVÆSTIO XXIX.

De Accidia, quæ opponitur gaudio charitatis.

1. *Quomodo accidia est peccatum?*

ACcidia est peccatum, quia est tristitia de verè bono, quod est bonum spirituale proprium, & sic est secundùm se mala. Est etiam tristitia de verè malo, si sic aggrauet hominem, vt eum totaliter à bono opere retrahat, & sic est mala secundùm effectum. Vnde Apost. 2. *Corinth.* 2. non vult, vt pœnitens maiori tristitia de peccato absorbeatur. 2. 2. *qu.* 35. *art.* 1.

2. *Quomodo accidia est speciale peccatum?*

ACcidia est speciale peccatum, quia est tristitia de bono spirituali Diuino, quod consistit in actu specialis virtutis charitatis Dei: sicut cũ aliquis ita est separatus à Diuino amore; quod tristatur, audiens verba de Deo, vel Diuina gloria, & similibus; Bonum autem Diuinum est tristabile homini, propter contrarietatem carnis ad spiritum, secundùm illud Apost. ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum,* quando affectus carnis in homine dominatur; sicut cibus salubris est tristabilis homini, quando habet gustum infectum: Tristitia autem de bono spirituali, quod consistit in actu singularis virtutis moralis, puta temperantiæ, vel iustitiæ, non est speciale peccatum accidiæ, sed est accidia communiter dicta, habens diuersas species, non vt est actus talis virtutis, sed vt ordinatur ad bonum diuinum; quia omnia spiritualia bona, quæ consistunt in actibus singularum virtutum moralium, ordinantur ad bonum diuinum vt ad finem. *ead. q. art.* 2. & *q.* 11. *de malo art.* 2.

3. *Quando accidia est peccatum mortale?*

ACcidia propriè dicta ex suo genere est peccatum mortale, quia peccatum mortale dicitur, quod spiritualem vitam tollit, quæ est per charitatem, quæ coniungit nos Deo. Accidia autem contrariatur charitati Dei, quia proprius effectus charitatis est gaudium de Deo: accidia autem est tristitia de bono diuino. Non semper tamen motus talis accidiæ est peccatum mortale. Sed si motui accidiæ consentiat ratio in fugam, & horrorem, & detestationem boni diuini, carne contra spiritum omnino præualente, est peccatum mortale. Si vero motus accidiæ præueniat iudicium rationis in sola sensualitate existens propter repugnantiam carnis ad spiritum, tunc propter imperfectionem actus est peccatũ veniale.

Accidia autem communitèr sumpta est peccatum mortale, si sit tristitia de bono virtutis, quod est de necessitate præcepti cum consensu rationis, sicut de obseruantia festorum, de restitutione, de vi-

tanda

tunda fornicatione, de ieiunio, & huiusmodi; & si quis propter illam tristitiam deliberat omittere aliquod praedictum, & eodem tempore ommittit, est unum peccatum. Si verò uno tempore hoc deliberat, & alio ommittit, est duplex peccatum. ead. q. art. 3. & q. 11. de malo art. 3.

QVÆSTIO XXX.

De Inuidia.

1. *Quomodo inuidia est tristitia?*

INuidia est tristitia de bono alterius, quod æstimatur vt malum proprium, inquantum est diminutiuum propriæ gloriæ, quam quis appetit, aut putat se habere. Et ideo illi tantùm inuidentur, qui sunt similes genere, ætate, scientia, gloria, diuitijs, propinquitate temporis, vel loci, & qui parum superant, vel parum deficiunt, vt dicit Arist. in 2. Rhetor. *cap.* 10. Nullus enim, nisi insanus, studet se æquare, vel præferre in gloria his, qui sunt multò eo maiores, vt plebeius homo Regi, vel etiam Rex plebeio, quem multùm excedit. 2. 2. *quæst.* 36. *art.* 1. & *ad* 2.

2. *Quo modo inuidia est peccatum?*

INuidia ex suo genere est peccatum, quia est tristitia de bono alterius, ex eo, quod habet illud bonum: huiusmodi autem tristitia semper est peccatum. Potest enim tristitia de bono alieno quatuor modis contingere, vt tradit Arist. in 2. *Rhetor.* Primò quidem, cum aliquis dolet de bono alicuius, inquantum ex eo imminet periculum alicuius nocumenti, vel sibi ipsi, vel etiam alijs bonis: Et hæc tristitia dicitur timor, quæ potest esse sine peccato, si timetur malum iniustè inferendum. Vnde *Greg.* 22. *Moral. cap.* 11. dicit: Euenire plerumque solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria, sine inuidiæ culpa contristet, cum, & ruente eo, quosdam benè erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus. Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius, non ex eo, quod ipse habet bonum, sed ex eo, quod nobis deest illud bonum, quod ipse habet: & hæc propriè est zelus, siue æmulatio; & si iste zelus sit circa honesta, laudabilis est, secundùm illud 1. ad Corinth. 14. *Æmulamini spiritualia*. Si verò sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato. Est cum peccato (vt dicit Caietanus) quando illud bonum non congruit ei, qui caret illo bono, vt si idiota tristaretur, quia non est Rex. Tertio modo tristatur aliquis de bono alterius, inquantum ille, cui accidit bonum, est eo indignus: & hæc tristitia non potest esse de bonis honestis, sed est de diuitijs, & talibus, quæ possunt prouenire dignis, & indignis: & hæc dicitur indignatio, & semper est peccatum, quia temporalia bona, quæ indignis proueniunt, ex iusta Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem. Vnde huiusmodi tristitia prohibetur in Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*. & in Psal. 72.

Penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Quarto modo aliquis tristatur de bono alterius, in quantum exceditur ab eo in bonis; & hoc propriè est inuidia, & semper est peccatum *ead. q. art. 2. & qu. 10. de malo art. 1.*

3. Quando inuidia est peccatum mortale?

INuidia ex suo genere est peccatũ mortale, quia contrariatur charitati proximi ratione obiecti, quod est bonum proximi: propter imperfectionem tamen actus potest esse peccatum veniale, vel ex parte principij actiui, quia non procedit ex ratione deliberante, que est proprium, & principale principium humanorũ actuum; vel ex parte obiecti propter sui paruitatem, quia homo tristatur de aliquo bono alterius, quod est adeo paruum, quod non videtur esse aliquod bonum, puta si aliquis inuideat alicui simul ludenti, quod vincat in ludo, cum eo currendo, vel aliquod huiusmodi ludicrum faciendo. *ead. qu. art. 3. & q. 10. de malo art. 2.*

DE PECCATIS, QVÆ OPPOnuntur paci; scilicet Discordia, quę est in corde; Contentione, quæ est in ore; Schismate, Bello, Rixa, & Seditione, quæ pertinent ad opus.

QVÆSTIO XXXI.

De Discordia.

Quando discordia est peccatum mortale?

DIscordia est peccatum mortale ex suo genere, si aliquis per se, hoc est, ex intentione dissentit à bono, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi, quia contrariatur charitati, licèt primus motus huius discordiæ propter imperfectionem actus sit peccatum veniale. Si verò per accidens, hoc est, præter intentionem, aliquis dissentit ab huiusmodi bono; sicut eum vnus æstimat hoc esse bonum, alius verò habet contrariam opinionem, tunc discordia non est peccatum, nisi sit eum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis; vel pertinacia indebitè adhibeatur. *2. 2. q. 37. art. 1.*

QVÆSTIO XXXII.

De Contentione.

Quando contentio est peccatum mortale?

COntentio est peccatum mortale, si accipiatur secundùm quod importat impugnationem veritatis ex intentione: Si autem accipiatur contentio secundùm quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum. Vnde dicit Apostolus 2. ad Tim. 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. 2. 2. quæst. 38. art. 1. 3. & 4.*

QVÆSTIO XXXIII.

De Schismate.

1. Quando schisma est peccatũ mortale?

SChisma, quod dicitur à scissura animorum, & directè opponitur

vnit ati

vnitati, est peccatum mortale, si schismaticus ex intentione separat se ab vnitate Ecclesiæ, quæ est vnitas principalis, & attenditur in duobus, scilicet in communicatione membrorum Ecclesiæ ad inuicem, & in ordine ipsorum ad vnum caput, quod est Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex: Et ideo schismatici dicuntur, qui renuunt subesse summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant.

Et si quidem non credunt potestatem Papæ, sunt hæretici; si vero credunt, sunt pure schismatici, & vtrique sunt excommunicati in bulla Cænæ Domini 2. 2. q. 39. ar. 1.

2. *Quare schisma est minus peccatum, quàm infidelitas?*

SChisma est minus peccatum, quam infidelitas; quia illud peccatum ex suo genere est grauius, quod maiori bono contrariatur: Infidelitas autem est peccatum contra Deum, vt est veritas prima, cui fides innititur: Schisma vero est contra Ecclesiasticam vnitatem, quæ est quoddam bonum participatum, & minus, quàm sit ipse Deus. Potest tamen contingere, quod aliquis schismaticus grauius peccet, quàm quidam Infidelis, vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum, vel aliquid huiusmodi. *ead. qu. art. 2.*

QVÆSTIO XXXIV. De Bello.

1. *Quomodo bellum est iustum?*

AD hoc, quod aliquod bellum sit iustum, tria requiruntur: Primò auctoritas Principis indicentis bellum. *23. q. 1. quid culpatur*. Cum enim cura Reipublicæ commissa sit Principibus, ad eos pertinet ciuitatem, vel prouinciam, vel regnum ab hostibus tueri. Principis autem nomine intelligitur Papa, Imperator, Rex, & dominus liber, qui mixtum habet imperium *de verb. signif. super quibusdam*. Secundò requiritur causa iusta, vt scilicet hostes impugnentur propter aliquam culpam; *eadem causa. q. 2. dominus noster*. Tertiò requiritur intentio bellantium recta, vt scilicet mali coerceantur, & boni subleuentur; potest enim contingere, quod sit legitima auctoritas, & causa iusta, & tamen propter prauam intentionem bellum reddatur illicitum. Vnde dicitur *d. cap. quid culpantur*. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.

In bello tamen iniusto ex defectu intentionis non sunt restituenda damna illata, sicut ex defectu auctoritatis, vel causæ 2. 2. q. 40. art. 1.

2. *Cur clericis non est licitum pugnare?*

NOn est licitum Episcopis, & clericis pugnare, quod Dominus prohibuit Petro in persona Episcoporum, & clericorum, Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in vaginam*, quod non dixit præcipiendo, sed admonendo: talis enim prohibitio est solum de iure positiuo *ne cler. vel mon. cap. sententiam*. Primò quidem, quia omnes clericorum ordines ordinan-

tur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento repræsentatur Passio Christi, qui cum percuteretur non repercutiebat, vt dicitur 1. Pet. 2. debent enim ministri suum Dominum imitari secundùm illud Eccl. 10. *Secundũ iudicem populi, sic & ministri eius.* Secundò, quia clerici sunt ministri nouæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis. Possunt tamen Prælati, & clerici, ex auctoritate Superioris, scilicet Papæ, interesse bellis, non quidem, vt ipsi propria manu pugnẽt, sed vt iustè pugnantibus spiritualiter subueniant suis exhortationibus, & absolutionibus, & alijs huiusmodi, sicut & in veteri lege mandabatur, Iosue 6. quod Sacerdotes sacris buccinis in bellis clangerent. Si autem absque concessione Papę ad pugnam incitant, sunt irregulares. *de pœn. cap. quod in dubijs. ead. q. art. 2. & ad 2. & q. 64. art. 4. & 4. sent. dist. 25. quæst. 2. art. 2. q. 1.*

QVÆSTIO XXXV.

De Rixa.

Quando rixa est peccatum mortale?

Rixa in eo, qui alterum inuadit iniustè, est peccatum mortale, in eo verò, qui se defendit, potest esse sine peccato, & interdum cum peccato veniali, & interdum cum peccato mortali, secundùm diuersum motum animi eius, & diuersum modum se defendendi; Nam si solo animo repellendi iniuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat, rixa non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex parte eius: Si verò cum animo vindictæ, vel odij, vel cum excessu debitæ moderationis se defendit, semper est peccatum; Veniale quidem, quando aliquis leuis motus odij, vel vindictæ se immiscet, vel non multùm excedit moderatam defensionem: Mortale autẽ, quando firmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel grauiter lædendum. *2. 2. q. 41. ar. 1.*

QVÆSTIO XXXVI.

De Seditione.

1. Quomodo seditio est speciale peccatũ?

Seditio est speciale peccatum, quia est partium multitudinis inter se differentium, sicut cum vna pars ciuitatis excitatur in tumultum contra aliam: & in hoc differt à bello, quod est multitudinis ad multitudinem: & etiam à rixa, quæ est vnius ad vnum, vel paucorũ ad paucos. *2. 2. q. 42. ar. 1.*

2. Quomodo seditio est peccatum mortale?

Seditio ex suo genere est peccatum mortale, quia opponitur vnitati multitudinis, scilicet populi, ciuitatis, vel regni; & tantò grauius est peccatum mortale, quantò bonum commune, quod impugnatur per seditionem, est maius, quàm bonum priuatum, quod impugnatur per rixam. Peccatum autem seditionis primò quidem, & principaliter pertinet ad eos, qui seditionem procurant,

curant; qui grauissimè peccant; Secundo verò ad eos, qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune. *ead. q. art. 2.*

QVÆSTIO XXXVII.

De Scandalo, quod opponitur correctioni fraternæ.

1. Scandalum quid est?

SCandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ. Dicitur autem minus rectum, secundùm quod habet aliquẽ rectitudinis defectum, vel quia est secundùm se malum, vt peccatum; vel quia habet speciem mali. Et ideo Apostolus monet 1. ad Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos. 2. 2. qu. 43. ar. 1. & ad 2.*

2. Quomodo scandalum diuiditur in actiuum, & passiuum?

DVplex est scandalum, actiuum, & passiuum. Actiuum quidem potest accipi dupliciter, per se, & per accidens. Per se, quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium ad peccandum inducere. Per accidens autem, quando aliquis hoc non intendit, sed ipsum dictum, vel factum est tale, quod de sui ratione sit inductiuum ad peccandum, puta cum aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati: Scandalum verò passiuum est, quando aliquis occasionem peccandi sumit ex dicto, vel facto alterius. *ead. q. ar. 1. ad 4. & ar. 3.*

3. Quando est scandalum actiuum sine passiuo, vel passiuum sine actiuo, vel vtrumque?

QVandoque est scandalum actiuum sine passiuo, puta cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, & ille non consentit; quandoque verò est scandalum passiuum sine actiuo, puta cum aliquis mal dispositus, ex recto opere sumit occasionem peccandi: quandoque autem simul est scandalum actiuum in vno, & passiuum in altero, puta cum vnus inducit ad peccatum, & alius peccat. *ead. q. art. 1. & ad 4. & art. 2.*

4. Quomodo scandalum est peccatum?

SCandalum actiuum semper est peccatum in eo, qui scandalizat, quia vel ipsum opus, quod facit, est peccatum, vel habet speciem peccati, quod dimittendum est semper propter proximi charitatem: Similiter etiam scandalum passiuum semper est peccatum in eo, qui scandalizatur: non enim scandalizatur, nisi inquantum aliqualiter ruit spirituali ruina, quæ est peccatum. *ead. qu. art. 2. & 4. sent. dist. 38. q. 2. art. 2.*

5. Quomodo scandalum est speciale peccatum?

SCandalum actiuum per se, & formaliter, quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit ad peccandum inducere, est speciale peccatum, ex intentione specialis finis, qui est proximi nocumentum,

& opponitur directè correctioni fraternæ, in qua intenditur specialis nocumenti remotio: Scandalum verò actiuum per accidens, & materialiter, quando scilicet aliquis suo dicto, vel facto, non intendit alium ad peccandum inducere, non est speciale peccatum, sed circumstantia quędam peccati; quia quod est per accidens, non constituit speciem. Scandalum autem passiuum non potest esse speciale peccatum, quia ex dicto, vel facto alterius aliquem ruere contingit secundùm quodlibet genus peccati. *ead. qu. art. 3. & 4. sent. vbi sup. art. 2. qu. 1.*

6. *Quando scandalum est peccatum mortale?*

SCandalum actiuum formaliter est peccatum mortale, si aliquis intendat inducere alium ad peccandum mortaliter, & similiter si intendat inducere alium ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis, licèt hoc accidat scandalo: Si verò intendat inducere proximum ad peccandũ venialiter per actũ peccati venialis, est peccatum veniale, quantum ad rationem scandali. Scandalum autem actiuum materialiter, quod est circumstantia, quia non intenditur proximi nocumentum, quandoque quidem est peccatum veniale, puta cum aliquis præter intentionem inducendi alium ad peccandum, cum aliqua leui indiscretione committit actum venialis peccati, vel actum, qui non est secundùm se peccatum, sed habet aliquam speciem peccati. Quandoque vero est peccatum mortale, siue quando committit actum peccati mortalis, siue quando contemnit salutem proximi, vt si pro ea non prętermittat aliquid facere, quod sibi libuerit. Scandalum verò passiuum quandoque est peccatum veniale, sicut cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius peccat venialiter: quandoque est peccatum mortale, puta cum aliquis ex inordinato dicto vel facto alterius, procedit vsque ad peccatum mortale. *ead. q. art. 4. & 4. sent. vbi sup. art. 2. quaest. 2.*

7. *Quando cessandum est à spiritualibus propter scandalum?*

SPiritualia, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum, ne scilicet alius scandalizetur. Nullus enim debet mortaliter, nec venialiter peccare, vt alterius peccatum impediat, etiam mortale. Spiritualia verò, quæ non sunt de necessitate salutis, si ex eis oriatur scandalum ex malitia, cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia, scandala concitando, non sunt dimittenda propter scandalum: hoc enim est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Christi scandalizabantur, quod Dominus dixit esse contemnendum, *Matth.* 15. Si autem scandalum oriatur ex infirmitate, vel ignorantia, quod est scandalum pusillorum, sunt spiritualia bona vel occultanda, vel differenda propter scandalum, quando periculum non imminet, quousque reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset: Si autem post redditam rationem scandalum duret, iam videtur

tur ex malitia esse, & tunc propter ipsum non sunt spiritualia opera dimittenda. *ead. q. art. 7. & 4. sent. vbi supra art. 4. q. 1.*

8. *Quando temporalia sunt dimittenda propter scandalum?*

Temporalia, quorum nos non sumus domini, sed sunt nobis ad conseruandum pro alijs commissa, sicut bona Ecclesiæ, & bona communia Reipublicæ, non sunt propter scandalum dimittenda: Temporalia verò, quorum nos sumus domini, non sunt dimittenda, si ex eis oriatur scandalum ex malitia, quia hoc esset & contra bonum commune, & contra bonum rapientium, qui retinendo aliena, in peccato remanerent: Si autem oriatur scandalum propter ignorantiam, vel infirmitatem, tunc vel totaliter sunt temporalia bona dimittenda, vel est sedandum scandalum per aliquam admonitionem. *ead. qu. art. 8. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

QVÆSTIO XXXVIII.

De Præceptis charitatis.

1. *Quomodò charitas cadit sub præcepto?*

Actus charitatis cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur: *Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum*. Modus tamen charitatis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de alijs actibus virtutum, puta sub hoc præcepto, Honora patrem, non cadit, quod honoretur pater ex charitate, sed solum, quod honoretur pater. Similiter sub præcepto ieiunij non cadit, quod aliquis ieiunet ex charitate. Vnde qui honorat patrem, vel ieiunat, licet non habeat charitatem non efficitur trãsgressor huius præcepti. 1. 2. *qu.* 100. *art.* 10. & 2. 2. *qu.* 44. *art.* 1. *ad* 1.

2. *Quare de charitate dantur duo præcepta?*

De charitate, oportet dari duo præcepta scilicet de dilectione Dei, & dilectione proximi, quia sunt duo actus, quorum vnus ordinatur ad alium sicut ad finem, scilicet dilectio proximi ad dilectionem Dei. 2. 2. *q.* 44. *art.* 2.

3. *Quare præcipitur, quod Deus ex toto corde diligatur?*

Præcipitur quod Deus ex toto corde, hoc est, super omnia diligatur, quia est diligendus sicut vltimus finis, ad quem omnia sunt referenda; quamuis aliquis perfectiùs vel minùs perfectè impleat hoc præceptum, secundùm quod magis, vel minùs detinetur aliarũ rerum amore. *ead. q. art.* 4. & *opusc.* 17. *c.* 6.

4. *Quomodo datur præceptum, quod aliquis diligat proximum, sicut seipsum?*

Significatur in hoc præcepto, & diligendi ratio, & dilectionis modus. Ratio quidem diligendi significatur ex eo, quod proximus nominatur;

natur; propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ. Modus autem dilectionis significatur cum dicitur, Sicut seipsum, quod non est intelligendum sibi æqualiter, sed sibi similiter. Primo quidem ex parte finis, vt scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum debet diligere; vt sic dilectio proximi sit sancta: Secundò ex parte regulæ dilectionis, vt scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solùm in bonis; sicut suæ voluntati satisfacere debet homo solùm in bonis, vt sic dilectio proximi sit iusta. Tertio ex parte rationis dilectionis, vt scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam vtilitatem, vel delectationem, quia sic non verè diligeret proximum, sed seipsum; sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult sibi ipsi, vt sic sit dilectio proximi vera. *ead. q. art. 7.*

QVÆSTIO XXXIX.

De Dono Sapientiæ, quod respondet charitati.

1. *Quomodo Sapientia est donum Spiritus Sancti?*

Sapientia est donum Spiritus Sancti quia ille sapiens dicitur, qui habet rectum iudicium, tàm in contemplatione diuinorum, quàm in directione rerum humanarum secundùm diuinas regulas. Huiusmodi autem iudicium consequitur homo per Spiritum Sanctum, secundùm illud 1. ad *Cor.* 2. *Spiritualis iudicat omnia*, quia vt ibidem dicitur, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. 2. 2. q. 45. *art.* 1. & 5.

2. *Quare Sapientia non potest esse cum peccato mortali?*

Sapientia, quæ est donum, non potest esse cum peccato mortali, quia facit rectitudinem iudicij, & circa res diuinas, & circa humanas per regulas diuinas ex quadam vnione animæ ad diuina, quæ est per charitatem: Charitas autem non potest esse cum peccato mortali. Vnde dicitur *Sap.* 1. *in maleuolã animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. ead. q. art.* 4. & 5.

3. *Quomodo Sapientia est in omnibus habentibus gratiam?*

Omnes habentes gratiam gratum facientem tantùm sortiuntur sapientiam in contemplatione diuinorum, & in ordinatione rerum humanarum secundùm diuinas regulas, quantùm est necessarium ad salutem. Quidam tamen, quantùm ad contemplationem diuinorum, altiora quædam mysteria & cognoscunt, & alijs manifestare possunt, & quantùm ad ordinationem humanorum secundùm regulas diuinas, possunt non solùm seipsos, sed alios dirigere; & iste gradus sapientiæ non est in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas. *ead. q. art.* 5.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXX.

De Stultitia, quę opponitur sapientię

Quomodo stultitia est peccatum?

STultitia est peccatum inquantum immergit homo sensum suum rebus terrenis, ex quo redditur eius sensus ineptus ad percipiendum diuina, secundùm illud 1. ad Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. 2. 2. *q*. 46. *art*. 2.

QVÆSTIO XXXXI.

De Prudentia.

1. In quo consistit prudentia?

LAus prudentiæ, cum sit recta ratio agibilium, consistit in consideratione futurorum contingentiū ex præsentibus, vel præteritis, & in applicatione ad opus. Hæc autem est triplex: vna quidem est prudentia simpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonum proprium: alia est œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune domus, vel familiæ: tertia est politica, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis vel regni 2. 2. *qu*. 47. *art*. 1. *ad* 3. *& art*. 2. *&* 11.

2. Quæ sunt partes prudentiæ communiter dictæ?

PArtes prudentiæ, per quam aliquis regit seipsum, sunt octo. Prima est memoria; quia prudentia est circa contingentia, & operabilia, quæ non sunt simpliciter vera, sed vt in pluribus cognoscuntur per experimentum: hoc autem est ex pluribus memorijs. Sunt autem quatuor, per quæ homo proficit in benè memorando. Primum quidem est, vt eorum, quæ vult memorari, quasdam similitudines assumat conuenientes, non tamen omnino consuetas; quia ea, quæ sunt inconsueta, magis miramur, & sic eis animus magis detinetur. Secundùm, vt homo ea, quæ memoriter vult tenere, sua consideratione ordinatè disponat, vt ex vno memorato facile ad aliud procedatur. Tertium, vt homo affectum adibeat ad ea, quæ vult memorari. Quartum, vt ea frequenter meditetur. Secunda pars prudentiæ est intelligentia, quæ est quædam recta æstimatio de aliquo particulari fine. Tertia est docilitas, vt scilicet homo à senibus erudiatur, qui sunt experti circa fines operabilium. Quarta, solertia, quæ est prompta coniecturatio circa inuentionem medij, puta cum quis videns aliquos alicui amicos factos, coniecturando putat eos fuisse inimicos. Quinta, est ratio, quia opus prudentis est esse benè consiliatiuum; consilium autem est inquisitio rationis. Sexta, prouidentia contingentium operabilium, inquantum ordinatur in finem humanæ vitæ. Septima circumspectio operabilium, an sint conuenientia fini secundùm circumstantias. Octaua est cautio, vt scilicet homo studeat vitare mala. 2. 2. *quæst*. 48. *art. vnico, & quæst*. 49. *art*. 1. *& ad* 2. *& art*. 2. *& ad* 1. *& art*. 3. *&* 4. *& ad* 1. *& art*. 5. 6. 7. *&* 8.

QVÆ-

QVÆSTIO XLII.

De Dono consilij, quod respondet prudentiæ.

Quomodo consilium est donum Spiritus Sancti?

CONsilium est donum Spiritus Sancti, in quantum homo per inquisitionem rationis mouetur à Spiritu Sancto ad aliquid agendum, quia humana ratio non potest comprehendere contingentia, quæ occurrere possunt: ex quo fit, quod cogitationes mortalium sunt timidę, & incertæ prouidentiæ nostræ, vt dicitur *Sap. 9.* & ideo indiget homo in inquisitione rationis dirigi à Deo, qui omnia comprehendit. *2.2.q.52. art. 1. & ad 1.*

QVÆSTIO XLIII.

De Imprudentia.

Quomodo imprudentia est peccatum?

IMprudentia est peccatum priuatiuè, & contrariè. Priuatiuè quidem ratione negligentiæ qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. Contrariè verò est peccatum, quando quis diuertit à regulis prudentiæ. Vnde si aliquis agat contra Diuinas regulas, est peccatum mortale, puta cum quis, quasi contemnens diuina documenta, præcipitanter agit. Si vero præter eas agat absque contemptu, & detrimento eorum, quæ sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale. *2.2.q.53. art.1.*

QVÆSTIO XLIV.

De Præcipitatione.

Quomodo præcipitatio est peccatum sub imprudentia contentum?

PRæcipitatio est peccatum, quando aliquis mouetur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, absque medijs gradibus, qui sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas, per quam aliquis acquiescit sententijs maiorum, & quia præcipitatio est defectus consilij, qui ad imprudentiam pertinet, vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

Est autem peccatum mortale, si sit contra Diuinum preceptum, vt dictum est, vel contra præceptum Ecclesiæ: Idem est iudicium de temeritate, & inconsideratione, de quibus infra dicetur. ead. q. art. 1. & 3.

QVÆSTIO XLV.

De Temeritate.

Quomodo temeritas est peccatum sub præcipitatione contentum?

TEmeritas est peccatum sub præcipitatione contentum quia illa dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur. Hoc autem potest cótingere, aut ex impetu voluntatis,

vel

vel passionis, quod proprie pertinet ad præcipitationem, aut ex contemptu regulæ rationis, & hoc propriè importat temeritas. *ead. q. art. 3. ad 2.*

Ex hoc, vt notat Caietanus, possunt Canones interpretari, quando temerè transgredientes puniunt: in materia enim pœnali, quæ est restringenda, proprietas vocabulorum restrictiua attendenda est.

QVÆSTIO XLVI.

De Inconsideratione.

Quomodo inconsideratio est peccatum sub imprudentia contentum?

INconsideratio est peccatum propter defectum recti iudicij, inquantum aliquis in rectè iudicando deficit ex hoc, quod contemnit, vel negligit considerare ea agibilia, ex quibus rectum iudicium procedit, quod ad imprudentiam pertinet. *ead. q. art. 4. & ad 2.*

QVÆSTIO XLVII.

De Inconstantia.

Quomodo inconstantia est peccatum sub imprudentia contentum?

INconstantia est peccatum sub imprudentia contentum, quia inconstantia importat recessum quemdam à bono proposito determinato: huiusmodi autem recessus pertinet ad defectum rationis, quæ non resistit impulsui passionis, per quàm aliquis recedit à bono proposito, appetendo aliquid, quod sibi inordinate placet. Vnde inconstantia pertinet ad imprudentiam, quia omnis defectus rationis ad imprudentiam pertinet, sicut omnis rectitudo rationis practicæ pertinet quodammodo ad prudentiam.

Quando autem est peccatum mortale, & quando veniale, ex materia discernitur: si enim aliquis recedit à bono proposito, quod est de necessitate salutis, est peccatum mortale, alias autem est peccatum veniale, nisi adsit contemptus. ead. q. art. 5.

QVÆSTIO XLVIII.

De Negligentia.

1. *Quomodo negligentia est peccatum sub imprudentia contentum?*

NEgligentia est peccatum quia importat defectum debitæ solicitudinis: Omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati. Pertinet autem ad imprudentiam, quia directè opponitur solicitudini, cuius rectitudo ad prudentiam pertinet. Vnde per oppositum negligentia ad imprudentiam pertinet. *2. 2. q. 54. art. 1. & 2.*

2. *Quando negligentia est peccatum mortale?*

NEgligentia potest esse peccatum mortale dupliciter. Primo quidem si prætermittitur aliquis actus, vel circumstantia, quæ est de necessitate salutis. Secundo si negligentia causatur ex contemptu. Si autem negligentia consistat in prætermissione

missione alicuius actus vel circumstantiæ, quæ non fit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur interdum per aliquod peccatum veniale, tunc negligentia non est peccatum mortale. *ead. q. ar. 3.*

QVÆSTIO XLIX.

De Prudentia carnis.

Quando prudentia carnis est peccatum mortale?

PRudentia carnis est peccatum mortale, si in cura carnis constituatur vltimus finis totius vitæ; quia per hoc homo auertitur à Deo. Vnde dicitur Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Si autem aliquis inordinatè afficiatur ad curam carnis, nō tamen vt vltimum finem, est peccatum veniale. 2. 2. *q. 55. art. 1. & 2.*

QVÆSTIO L.

De Astutia.

Quomodò astutia est peccatum?

ASrutia est peccatum prudentiæ oppositum, inquantum aliquis vtitur vijs non veris, sed simulatis, & apparentibus ad aliquem finem prosequēdum, vel bonum, vel malū.

Est autem peccatum mortale, si sit in proximi nocumentum, & sic de dolo, & fraude. ead. q. art. 3. & 4.

QVÆSTIO LI.

De Dolo.

I. *Quomodo dolus est peccatum ad astutiam pertinens?*

DOlus est peccatum, inquantum aliquis assumit vias non veras, sed simulatas, & apparentes, ad aliquem finem consequendum, bonum, vel malum in executione operis; & sic dolus est astutiæ executio. Potest autem dolus esse in corde, inquantum aliquis dolos excogitat, secundum illud Psalm. 37. *Et dolos tota die meditabantur*, quod propriè pertinet ad astutiam. Est etiam in ore, secundum illud Psalm. 5. *Linguis suis dolosè agebant.* Dicitur etiam esse in opere, secundum illud Psal. 104. *Et dolum facerent in seruos eius:* & sic propriè dicitur dolus. *ead. q. ar. 4. & ad 2.*

QVÆSTIO LII.

De Fraude.

Quomodo fraus est peccatum ad astutiam pertinens?

FRaus est astutiæ executio, sicut, & dolus; sed in hoc differre videntur, quod dolus pertinet ad executionem astutiæ, inquantum fit per verba, & facta: Fraus autem propriè, inquantum fit per facta. *ead. q. art. 5.*

QVÆSTIO LIII.

De Solicitudine temporalium.

I. *Quomodo solicitudo temporalium est peccatum?*

SOlicitudo temporalium est peccatum. Primo quidem ex parte temporalium, si in eis finis constituatur, & sic est peccatum mortale. Secundo propter superfluum studiū, quod apponitur ad temporalia procuranda.

curanda, per quod homo à spiritualibus retrahitur, secūdum illud Matt. 13. *Solicitudo sæculi suffocat verbum.* *Et sic si retrahitur à spiritualibus, quæ sunt de necessitate salutis, solicitudo temporalium est peccatum mortale. Si autem auertitur à spiritualibus, quæ non sunt de necessitate salutis, absque contempto, est peccatum veniale. ead. q. ar. 6. Et Quodl. 7. ar. 17. ad 7.*

2. *Quomodo solicitudo futurorum est illicita?*

SOlicitudo futurorum est illicita, secundùm illud *Matt. 6. Nolite soliciti esse in crastinu*, quia vnicuique tempori competit propria solicitudo, sicut tempori æstatis competit solicitudo metendi, autumno autem solicitudo vindemiæ. Vnde dicitur Eccl. 8. *Omni negotio tempus est & opportunitas, ead. q. ar. 7.*

QVÆSTIO LIV.

De Iudicio.

1. *Quando iudicium est illicitum?*

AD hoc, quod iudicium sit licitum, quod importat rectam determinationem iusti, tria requiruntur. Primò quidem, quod procedat ex inclinatione iustitiæ: Secundò quod procedat ex auctoritate præsidentis: Tertiò quod proferatur secundùm rectam rationem. Quodcunque autem horum defuerit, iudicium erit vitiosum. Primò quidem, quando est contra rectitudinem iustitiæ, & sic dicitur iudicium iniustum. Secundò, quando homo iudicat in his, in quibus non habet auctoritatem; & sic dicitur iudicium vsurpatum. Tertiò, quando deest certitudo rationis, puta cum aliquis ex leuibus indicijs iudicat de his, quę sunt dubia, vel occulta; & sic dicitur iudicium temerarium. 2. 2. *q. 60. ar. 1. & 2.*

2. *Quomodo iudicium temerarium est peccatum?*

IVdicium temerarium est peccatum. Primò quidem cum aliquis ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipit, & hoc est peccatum veniale. Secundò, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicijs, & hoc, si sit de aliquo notabili, est peccatum mortale, inquantum non est sine contemptu proximi. *ead. q. art. 3. & Quodl. 12. ar. 35.*

3. *Quare in iudicio dubia sunt in meliorem partem interpretanda?*

QVando non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partē interpretando quod dubium est; quia ex hoc, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, fit ei iniuria, & propter hoc melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono. *ead. q. art. 4. & ad 1.*

4. *Quomodo iudicium vsurpatum est peccatum?*

IVdicium vsurpatum in his, in quibus aliquis non habet auctoritatem, est peccatum, quia iudicium aliquod dominium in iudicando requirit. Vnde dicitur Rom. 14. *Tu, quis es, qui iudicas alienum seruum? ead. q. art. 6. & 4. sent. dist. 48. q. 1. art. 1.*

5. *Quare non est vsurpatum iudicium, si Prælatus de temporalibus iudicet?*

NOn est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantùm ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei à sæcularis potestate relinquuntur, quia potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Sicut enim corpus per animam habet esse, virtutem, & operationem; ita & temporalis potestas per spiritualem. *Et habetur de mai. & obed. cap. solita.* Vnde Prælati debent resistere non solùm lupis, qui spiritualiter interficiũt gregem, sed etiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant, *vt dicit Gregorius homil. 14. in Euang.* Non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus, secundùm illud Apostoli 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*: quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes, contra pertinaces excommunicationis sententia. Hoc autem magis pertinet ad Papam, qui vtrius usque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est *Sacerdos, & Rex; Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; Rex Regum, & Dominus Dominantium. 2. 2. q. 40. art. 2. ad 1. & q. 60. art. 6. ad. 3. 2. sent. dist. vlt. in fine & ibi. 1. de Reg. Princ. cap. 14. & lib. 3. cap. 10. & 19.*

Ex quibus conuincitur Caietanus, qui 2. 2. q. 43. art. 8. & q. 60. art. 6. forsan secutus in dicta distinctione opinionem Auctoris, quam hic correxit, non recte sensit de Spirituali potestate, dicens, quod potestas sæcularis non omnino subditur potestati spirituali, sed in ordine ad spiritualia nec Papa habet plenitudinem potestatis in temporalibus, nisi in ordine ad spiriutalia.

QVÆSTIO LV.

De Iustitia commutatiua, & distributiua.

Quomodo iustitia diuiditur in cõmutatiuam & distributiuam?

DVæ sunt iustitiæ species, scilicet commutatiua, & distributiua. Commutatiua quidem habet ordinem partis ad partem, hoc est vnius priuatæ personæ ad aliam; quia consistit in redditione rei, quæ ab alio habetur, secundùm æqualitatem quantitatis, quæ est æqualitas rei ad rem, vt quantò aliquis plus habet, quàm suum sit de eo, quod est alterius, tantum restituat ei, cuius est. Iustitia autem distributiua habet ordinem totius ad partem, hoc est eius, quod est commune, ad singu-

las personas, quia consistit in distributione communium bonorum in singulas personas, secundùm æqualitatem proportionis, vt scilicet, sicut vna persona excedit aliam, quia maiorem habet principalitatem in communitate, ita etiam res, quæ datur vni personæ excedit rem, quæ datur alteri. Vnde iustitia commutatiua, & distributiua distinguuntur specie, secundùm diuersam debiti rationem: alio enim modo debetur alicui id, quod est proprium, alio modo id, quod est commune. 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *&* *ad* 5. *&* *art.* 2. *&* 4. *sent. quæst.* 46. *q.* 1. *art.* 1.

QVÆSTIO LVI.

De Restitutione.

1. *Quomodo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ?*

Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quia in restitutione attenditur æqualitas secundùm recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad iustitiam cómutatiuam, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per eius voluntatem, sicut in mutuo, vel deposito; vel contra voluntatem eius, vt in rapina, vel furto. Vnde restituere idem est, quòd iterum aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. 22. *q.* 62. *art.* 1.

2. *Quomodo restitutio est de necessitate salutis?*

Restitutio est de necessitate salutis, quia importat redditioné rei, quæ iniustè ablata est, quòd pertinet ad conseruationem iustitiæ: Conseruatio autem iustitiæ est de necessitate salutis. *ead. q. art.* 2.

3. *Quid si non potest recompensari æquiualens?*

In quibus non potest recompensari æquiualens, sufficit, quod recompensetur, quod possibile est: sicut cum aliquis abstulit alicui membrum, debet ei recompensare, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ secundùm arbitrium boni viri: ita scilicet secundùm Siluest, *V. Restitutio* 3. *q.* 2. quod teneatur satisfacere læso quantùm potest; & si fuit homicidium, aut læsio incurabilis, vt mutilatio, & huiusmodi, habeatur ratio expensarum & damni emergentis, & lucri cessantis in præsenti, & in futurum: si verò fuit curabilis, habeatur ratio expensarum, & lucri cessantis tempore infirmitatis. *ead. q. art.* 2. *ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 5. 1. *ad* 2.

4. *Quomodo fama restituenda est?*

Tripliciter aliquis potest alicui famam auferre: Vno modo verum dicendo, & iustè, sicut cum aliquis crimen alicuius prodit ordine debito seruato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Secundo modo falsum dicendo, & iniustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed iniustè, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, scilicet, vel

fraternæ correctionis, vel iudicialis denuntiationis, & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum potest, sine tamen mendacio, vt dicat se malum dixisse, vel iniustè eum diffamasse: *Nisi sit restituenda fama coram personis notitiam habentibus de modo restituendi famam, quia tunc secundùm Caiet. non est restituenda, dicendo aliquis se malum dixisse, vel iniustè diffamasse: esset enim magis confirmatio prius dicti, quàm restitutio famæ. Sed coram talibus debet laudare illam personam, cum veritate tamen, pluries aperiendo, quod credit ipsum bonum virum & hoc tam cautè, ne videatur hoc facere pro restitutione, vel si ea, quæ dixit, habeantur pro oblitis, & talis restitutio sit magis recordatio, omitti potest. Addit Caietanus quartum modum, quo potest aliquis famam alicui auferre, scilicet falsum dicendo, sed iustè, sicut contingit iudici condemnanti innocentem secundùm acta & probata, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ, nec alterius damni, sed falsi testes ad hoc tenentur.* Si autem non potest aliquis famam restituere, debet recompensare, vel in pecunia, vel in honore, consideratis conditionibus personarum secundùm arbitrium sapientis, sicut & de alijs dictum est. *ead. qu. art. 2. ad 2. & 4. sent. vbi sup. q. 1. ad 2.*

Vbi notandum occurrit secundùm Caietanum ar. 6. & Nauar. c. 17. num. 89. & 90. quidquid dicat Sotus, quod non tenetur aliquis restituere famam cum detrimento vitæ, quæ est superioris ordinis, sicut non tenetur ad restitutionem exteriorum bonorum cum detrimento famæ, quæ est altioris ordinis, secundùm illud Prou. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ; *Tenetur tamen ad restitutionem alienæ famæ, cum detrimento propriæ famæ, cum sit eiusdem ordinis.*

5. *Quare potest aliquis remittere restitutionem propriæ famæ?*

Potest aliquis propter humilitatem remittere restitutionem propriæ famæ, quia arbitrij hominis est, quod patiatur detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in periculum aliorum, sicut si sit persona publica, cui ex officio incumbat verbo & exemplo alijs proficere ad salutem, vel nisi ex ipsius infamia sequatur alterius infamia, vel detrimentum. Vnde Paulus pro minimo habebat iudicari ab hominibus. *q. 73. art. 4. ad 1. & Quodl. 10. ar. 13.*

Ex quibus patet, quod non potest stare dictum Caiet. q. 73. art. 2. quod aliquis infamando seipsum in tormentis, tenetur restituere famam Ecclesiæ, cuius est membrum, cum homo sit dominus suæ famæ.

6. *Quando impediens, ne detur præbenda personæ digna, tenetur ad restitutionem?*

Impediens ne detur præbenda personæ dignæ, si impedit iustè, sicut si propter honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, procuret, quod detur digniori, non tenetur ad aliquam recompensationem faciendam. Si vero impedit iniustè, puta propter odium, vel vindictam, vel aliquid huiusmodi, tunc si non sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad ali-

quam

quam recompensationem, consideratis conditionibus personarum, & negotij secundùm arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat consecutus, & poterat multipliciter impediri: Si autem iam firmatum sit, quod ei detur præbenda, tenetur ad restitutionem æqualis tamen, secundùm suam facultatem, quia idem est, ac si iam habitam ei auferret. *ead.q.art.2. ad 4.& 4.sent.vbi sup.art.5.q.1.ad 3.*

Et intelligit de actu malo animo iniustè facto, scilicet per vim, metum, dolum, vel fraudem, quæ obligant ad restitutionem, & de impediente, ne aliquis non solùm præbendam, sed quodlibet bonum consequatur, quod datur ex iustitia; secus autem, si detur ex liberalitate, secũdum Silu. verbo restit.3.q.12.

7. *Quare tenetur aliquis restituere quantùm accepit?*

CVM aliquis iniustè accepit rem alienam, quantùm ad inæqualitatem rei sufficit, quod restituat tantùm, quantùm accepit, ad hoc vt æqualitas repararetur, nisi res sit fructifera, quia tunc sunt etiam fructus restituendi, deductis necessarijs expensis. Sed quantùm ad culpam, debetur ei pœna per iudicem infligenda. Et ideo antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plusquam accepit: sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere. *ead. quæst. art. 3.*

Ex quibus colligit Sotus lib.4.de iust. & iure. q.6. art.4. quod leges non obligant ad solutionem pœnæ, nisi post sententiam condemnationis: & sic efferentes frumentum, equos, vel aurum, quæ sunt lege prohibita propter bonum commune, non tenentur soluere pœnas, nisi capiantur, licet committant peccatum mortale. Similiter vendentes frumentum, vel vinum cariùs, quàm lege statutum est, non tenentur ad solutionem pœnæ, nisi sint condemnati, sed tenentur ad restitutionem excessus iusti pretij. Similiter cadens ligna in sylua sine facultate, non obligatur ad pœnam soluendam, nisi capiatur, & condemnetur, & si sylua sit communis vrbis vel oppidi, non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem, nisi magnam cædem faciat. Si verò sylua sit domini vrbis vel oppidi, cadens ligna sine facultate, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, nisi incolæ careant sylua, & grauem patiantur necessitatem, tunc enim possent pauperes cadere ligna ad vsum foci proprij necessaria. Si autem sylua sit particularium hominum, absque dubio cædens ligna, vltra peccatum mortale, ad restitutionem tenetur.

8. *Quomodo damnificans tenetur ad restitutionem?*

QVi damnificat aliquem auferendo ei, quod actù habebat, tenetur tale damnum recompensare secundùm æqualitatem; puta si aliquis damnificet, diruens domum eius, tenetur ad tantùm, quantùm valet domus. Qui verò damnificat aliquem impediendo, ne consequatur quod erat in via habendi, non tenetur tale damnum recompensare secundùm æqualitatem, quia id, quod est in via, & in potentia, minùs valet, quàm si esset in actu, cum pos-

sit multipliciter impediri: tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum: sicut cum aliquis damnificat eum, qui seminat in agro, effodiendo semina, tenetur restituere fructus, pensata potentia proxima, vel remota ad messem, & pensatis expensis, & periculis, quæ vsque ad messem accidere possent ad arbitrium sapientis. Similiter quando debitor detinet pecuniam creditoris vltra terminum præfixum, si creditor incurrit damnum, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod actu habet, vel debet habere, puta si eget pecunia, & ex mora debitoris vendit domum, vel agrum minùs, quàm valeat, vel accipit pecuniam sub vsura, tenetur debitor damnum recompensare secundùm æqualitatem. Si verò damnificatur ex eo, quod de pecunia non lucratur exposita industriæ, quæ est in potentia ad lucrum, tenetur debitor recompensare damnum, considerata industria & periculis, quæ in lucro accidere aliàs possent, & etiam expensis. Vtrumque autem intelligendum est, si creditor denuntiet tale damnum debitori, vt infra dicetur, & ex his facile erit iudicare de reliquis. *ead. quæst. art. 4. & ad 1. 2. & q. 78. art. 2. ad 1. & 4. sent. dist. 15. q. 1. ar. 5. q. 1. ad 4.*

9. *Quare restitutio debet fieri domino rei?*

Restitutio debet fieri ei, à quo res accepta est, ad hoc, vt æqualitas rerum reparetur, quia ille, à quo res accepta est, minùs habet de suo. *ead. q. art. 5.*

Vnde secundùm Caiet. quem sequitur Sotus lib. 4. de iust. & iure q. 7. art. 1. si aliquis accepit rem ab eo, qui non est verus dominus, puta à fure, non debet ei restituere, quia non minùs habet de suo, sed debet facere quantùm potest, vt reddatur domino: non tenetur tamen reddere domino secundùm iustitiam, vt vult Sot. ita vt obligetur ad restitutionem, si non reddat; sed secundùm charitatem, nec tenetur secundùm charitatem, si timet malum à latrone sibi inferendum. Similiter si accepit rem à filio familias, vel a monacho, qui non sunt domini, restituenda est Patri, vel Prælato, nisi sit dilapidator bonorum Ecclesiæ, quia tunc reddenda est Abbatiæ, vel Conuentui, cuius est: Debet tamen significare ei, qui non est dominus, quòd ipse non tenetur restituere, ne pœnitentia ductus iterum restituat; & etiam vero domino, ne alia via procuret illud recuperare.

10. *Quomodo restitutio facienda est, si res sit nociua domino?*

Qvando res restituenda apparet esse grauiter nociua ei, cui restitutio est facienda, vel alteri; sicut si aliquis redderet gladium depositum furioso, tunc non debet ei restitui, quia restitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui restituitur: non tamen debet ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed reseruare, vt congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutius conseruandam. *ead. q. art. 5. ad 1.*

Ex hoc fundamento elicit Caietanus, quod tempore iniusti belli non sunt restituenda magna debita Principi, quibus ad exercitum fouendum eget, sed sunt conser-

seruanda, vt congruo tempore sine alterius iniuria reddantur, & sic de similibus.

11. *Quomodo restitutio debet fieri domino ignoto, vel mortuo, vel absenti?*

SI ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, facta diligenti inquisitione de persona eius, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue viuus: qui si postea sciatur, non debet ei iterum restituere: & sic in deprædatione ciuitatis, quando bellum est iniustum, si quis accipit aliqua, & non potest ea domino restituere, quia nescit eum, debet pauperibus illius ciuitatis restituere, vel in alios vsus illius ciuitatis conuertere secundùm arbitrium Episcopi vel illorum, ad quos pertinet cura illius ciuitatis. Si autem dominus sit mortuus, debet restitutio fieri eius hęredi, qui computatur vna persona cum ipso. Si autem sit multum distans, & res sit magni valoris, debet sibi transmitti, si potest, commodè, etiam expensis debitoris, si eam iniustè detinet. Si verò commodè transmitti non potest, vel res non sit magni valoris, potest dari propinquis illius, si habet, vel debet in aliquo tuto loco deponi, vt pro eo conseruetur, & domino significari. *ead. q. art. 5. ad 3. & 4. sent. vbi supra art. 5. q. 3. ad 1. 2. & 3.*

Ex his patet, non esse tenendum, quod dicit Nauar. cap. 17. num. 29. Quod quando dominus est longinquus, aut in tali loco, & suum ad eum mitti non possit, tunc restituendum est pauperibus, vel in alios pios vsus expendendum.

12. *Quomodo ille, qui rem alienam accepit, tenetur restituere?*

SI acceptio rei alienæ est iniuriosa, scilicet contra voluntatem domini, vt patet in furto, & rapina, tunc ille, qui accipit, tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis, etiam si res apud ipsum non maneat; quia tenetur ad recompensationem damni illati, & vlterius, pro iniuria illata potest puniri: & sub hoc membro continetur omnis iniusta damnificatio. Si autem acceptio rei alienæ est ex voluntate domini in vtilitatem accipientis, sicut patet in mutuis, tunc etiam ille, qui accipit, tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptionis, etiam si rem amiserit: tenetur enim recompensare damnum ei, qui gratiam fecit. Si verò acceptio rei alienæ est ex voluntate domini non pro vtilitate accipientis, sicut patet in depositis, tunc ille, qui sic accipit, tenetur ad restitutionem ratione rei acceptę, non tamen ratione acceptionis, quia accipiendo obsequium impendit: & ideo, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem, nisi mercede se obligauit custodire, vel sit in mora reddendi, secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret. *Et in hoc differt depositum a commodato, vel locato, quia accipiens rem commodatam, vel locatam, tenetur de leui culpa non quidem in totum, sed in partem pro ratione*

propter quam datur, est illicita, scilicet fornicatio, vel adulterium. Si autem superfluè ad fraudem, vel dolum extorquet, puta dicendo se esse virginem, cum non sit, vel non fuisse cognitam, nisi á nobilissimis; vel si ille, qui dat, non potest dare, quia est seruus, vel religiosus, vel filius familias non habens proprium in tanta quantitate, quantum dat, tunc mulier tenetur illud restituere. 2. 2. *q. 32. art. 7. & q. 62. art. 5. ad. 2.*

20. Quomodo ille, qui est causa iniusta acceptionis, ad restitutionem tenetur?

QVicumque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem in solidum, quia aliquis tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis: directè quidem, quando aliquis inducit alium ad accipiendum, indirectè verò, quando aliquis non impedit, cum possit, & debeat impedire, quæ his versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus; Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quinq; tamen istorum semper obligant ad restitutionem. Primò quidem iussio, quia ille, qui iubet, est principaliter mouens: Et ideo ipse principaliter tenetur restituere. Secundò obligat ad restitutionem consensus ad rapinam perpetrandam in eo, sine quo rapina fieri non potest. Tertiò recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat. Quartò participans, quando aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda. Quintò non obstans, cum obstare teneatur: sicut Principes, qui tenentur ex officio conseruare iustitiam in terra; si per eorum defectum latrones increscunt, ad restitutionem tenentur, quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, vt iustitiam seruent in terra. In alijs autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restitutioné, sed quando est efficax causa iniustæ acceptionis: non semper enim consiliator tenetur ad restitutionem: vel palpo, hoc est adulator, quando adulando ad auferendum incitat, dicens hoc signum strenuitatis esse: vel mutus, hoc est non clamans, quando ex officio clamare tenetur, vt custos domus, vel iudex mutus, hoc est non reprehendens, quando incumbit alicui ex officio, sicut Principibus terræ, qui sunt iustitiæ custodes: vel non manifestans, scilicet post factum, cum manifestare teneatur, sicut testis in crimine notorio. Sed tunc tenentur isti ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta. In omnibus autem his, si principalis in facto, ad quem res peruenit, restituit illi, qui passus est damnum, alij eidem restituere non tenentur; sed si alij restituerunt, tenetur principalis eis restituere. *ead. quæst. art. 7. & ad 2. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 5. quæst. 2.*

21. Quando debet fieri restitutio?

REstitutio debet fieri statim, quia præceptum de restitutione facienda

cienda, quamuis formaliter sit affirmatiuum, includit tamen in se negatiuum, quo prohibemur rem alienam detinere inuito domino, quod obligat ad semper. Et ideo quilibet tenetur statim restituere, habita opportunitate, si potest; vel tenetur petere remissionem, vel dilationem ab eo, cui debet, vel per se, vel per alium, duabus seruatis conditionibus secundùm Nauar, *cap. 17. num. 25.* quod remissio fiat per eum, qui donare potest, & quod scienter, & sponte fiat sine vi, fraude, metu, vel diffidentia debitùm recuperandi. Si autem non potest statim restituere, ipsa impotentia absoluit eum ab instanti restitutione facienda, sicut etiam totaliter à restitutione absoluitur, si omnino sit impotens. *ead. q. art. 8. & ad 1. & 2. & 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 3. ad 3.*

Ex quo infert Nauar. cap. 17. num. 54. quod aliquis incurrit nouum peccatum, quoties proponit non restituere, vel commodè restituere valens non restituit, si hoc aduertit. Et num. 50. quod quamuis æquum sit dictum Caiet. in summa verb. rest. cap. 6. quod confessarius non debet absoluere eum, qui statim restituere tenetur, nisi prius actualiter restituat, si in alia confessione restituere neglexerit: possent tamen tales circumstantiæ loci, temporis, & causa occurrere, vt solùm restituendi propositum satis sit. Et num. 65. quod confessarius non potest absque causa, quæ à statim restituendo excuset, pænitenti dilationem concedere, quando scit eum restituere posse. Ille autem dicitur impotens ad restituendum statim, secundùm Caiet. qui non solùm patitur extremam, vel grauem necessitatem, sed etiā qui est in tali necessitate constitutus, quod incurreret magnum damnum emergens in suis bonis, si tunc vellet restituere, quod non incurreret si restitutionem differret, nisi dominus ex ista dilatione notabiliter damnificaretur. Tunc enim sibi imputet detinens, quod damnum notabile incurrat ex restitutione, ex quo in mora est. Idem dicendum est, si restituendo statim, incurreret damnum sua famæ, quæ est superioris ordinis, vel si incurreret damnum spirituale, puta adulteria, fornicationes, & huiusmodi, indigentia restituenti suaderet, secundùm Nauar. cap. 17. num. 63.

QVÆSTIO LVII.

De Acceptione personarum, quæ Iustitiæ distributiuæ opponitur.

1. *Quomodo acceptio personarum est peccatum?*

PErsonarum acceptio est peccatū, quia opponitur Iustitiæ distributiuæ in hoc, quod præter proportionem agitur, inquantùm attribuitur personæ aliquid, propter conditionem, quæ non facit ad causam, per quam sit dignus hoc dono; puta si quis promoueat aliquem ad prælationem quia est diues, vel quia est consanguineus suus. *2. 2. quæst. 63. art. 1. & Quodl. 4. art. 15.*

2. *Quando absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium minùs boni melioribus præferuntur?*

QVi sunt simpliciter minus boni in dispensatione spiritualium, absque

missione alicuius actus vel circumstantiæ, quæ non fit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur interdum per aliquod peccatum veniale, tunc negligentia non est peccatum mortale. *ead. q. ar. 3.*

QVÆSTIO XLIX.

De Prudentia carnis.

Quando prudentia carnis est peccatum mortale?

PRudentia carnis est peccatum mortale, si in cura carnis constituatur vltimus finis totius vitæ; quia per hoc homo auertitur à Deo. Vnde dicitur Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Si autem aliquis inordinatè afficiatur ad curam carnis, nō tamen vt vltimum finem, est peccatum veniale. 2. 2. q. 55. *art.* 1. & 2.

QVÆSTIO L.

De Astutia.

Quomodò astutia est peccatum?

ASTutia est peccatum prudentiæ oppositum, inquantum aliquis vtitur vijs non veris, sed simulatis, & apparentibus ad aliquem finem prosequēdum, vel bonum, vel malū.

Est autem peccatum mortale, si fit in proximi nocumentum, & sic de dolo, & fraude. ead. q. art. 3. & 4.

QVÆSTIO LI.

De Dolo.

1. *Quomodo dolus est peccatum ad astutiam pertinens?*

DOlus est peccatum, inquantum aliquis assumit vias non veras, sed simulatas, & apparentes, ad aliquem finem consequendum, bonum, vel malum in executione operis; & sic dolus est astutiæ executio. Potest autem dolus esse in corde, inquantum aliquis dolos excogitat, secundum illud Psalm. 37. *Et dolos tota die meditabantur*, quod propriè pertinet ad astutiam. Est etiam in ore, secundum illud Psalm. 5. *Linguis suis dolosè agebant.* Dicitur etiam esse in opere, secundum illud Psal. 104. *Et dolum facerent in seruos eius*: & sic propriè dicitur dolus. *ead. q. ar.* 4. & *ad* 2.

QVÆSTIO LII.

De Fraude.

Quomodo fraus est peccatum ad astutiam pertinens?

FRaus est astutiæ executio, sicut, & dolus; sed in hoc differre videntur, quod dolus pertinet ad executionem astutiæ, inquantum fit per verba, & facta: Fraus autem propriè, inquantum fit per facta. *ead. q. art.* 5.

QVÆSTIO LIII.

De Solicitudine temporalium.

1. *Quomodo solicitudo temporalium est peccatum?*

SOlicitudo temporalium est peccatum. Primo quidem ex parte temporalium, si in eis finis constituatur, & sic est peccatum mortale. Secundo propter superfluum studiū, quod apponitur ad temporalia procuranda.

curanda, per quod homo à spiritualibus retrahitur, secūdum illud Matt. 13. *Solicitudo saeculi suffocat verbum.*

Et sic si retrahitur à spiritualibus, quae sunt de necessitate salutis, solicitudo temporalium est peccatum mortale. Si autem auertitur à spiritualibus, quae non sunt de necessitate salutis, absque contempto, est peccatum veniale. ead. q. ar. 6. Et Quodl. 7. ar. 17. ad 7.

2. *Quomodo solicitudo futurorum est illicita?*

SOlicitudo futurorum est illicita, secundùm illud *Matt. 6. Nolite soliciti esse in crastinu*, quia vnicuique tempori competit propria solicitudo, sicut tempori aestatis competit solicitudo metendi, autumno autem solicitudo vindemiae. Vnde dicitur Eccl. 8. *Omni negotio tempus est & opportunitas. ead. q. ar. 7.*

QVÆSTIO LIV.

De Iudicio.

1. *Quando iudicium est illicitum?*

AD hoc, quod iudicium sit licitum, quod importat rectam determinationem iusti, tria requiruntur. Primò quidem, quod procedat ex inclinatione iustitiae: Secundò quod procedat ex auctoritate praesidentis: Tertiò quod proferatur secundùm rectam rationem. Quodcunque autem horum defuerit, iudicium erit vitiosum. Primò quidem, quando est contra rectitudinem iustitiae, & sic dicitur iudicium iniustum. Secundò, quando homo iudicat in his, in quibus non habet auctoritatem; & sic dicitur iudicium vsurpatum. Tertiò, quando deest certitudo rationis, puta cum aliquis ex leuibus indicijs iudicat de his, quę sunt dubia, vel occulta; & sic dicitur iudicium temerarium. 2. 2. q. 60. ar. 1. & 2.

2. *Quomodo iudicium temerarium est peccatum?*

IVdicium temerarium est peccatum. Primò quidem cum aliquis ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipit, & hoc est peccatum veniale. Secundò, cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex leuibus indicijs, & hoc, si fit de aliquo notabili, est peccatum mortale, inquantum non est sine contemptu proximi. *ead. q. art. 3. & Quodl. 12. ar. 35.*

3. *Quare in iudicio dubia sunt in meliorem partem interpretanda?*

QVando non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partē interpretando quod dubium est; quia ex hoc, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, fit ei iniuria, & propter hoc melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono. *ead. q. art. 4. & ad 1.*

4. Quomodo iudicium vsurpatum est peccatum?

IVdicium vsurpatum in his, in quibus aliquis non habet auctoritatem, est peccatum, quia iudicium aliquod dominium in iudicando requirit. Vnde dicitur Rom. 14. *Tu, quis es, qui iudicas alienum seruum? ead. q. art. 6. & 4. sent. dist. 48. q. 1. art. 1.*

5. Quare non est vsurpatum iudicium, si Prælatus de temporalibus iudicet?

NOn est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantùm ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei à sæcularis potestate relinquuntur, quia potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Sicut enim corpus per animam habet esse, virtutem, & operationem; ita & temporalis potestas per spiritualem. *Et habetur de mai. & obed. cap. solita.* Vnde Prælati debent resistere non solùm lupis, qui spiritualiter interficiũt gregem, sed etiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant, *vt dicit Gregorius homil. 14. in Euang.* Non autem materialibus armis in propria persona vtendo, sed spiritualibus, secundùm illud Apostoli 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo:* quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes, contra pertinaces excommunicationis sententia. Hoc autem magis pertinet ad Papam, qui rusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est *Sacerdos, & Rex; Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; Rex Regum, & Dominus Dominantium. 2. 2. q. 40. art. 2. ad 1. & q. 60. art. 6. ad. 3. 2. sent. dist. vlt. in fine & ibi. 1. de Reg. Princ. cap. 14. & lib. 3. cap. 10. & 19.*

Ex quibus conuincitur Caietanus, qui 2. 2. q. 43. art. 8. & q. 60. art. 6. forsan secutus in dicta distinctione opinionem Auctoris; quam hic correxit, non recte sensit de Spirituali potestate, dicens, quod potestas sæcularis non omnino subditur potestati spirituali, sed in ordine ad spiritualia nec Papa habet plenitudinem potestatis in temporalibus, nisi in ordine ad spiritualia.

QVÆSTIO LV.

De Iustitia commutatiua, & distributiua.

Quomodo iustitia diuiditur in commutatiuam & distributiuam?

DVæ sunt iustitiæ species, scilicet commutatiua, & distributiua. Commutatiua quidem habet ordinem partis ad partem, hoc est vnius priuatæ personæ ad aliam; quia consistit in redditione rei, quæ ab alio habetur, secundùm æqualitatem quantitatis, quæ est æqualitas rei ad rem, vt quantò aliquis plus habet, quàm suum sit de eo, quod est alterius, tantum restituat ei, cuius est. Iustitia autem distributiua habet ordinem totius ad partem, hoc est eius, quod est commune, ad singulas

las personas, quia consistit in distributione communium bonorum in singulas personas, secundùm æqualitatem proportionis, vt scilicet, sicut vna persona excedit aliam, quia maiorem habet principalitatem in communitate, ita etiam res, quæ datur vni personæ excedit rem, quæ datur alteri. Vnde iustitia commutatiua, & distributiua distinguuntur specie, secundùm diuersam debiti rationem: alio enim modo debetur alicui id, quod est proprium, alio modo id, quod est commune. 2. 2. *q.* 61. *art.* 1. *&* *ad* 5. *&* *art.* 2. *&* 4. *sent. quæst.* 46. *q.* 1. *art.* 1.

QVÆSTIO LVI.

De Restitutione.

1. *Quomodo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ?*

Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quia in restitutione attenditur æqualitas secundùm recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad iustitiam cõmutatiuam, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per eius voluntatem, sicut in mutuo, vel deposito; vel contra voluntatem eius, vt in rapina, vel furto. Vnde restituere idem est, quòd iterum aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. 22. *q.* 62. *art.* 1.

2. *Quomodo restitutio est de necessitate salutis?*

Restitutio est de necessitate salutis, quia importat redditionẽ rei, quæ iniustè ablata est, quòd pertinet ad conseruationem iustitiæ: Conseruatio autem iustitiæ est de necessitate salutis. *ead. q. art.* 2.

3. *Quid si non potest recompensari æquiualens?*

In quibus non potest recompensari æquiualens, sufficit, quod recompensetur, quod possibile est: sicut cum aliquis abstulit alicui membrum, debet ei recompensare, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ secundùm arbitrium boni viri: ita scilicet secundùm Siluest, *V. Restitutio* 3. *q.* 2. quod teneatur satisfacere læso quantùm potest; & si fuit homicidium, aut læsio incurabilis, vt mutilatio, & huiusmodi, habeatur ratio expensarum & damni emergentis, & lucri cessantis in præsenti, & in futurum: si verò fuit curabilis, habeatur ratio expensarum, & lucri cessantis tempore infirmitatis. *ead. q. art.* 2. *ad* 1. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 5. 1. *ad* 2.

4. *Quomodo fama restituenda est?*

Tripliciter aliquis potest alicui famam auferre: Vno modo verum dicendo, & iustè, sicut cum aliquis crimen alicuius prodit ordine debito seruato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Secundo modo falsum dicendo, & iniustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed iniustè, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, scilicet, vel

fraternæ correctionis, vel iudicialis denuntiationis, & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum potest, sine tamen mendacio, vt dicat se malum dixisse, vel iniustè eum diffamasse: *Nisi sit restituenda fama coram personis notitiam habentibus de modo restituendi famam, quia tunc secundùm Caiet. non est restituenda, dicendo aliquis se malum dixisse, vel iniustè diffamasse: esset enim magis confirmatio prius dicti, quàm restitutio famæ. Sed coram talibus debet laudare illam personam, cum veritate tamen, pluries aperiendo, quod credit ipsum bonum virum & hoc tam cautè, ne videatur hoc facere pro restitutione, vel si ea, quæ dixit, habeantur pro oblitis, & talis restitutio sit magis recordatio, omitti potest. Addit Caietanus quartum modum, quo potest aliquis famam alicui auferre, scilicet falsum dicendo, sed iustè, sicut contingit iudici condemnanti innocētem secundùm acta & probata, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ, nec alterius damni, sed falsi testes ad hoc tenentur.* Si autem non potest aliquis famam restituere, debet recompensare, vel in pecunia, vel in honore, consideratis conditionibus personarum secundùm arbitrium sapientis, sicut & de alijs dictum est. *ead. qu. art. 2. ad 2. & 4. sent. vbi sup. q. 1. ad 2.*

Vbi notandum occurrit secundùm Caietanum ar. 6. & Nauar. c. 17. num. 89. & 90. quidquid dicat Sotus, quod non tenetur aliquis restituere famam cum detrimento vitæ, quæ est superioris ordinis, sicut non tenetur ad restitutionem exteriorum bonorum cum detrimento famæ, quæ est altioris ordinis, secundùm illud Prou. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ; *Tenetur tamen ad restitutionem alienæ famæ, cum detrimento propriæ famæ, cum sit eiusdem ordinis.*

5. *Quare potest aliquis remittere restitutionem propriæ famæ?*

POtest aliquis propter humilitatem remittere restitutionem propriæ famæ, quia arbitrij hominis est, quod patiatur detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in periculum aliorum, sicut si sit persona publica, cui ex officio incumbat verbo & exemplo alijs proficere ad salutem, vel nisi ex ipsius infamia sequatur alterius infamia, vel detrimentum. Vnde Paulus pro minimo habebat iudicari ab hominibus. *q. 73. art. 4. ad 1. & Quodl. 10. ar. 13.*

Ex quibus patet, quod non potest stare dictum Caiet. q. 73. art. 2. quod aliquis infamando seipsum in tormentis, tenetur restituere famam Ecclesiæ, cuius est membrum, cum homo sit dominus suæ famæ.

6. *Quando impediens, ne detur præbenda personæ digna, tenetur ad restitutionem?*

IMpediens ne detur præbenda personæ dignæ, si impedit iustè, sicut si propter honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, procuret, quod detur digniori, non tenetur ad aliquam recompensationem faciendam. Si vero impedit iniustè, puta propter odium, vel vindictam, vel aliquid huiusmodi, tunc si non sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam

quam recompensationem, consideratis conditionibus personarum, & negotij secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat consecutus, & poterat multipliciter impediri: Si autem iam firmatum sit, quod ei detur præbenda, tenetur ad restitutionem æqualis tamen, secundum suam facultatem, quia idem est, ac si iam habitam ei auferret. *ead. q. art. 2. ad 4. & 4. sent. vbi sup. art. 5. qu. 1. ad 3.*

Et intelligit de actu malo animo iniustè facto, scilicet per vim, metum, dolum, vel fraudem, quæ obligant ad restitutionem, & de impediente, ne aliquis non solùm præbendam, sed quodlibet bonum consequatur, quod datur ex iustitia; secus autem, si detur ex liberalitate, secũdum Silu. verbo restit. 3. q. 12.

7. *Quare tenetur aliquis restituere quantùm accepit?*

CVM aliquis iniustè accepit rem alienam, quantùm ad inæqualitatem rei sufficit, quod restituat tantùm, quantùm accepit, ad hoc vt æqualitas reparetur, nisi res sit fructifera, quia tunc sunt etiam fructus restituendi, deductis necessarijs expensis. Sed quantùm ad culpam, debetur ei pœna per iudicem infligenda. Et ideo antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plusquam accepit: sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere. *ead. quæst. art. 3.*

Ex quibus colligit Sotus lib. 4. de iust. & iure. q. 6. art. 4. quod leges non obligant ad solutionem pœnæ, nisi post sententiam condemnationis: & sic efferentes frumentum, equos, vel aurum, quæ sunt lege prohibita propter bonum commune, non tenentur soluere pœnas, nisi capiantur, licet committant peccatum mortale. Similiter vendentes frumentum, vel vinum cariùs, quàm lege statutum est, non tenentur ad solutionem pœnæ, nisi sint condemnati, sed tenentur ad restitutionem excessus iusti pretij. Similiter cadens ligna in sylua sine facultate, non obligatur ad pœnam soluendam, nisi capiatur, & condemnetur, & si sylua sit communis vrbis vel oppidi, non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem, nisi magnam cædem faciat. Si verò sylua sit domini vrbis vel oppidi, cadens ligna sine facultate, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, nisi incolæ careant sylua, & grauem patiantur necessitatem, tunc enim possent pauperes cædere ligna ad vsum foci proprij necessaria. Si autem sylua sit particularium hominum, absque dubio cædens ligna, vltra peccatum mortale, ad restitutionem tenetur.

8. *Quomodo damnificans tenetur ad restitutionem?*

QVi damnificat aliquem auferendo ei, quod actu habebat, tenetur tale damnum recompensare secundum æqualitatem; puta si aliquis damnificet, diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet domus. Qui verò damnificat aliquem impediendo, ne consequatur quod erat in via habendi, non tenetur tale damnum recompensare secundum æqualitatem, quia id, quod est in via, & in potentia, minus valet, quàm si esset in actu, cum pos-

sit multipliciter impediri: tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum: sicut cum aliquis damnificat eum, qui seminat in agro, effodiendo semina, tenetur restituere fructus, pensata potentia proxima, vel remota ad messem, & pensatis expensis, & periculis, quæ vsque ad messem accidere possent ad arbitrium sapientis. Similiter quando debitor detinet pecuniam creditoris vltra terminum præfixum, si creditor incurrit damnum, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod actu habet, vel debet habere, puta si eget pecunia, & ex mora debitoris vendit domum, vel agrum minùs, quàm valeat, vel accipit pecuniam sub vsura, tenetur debitor damnum recompensare secundùm æqualitatem. Si verò damnificatur ex eo, quod de pecunia non lucratur exposita industriæ, quæ est in potentia ad lucrum, tenetur debitor recompensare damnum, considerata industria & periculis, quæ in lucro accidere aliàs possent, & etiam expensis. Vtrumque autem intelligendum est, si creditor denuntiet tale damnum debitori, vt infra dicetur, & ex his facile erit iudicare de reliquis. *ead. quæst. art. 4. & ad 1. 2. & q. 78. art. 2. ad 1. & 4. sent. dist. 15. q. 1. ar. 5. q. 1. ad 4.*

9. *Quare restitutio debet fieri domino rei?*

REStitutio debet fieri ei, à quo res accepta est, ad hoc, vt æqualitas rerum reparetur, quia ille, à quo res accepta est, minùs habet de suo. *ead. q. art. 5.*

Vnde secundùm Caiet. quem sequitur Sotus lib. 4. de iust. & iure q. 7. art. 1. si aliquis accepit rem ab eo, qui non est verus dominus, puta à fure, non debet ei restituere, quia non minùs habet de suo, sed debet facere quantùm potest, vt reddatur domino: non tenetur tamen reddere domino secundùm iustitiam, vt vult Sot. ita vt obligetur ad restitutionem, si non reddat; sed secundùm charitatem, nec tenetur secundùm charitatem, si timet malum à latrone sibi inferendum. Similiter si accepit rem à filio familias, vel a monacho, qui non sunt domini, restituenda est Patri, vel Prælato, nisi sit dilapidator bonorum Ecclesiæ, quia tunc reddenda est Abbatiæ, vel Conuentui, cuius est: Debet tamen significare ei, qui non est dominus, quòd ipse non tenetur restituere, ne pœnitentia ductus iterum restituat; & etiam vero domino, ne alia via procuret illud recuperare.

10. *Quomodo restitutio facienda est, si res sit nociua domino?*

QVando res restituenda apparet esse grauiter nociua ei, cui restitutio est facienda, vel alteri; sicut si aliquis redderet gladium depositum furioso, tunc non debet ei restitui, quia restitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui restituitur: non tamen debet ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed reseruare, vt congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutiùs conseruandam. *ead. q. art. 5. ad 1.*

Ex hoc fundamento elicit Caietanus, quod tempore iniusti belli non sunt restituenda magna debita Principi, quibus ad exercitum fouendum eget, sed sunt con-

seruanda, vt congruo tempore sine alterius iniuria reddantur, & sic de similibus.

11. *Quomodo restitutio debet fieri domino ignoto, vel mortuo, vel absenti?*

SI ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, facta diligenti inquisitione de persona eius, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue viuus: qui si postea sciatur, non debet ei iterum restituere: & sic in deprædatione ciuitatis, quando bellum est iniustum, si quis accipit aliqua, & non potest ea domino restituere, quia nescit eum, debet pauperibus illius ciuitatis restituere, vel in alios vsus illius ciuitatis conuertere secundùm arbitrium Episcopi vel illorum, ad quos pertinet cura illius ciuitatis. Si autem dominus sit mortuus, debet restitutio fieri eius hæredi, qui computatur vna persona cum ipso. Si autem sit multum distans, & res sit magni valoris, debet sibi transmitti, si potest, commodè, etiam expensis debitoris, si eam iniustè detinet. Si verò commodè transmitti non potest, vel res non sit magni valoris, potest dari propinquis illius, si habet, vel debet in aliquo tuto loco deponi, vt pro eo conseruetur, & domino significari. *ead. q. art. 5. ad 3. & 4. sent. vbi supra art. 5. q. 3. ad 1. 2. & 3.*

Ex his patet, non esse tenendum, quod dicit Nauar. cap. 17. num. 29. Quod quando dominus est longinquus, aut in tali loco, & suum ad eum mitti non possit, tunc restituendum est pauperibus, vel in alios pios vsus expendendum.

12. *Quomodo ille, qui rem alienam accepit, tenetur restituere?*

SI acceptio rei alienæ est iniuriosa, scilicet contra voluntatem domini, vt patet in furto, & rapina, tunc ille, qui accipit, tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis, etiam si res apud ipsum non maneat; quia tenetur ad recompensationem damni illati, & vlterius, pro iniuria illata potest puniri: & sub hoc membro continetur omnis iniusta damnificatio. Si autem acceptio rei alienæ est ex voluntate domini in vtilitatem accipientis, sicut patet in mutuis, tunc etiam ille, qui accipit, tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptionis, etiam si rem amiserit: tenetur enim recompensare damnum ei, qui gratiam fecit. Si verò acceptio rei alienæ est ex voluntate domini non pro vtilitate accipientis, sicut patet in depositis, tunc ille, qui sic accipit, tenetur ad restitutionem ratione rei acceptę, non tamen ratione acceptionis, quia accipiendo obsequium impendit: & ideo, si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem, nisi mercede se obligauit custodire, vel sit in mora reddendi, secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret. *Et in hoc differt depositum a commodato, vel locato, quia accipiens rem commodatam, vel locatam, tenetur de leui culpa non quidem in totum, sed in partem pro ratione culpæ*

culpa, vt habetur cap. vnico de commod. quod contingit, si commodatio, vel locatio, quæ fit mercede interueniente, sit pro vtilitate accipientis. Iudicatur autem leuis, & grauis culpa secundùm arbitrium sapientis. Differt etiam mutuum à commodato, & locato; quia in mutuo transfertur dominium rei, non autem in commodato, & locato, & ideo si quis rem mutuatam citra culpam amiserit, tenetur ad restitutionem, vt dictum est; sed non tenetur ad restitutionem, si perdiderit rem accomodatam, vel locatam. ead. q. art. 6. & q. 78. art. 2. ad. 5. & Quodl. 3. art. 19. Ex hac regula tamquam fundamento, quod aliquis tenetur ad restitutionem non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis, patet multorum casuum resolutio: nam si quis iniustè, hoc est mala fide, accepit rem alienam, tenetur ad restitutionem, etiam si rem amiserit, ratione iniustæ acceptionis. Si autem iustè, siue bona fide rem accepit, non tenetur ad restitutionem, si res apud ipsum non maneat: sicut si quis scienter emit equum à latrone, tenetur domino restituere, siue habeat equum, siue furto ei sublatus fuerit, siue vendiderit alteri, siue mortuus fuerit: si verò bona fide emit à latrone, putans equum esse suum, non tenetur ad restitutionem, si ei furatus est, vel mortuus est, vel alteri vendidit; tamen si postea sciat esse furtiuum, tenetur restituere lucrum, si plus vendidit, & etiam emptorem seruare indemnem, & si ei dono equus datus est, tenetur totum pretium reddere, deductis expensis factis. Similiter si aliquis mala fide rem alienam accepit, tenetur ratione iniustæ acceptionis non solùm ad restitutionem rei, sed etiam ad recompensationem totius damni emergentis, & lucri cessantis, quod dominus incurrit ex mora restitutionis. Sed si bona fide accepit, tenetur tantùm restituere, quod lucratus est, sicut in exemplò posito, si quis scienter emit equum à latrone, quem detinuit per tres menses, tenetur non solum equum domino restituere, sed etiam damnum, quod domino euenit & illud etiam quod dominus lucratus esset illis mensibus ratione ipsius equi, quamuis qui emit equum, otiosum habuerit, sed emens bona fide tenetur tantùm restituere equum, & quidquid lucratus est deductis expensis, quæ possunt similibus vsibus applicari.

13. *Quid si multi simul accipiunt rem alienam, & vnus integrè restituit?*

QVando multi simul accipiunt rem alienam, qui sunt principales in facto, & tenentur ad restitutionem in solidum, etiam si vnus eorum alios mouerit, grauius peccando, tunc si ille, vel alius eam integrè restituit, alij tenentur ei refundere, quilibet pro portione sua; quod tamen potest ille condonare. Si autem ad eum res peruenit, alij ei refundere non tenentur, sed si alij restituerunt, tenetur ille eis restituere.

Cum autem plures ad damnum concurrunt, ex quo nihil eis accrescit lucri, sicut in destructione domus, vel incendio, tunc secundùm Caiet. quem sequitur Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 3. si ille, qui integrè restituit, alios induxit, & sine aliis maleficium perpetrasset, non tenentur alij ei refundere; si verò fuit inductus, vel sponte se obtulit, tenentur ei refundere æquis portionibus, ead. q. art.

art. 6. ad 3. & art. 7. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 5. q. 2.

14. *Per quem potest restitutionem facere qui rem alienam accepit?*

POtest aliquis per sacerdotem, cui confitetur, restitutioné facere rei alienę, quia licet non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen detegere Deo in confessione. *ead. q. art. 6. ad 2.*

Ex quibus colligitur, opinionem Soti lib. 4. de iust. & iur. q. 6. art. 3. non esse recipiendam, quod tenetur aliquis cum detrimento suæ famæ rem alienam restituere.

15. *Quare potest aliquis, quæ bona fide præscribit, possidendo, retinere?*

SI aliquis præscribit bona fide, possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiam si sciat alienum fuisse post præscriptionem; quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & illam alteri tradere. *Quodl. 12. art. 25.*

16. *Quando illi, qui sunt expulsi extra ciuitatem, possunt amissa repetere?*

SI aliqui sunt iustè expulsi propter eorum culpam, non possunt amissa repetere. Si autem iniustè sunt expulsi, hoc est sine culpa, & sine debito ordine iustitiæ, possunt ea repetere, vel recuperare, si non habet superioré. *Quodl. 12. ar. 24.*

17. *Quare mutuo accipiens pecuniam tenetur eam restituere creditori?*

QVi mutuò accipit pecuniam, tenetur ex debito iustitiæ eam restituere creditori ratione contractus bonæ fidei, qui fuit inter mutuantem, & mutuò accipientem, & tantò magis, quantò in maiori necessitate creditor sibi subuenit. *Quodlib. 5. art. 17.*

18. *Quando tenetur quis acquisitum per ludum restituere?*

SI quis alium trahit ad ludum alearum ex cupiditate lucrandi, & ab eo fraudulenter lucratur, vel lucratur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt filij familias inscio patre, religiosi, furiosi, & huiusmodi, tenetur eis restituere, etiam ante iudicis condemnationem, quia in his casibus lucrum est prohibitum de iure diuino. Si autem lucratur ab his, qui suæ sunt potestatis, absque fraude, non tenetur eis restituere ante iudicis condemnationem. Similiter si aliquis sine fraude lucratur ab eo, qui traxit eum ad ludum. Idem dicendum est de ludo taxillorum, & tabularum; quia tale lucrum est vniuersaliter iure positiuo prohibitum, tum clericis, tum religiosis, *cap. clerici de vit. & hon. cler. tum laicus. ff. de aleat. l. solet. & C. de relig. l. alearum vsus*, per quas leges ille, qui perdidit, potest coram iudice repetere, nisi fortè contraria consuetudo præualeat. *2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. & 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 2. ad 2.*

19. *Quando mulier tenetur restituere acquisitum per meretricium?*

POtest mulier retinere acquisitum per meretricium, quia ipsa datio non est illicita, sed causa

propter quam datur, est illicita, scilicet fornicatio, vel adulterium. Si autem superfluè ad fraudem, vel dolum extorquet, puta dicendo se esse virginem, cum non sit, vel non fuisse cognitam, nisi à nobilissimis; vel si ille, qui dat, non potest dare, quia est seruus, vel religiosus, vel filius familias non habens proprium in tanta quantitate, quantum dat, tunc mulier tenetur illud restituere. 2. 2. *q. 32. art. 7. & q. 62. art. 5. ad. 2.*

20. Quomodo ille, qui est causa iniustæ acceptionis, ad restitutionem teneatur?

QVicumque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem in solidum, quia aliquis tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis: directè quidem, quando aliquis inducit alium ad accipiendum, indirectè verò, quando aliquis non impedit, cum possit, & debeat impedire, quæ his versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus; Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quinq; tamen istorum semper obligant ad restitutionem. Primò quidem iussio, quia ille, qui iubet, est principaliter mouens: Et ideo ipse principaliter tenetur restituere. Secundò obligat ad restitutionem consensus ad rapinam perpetrandam in eo, sine quo rapina fieri non potest. Tertiò recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat. Quartò participans, quando aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda. Quintò non obstans, cum obstare teneatur: sicut Principes, qui tenentur ex officio conseruare iustitiam in terra; si per eorum defectum latrones increscunt, ad restitutionem tenentur, quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, vt iustitiam seruent in terra. In alijs autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restitutioné, sed quando est efficax causa iniustæ acceptionis: non semper enim consiliator tenetur ad restitutionem: vel palpo, hoc est adulator, quando adulando ad auferendum incitat, dicens hoc signum strenuitatis esse: vel mutus, hoc est non clamans, quando ex officio clamare tenetur, vt custos domus, vel iudex mutus, hoc est non reprehendens, quando incumbit alicui ex officio, sicut Principibus terræ, qui sunt iustitiæ custodes: vel non manifestans, scilicet post factum, cum manifestare teneatur, sicut testis in crimine notorio. Sed tunc tenentur isti ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta. In omnibus autem his, si principalis in facto, ad quem res peruenit, restituit illi, qui passus est damnum, alij eidem restituere non tenentur; sed si alij restituerunt, tenetur principalis eis restituere. *ead. quæst. art. 7. & ad 2. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 5. quæst. 2.*

21. Quando debet fieri restitutio?

REstitutio debet fieri statim, quia præceptum de restitutione facienda

cienda, quamuis formaliter sit affirmatiuum, includit tamen in se negatiuum, quo prohibemur rem alienam detinere inuito domino, quod obligat ad semper. Et ideo quilibet tenetur statim restituere, habita opportunitate, si potest; vel tenetur petere remissionem, vel dilationem ab eo, cui debet, vel per se, vel per alium, duabus seruatis conditionibus secundùm Nauar, *cap.* 17. *num.* 25. quod remissio fiat per eum, qui donare potest, & quod scienter, & sponte fiat sine vi, fraude, metu, vel diffidentia debitum recuperandi. Si autem non potest statim restituere, ipsa impotentia absoluit eum ab instanti restitutione facienda, sicut etiam totaliter à restitutione absoluitur, si omnino sit impotens. *ead. q. art.*8. *& ad* 1. *&* 2. *&* 4. *sent. dist.*17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 3.

Ex quo infert Nauar. cap. 17. *num.* 54. *quod aliquis incurrit nouum peccatum, quoties proponit non restituere, vel commodè restituere valens non restituit, si hoc aduertit. Et num.* 50. *quod quamuis æquum sit dictum Caiet. in summa verb. rest. cap.* 6. *quod confessarius non debet absoluere eum, qui statim restituere tenetur, nisi prius actualiter restituat, si in alia confessione restituere neglexerit: possent tamen tales circumstantiæ loci, temporis, & causæ occurrere, vt solùm restituendi propositum satis sit. Et num.* 65. *quod confessarius non potest absque causa, quæ à statim restituendo excuset, pœnitenti dilationem concedere, quando scit eum restituere posse. Ille autem dicitur impotens ad restituendum statim, secundùm Caiet. qui non solùm patitur extremam, vel grauem necessitatem, sed etiã qui est in tali necessitate constitutus, quod incurreret magnum damnum emergens in suis bonis, si tunc vellet restituere, quod non incurreret si restitutionem differret, nisi dominus ex ista dilatione notabiliter damnificaretur. Tunc enim sibi imputet detinens, quod damnum notabile incurrat ex restitutione, ex quo in mora est. Idem dicendum est, si restituendo statim, incurreret damnum suæ famæ, quæ est superioris ordinis, vel si incurreret damnum spirituale, puta adulteria, fornicationes, & huiusmodi, indigentia restituenti suaderet, secundùm Nauar. cap.* 17. *num.* 63.

QVÆSTIO LVII.

De Acceptione personarum, quæ iustitiæ distributiuæ opponitur.

1. *Quomodo acceptio personarum est peccatum?*

PErsonarum acceptio est peccatũ, quia opponitur iustitiæ distributiuæ in hoc, quod præter proportionem agitur, inquantùm attribuitur personæ aliquid, propter conditionem, quæ non facit ad causam, per quam fit dignus hoc dono; puta si quis promoueat aliquem ad prælationem quia est diues, vel quia est consanguineus suus. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 1. *& Quodl.* 4. *art.*15.

2. *Quando absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium minùs boni melioribus præferuntur?*

QVi sunt simpliciter minus boni in dispensatione spiritualium, absque

absque personarum acceptione quãdoque melioribus præferuntur in ordine ad bonum commune; sicut si minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam; vel industriam sæcularem, vel propter aliquid huiusmodi, quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad vtilitatem communem, secundùm illud 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. Et ideo secundùm statuta Ecclesiæ assumitur aliquis de gremio Ecclesiæ, *de elect. cap. cum inter canonicos, & dist. 61. cap. nec emeritis, & cap. nullus*. quia, vt in pluribus consueuit esse vtilior, quantùm ad bonum commune, cum magis diligat Ecclesiam, in qua nutritus est. Et propter hoc mandatur Deuter. 17. *Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non sit frater tuus. ead. quæst. art. 2. & ad 4. & Quodl. 6. art. 9.*

3. Quando consanguinei Prælati in dispensatione spiritualium absque personarum acceptione præferri possunt?

PRælatus non potest absque personarum acceptione in dispensatione spiritualium consanguineos suos præferre dignioribus simpliciter, vel per respectum ad bonum commune; quia Prælatus non est dominus spiritualium, vt possit ea pro libito dare, sed dispensator, secundùm illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*. Vnde Hieronym. dicit, *& habetur* 8. *q. 1. cap. Moyses: Extraneus de alia tribu à Moyse eligitur Iesus, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ*. At nunc cernimus plures hanc rem beneficio facere; vt non quęrant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesię prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit: Licitè autem potest Prælatus absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, si sint ęquè digni, vt alij: quia saltem in hoc magis præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Et hoc significatur *Genes.* 48. vbi Pharao dixit ad Ioseph de fratribus suis: *Si nosti in eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum*. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent bona Ecclesiæ consanguineis dandi, etiam minùs dignis. *ead. qu. art. 2. ad 1. & Quodl. 4. art. 15.*

4. Quando acceptio personarum est peccatum in exhibitione honoris?

ACceptio personarum est peccatum in exhibitione honoris, quando aliquis honoratur propter alias causas, quæ non faciunt eum dignum honore, puta si diuites honorantur solùm propter diuitias simpliciter. *ead. quæst. art. 3. & Quodl. 10. art. 12.*

De Peccatis, quæ committuntur circa inuoluntarias commutationes; Hæc autem sunt, per quæ nocumentum infertur proximo, vel in persona, vel in rebus, vel in verbis.

De

De peccatis, per quæ nocumentum proximo infertur in propria persona.

QVÆSTIO LVIII.

De Homicidio.

1. Quomodo homicidium est peccatum?

INter peccata, quæ in proximum committuntur, homicidium est grauius, quia opponitur maiori bono; per ipsum enim tollitur actualis vita hominis, quæ est maius bonum, quàm vita hominis in potentia, cui opponitur peccatum Luxuriæ, quia est inordinatio quædam circa actum generationis humanæ,&etiam quàm bona exteriora, quibus opponitur furtum, rapina, & huiusmodi. Occidere autem hominem multipliciter contingit: Primò quidem opere, quod est non solùm contra charitatẽ; qua præcipitur,vt diligas proximum sicut teipsum; sed etiam contra naturam, quia, vt dicitur Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile*. Secundò fit ore dando consilium alicui contra aliquem prouocando, & susurrando. Tertiò fit corde, si motui homicidij consentiat ratio. 1. 2. *q.* 72. *art.* 3. *& q. de malo. art.* 10. *& opusc.* 4.

2. Quare licitum est occidere peccatores?

LIcitum est occidere peccatores propter bonum commune, vt scilicet bonum commune conseruetur: quia peccator est periculosus communitati, & corruptiuus ipsius: *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, *vt dicitur* 1.ad Cor.5. Sicut præciditur membrum putridum propter salutem totius corporis. Nec hoc est prohibitum in præcepto Decalogi, Non occides; quia occisio hominis prohibetur in Decalogo secundùm quod habet rationem indebiti: sic enim dicitur homicidium. Occidere autem malefactores non est indebitum. 1. 2. *q.*100. *ar.*8. *ad* 3. *&* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 2. *& Quodl.* 8.*art.* 14. *ad* 1.

3. Cur occidere peccatorem non licet priuatę personę?

NOn licet priuatæ personæ occidere malefactorem, sed Principi. 23.*q.*5. de occidendis. Quia licitum est occidere malefactorem, propter bonum commune,vt dictum est. Cura autem communis boni commissa est Principibus publicam auctoritatem habentibus. In vno tamen casu licitum est priuatę personę occidere malefactorem, quando scilicet tyrannus non potest aliter à ciuitate expelli: quod intelligendum est de tyranno, qui non habet verum titulum, sed tyrannicę occupat ciuitatem. 2.2.*q.* 64. *ar.* 3. *&* 2. *sent. dist.* 44. *q.* 2. *art.*2. *& opusc.* 4. *&* 20. *de reg. princ. ca.* 6.

4. Cur occidere malefactores non licet clericis?

CLericis non est licitum occidere malefactores: Primò quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui cum percuteretur,

non

non repereutiebat, vt dicitur 1. *Petri* 2. debent enim ministri Domino suo conformari. Secundò, quia sunt ministri nouæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis, & ideo secundùm iuris ordinem non sunt compellendi ad ferendum testimonium in causa sanguinis. *cap. sententia ne cler. vel mon. & 23. & q. 8. cap. his à quibus. 2. 2. q. 40. art. 2. & q. 64. art. 4. & q. 70. art. 1. ad 3. & 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2. quæst.*

5. *Quare occidere seipsum est peccatum mortale?*

OCcidere seipsum semper est peccatum mortale. Primò quidem, quia est contra legem naturalem, qua quælibet res conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit quantùm potest: est etiam contra charitatem, quia quilibet debet seipsum diligere. Secundò, quia quilibet homo est pars communitatis; & ideo occidendo seipsum, iniuriam facit communitati. Tertiò quia homo non est Dominus suæ vitæ, sed solus Deus, qui occidit, & viuere facit, vt dicitur *Deut.* 32. & ideo qui seipsum occidit, in Deum peccat. 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. *& ad* 3.

6. *Quomodo Samson, & aliqua sanctæ mulieres excusantur, quæ seipsas occiderunt?*

SAmson excusatur, qui seipsum interfecit cum hostibus ruina domus, quia latenter Spiritus Sanctus hoc iusserat ei, qui per illum miracula faciebat. Eâdem ratione quædam sanctæ mulieres tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, se in fluuium deiecerunt, ex diuino scilicet instinctu: & possibile est, quod diuina auctoritas aliquibus fide dignis testificationibus persuaserit Ecclesiæ, vt earum memoriam honoraret, vt August. dicit. 1. *de Ciuit. Dei, cap.* 21. *&* 26. *ead. quæst. art.* 5. *ad* 4. *sent. dist.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 6. *& opusc.* 4.

7. *Quare occidere innocentem est grauius peccatum quàm occidere peccatorem?*

ILle, qui occidit innocentem, grauius peccat, quàm ille, qui occidit peccatorem. Primò quidem, quia nocet ei, quem magis debet diligere: & ita magis contra charitatem agit. Secundò, quia iniuriam infert ei, qui est magis dignus, & magis contra iustitiam agit. Tertiò quia priuat communitatem maiori bono. Quartò quia magis Deum contemnit, secundùm illud Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit. ead. q. art.* 6. *ad* 2.

8. *Quomodo licet alicui occidere inuasorem se defendendo?*

NOn est licitum alicui occidere inuasorem propriam vitam defendendo, si vtatur maiori violentia, quàm oporteat, vt scilicet occidat inuasorem, potens aliter vitam tueri. Si verò moderatè violentiam repellat, est licitum, quia secundùm iura licet vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec propter

hoc

hoc incurrit irregularitatem *Clem. vnic. de homic.* nisi causam iniustam dederit. Nec est de necessitate salutis, vt hunc actum moderatæ tutelæ pretermittat, ad euitandam occisionem alterius, quantùm ad vitam corporalem, quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quàm vitæ alienæ: neque quantùm ad vitam spiritualem, quia non est de necessitate salutis, quòd exponat homo propriā vitam pro salute spirituali proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti prouidere. Hic autem non est talis, quia defensori non incumbit cura de salute spirituali inuasoris, sed tantùm imminet cura de propria vita: si tamen defensor posset fugiendo suæ vitæ prouidere, tenetur fugere, nisi sit persona nobilis: quia secundùm Sotum lib. 5. *de iustit. & iure. q.1. art.* 8. non tenetur aliquis cum suo dedecore fugere. Illicitum est autem, quòd aliquis intendat occidere hominem, vt seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro iudicis pugnante contra latronem, quamuis & isti peccent, si priuato affectu moueantur. 2.2. *q.* 26. *art.* 5. *ad* 3. *& q.* 64. *art.* 7.

9. *Quando aliquis casualiter occidens hominem incurrit homicidij reatum?*

OCcidens hominem casualiter, hoc est præter intentionem, incurrit homicidij reatum, si dat operam rei illicitæ, sicut si percutit mulierem prægnantem, *cap. sicut* 2. *de homic*, vel si dat operam rei licitæ, & non adhibet debitam diligentiam, & imminet aliquod periculum, quia iam quodammodo fit voluntarium in sua causa, sicut si aliquis emittit sagittam in aliquo loco, vbi homines solent transire, & non studet scire an tunc aliquis transeat, ad negligentiam sibi imputatur, si occidat transeuntem. Si autem dat operam rei licitæ, adhibens debitam diligentiam non committit homicidium, nec incurrit irregularitatem, vt patet per multa *capitula de homic.* sicut cū clericus pulsat campanam, vt signo dato populus conueniat, si casu cadens tintinnabulum, puerum occidat, non incurrit homicidium. *cap. Ioannes de homic.* quia dat operam rei licitæ, nec omnes casus fortuitos prouidere potest: secus autem si sciebat tintinnabulum aliàs cadere solitū vel esse male ligatū. 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *&* 6. *q.* 62. *art.* 7. *& q.* 64 *art.* 8. *& ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæst. ad* 3.

10. *Quomodo abortus est peccatum?*

ABortus qui procuratur, est graue peccatum, inter maleficia computandum, & per ipsum incurritur irregularitas, si sit formatus fetus: *cap. sicut de homic.* est tamen minùs peccatum, quàm homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus. 4. *sent. dist.* 31. *in expositione l.*

QVÆSTIO LIX.

De Mutilatione membrorum?

1. *Quomodo mutilatio membri est peccatum?*

MVtilatio membri est peccatum morta-

mortale; quia infertur proximo notabile nocumentum, & aggrauatur peccatum, ceteris paribus, ex hoc, quod iniuria infertur personæ alteri coniunctæ, quia lædit etiam personam, cui coniungitur: potest tamen contingere, quod secundùm aliquas circumstantias sit grauius peccatum, quod fit contra personam nulli coniunctam, vel propter dignitatem personæ, vel propter magnitudinem nocumenti. *ead. q. art. 4.*

2. Quando licitum est aliquem membro mutilare?

Licitum est personæ publicæ aliquem membro mutilare propter bonum commune, inquantum ei infertur in pœnam ad cohibitionē peccatorum. Hoc autem non est licitum alicui priuatæ personæ, etiam volente illo, cuius est membrum, si membrum sit sanum, quia per hoc fit iniuria cōmunitati, cuius ipse est, & omnes eius partes. 2. 2. q. 65. *art.* 1.

3. Quando licet patribus verberare filios, & dominis seruos?

Licitè potest pater verberare filium, & dominus seruum causa correctionis, & disciplinæ; quia filius subditur potestati patris, & seruus potestati domini, ita tamen, quòd non immoderate eos affligant verberibus. Vnde dicitur *Prouer. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum. Et Eccl. 33. dicitur: Sermo maleuolo tortura, & compedes. ead. q. art. 2. & ad 1.*

4. Quando licitum est aliquē incarcerare?

Licitum est aliquem incarcerare secundùm ordinem iustitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi. *ead. qu. art. 3.*

De peccatis, per quæ infertur nocumentum proximo in rebus.

QVÆSTIO LX.

De Furto.

1. Quomodo furtum est peccatum.

In furto inueniuntur duæ rationes peccati. Prima quidem est iniusta acceptio, vel detentio rei alienæ, inuito domino; & sic opponitur iustitiæ: quæ reddit vnicuique, quod suum est. Secunda est occulta acceptio, vel detentio rei alienæ; & sic habet rationem doli, vel fraudis. Sunt etiam aliquæ rationes, quæ debent hominem ab hoc peccato retrahere. Prima quidē sumitur ex grauitate; assimilatur enim hoc peccatum homicidio, Eccles. 34. *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum vir sanguinis est.* Secunda ex periculi qualitate; hoc enim peccatum non remittitur sine pœnitentia, & restitutione, quæ de facili non fit: maximè cum homo non solùm ad id teneatur, quod accepit, sed etiam ad damnum, quod domino intulit: & sic non solùm suam perdat animam, sed & filiorum, quia illi reddere tenentur. Vnde dicitur *Hab. 2. Væ ei, qui multiplicat non sua. Vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* dēsum lutū dicit, quod non de facili homo egreditur: Tertia ratio sumitur ex nocumenti singularitate; quia malè ablata faciunt perdere

dere alia, sunt enim sicut ignis alijs commistus. Iob. 15. *Ignis deuorauit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* 2. 2. q. 66. *art.* 3. *&* *ad* 2. *&* *art.* 5. *&* *opusc.* 4.

2. Quomodo furtum est peccatum mortale?

FVrtum est peccatum mortale, quia contrariatur charitati; per furtum enim homo infert nocumentum proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicē furarentur, periret humana societas. *ead. q. art.* 6.

3. Quomodo paruitas rei excusat furem à peccato mortali?

SI quis furtiuè accepit rem paruā, potest excusari à peccato mortali, quia in re parua homo non reputat sibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, potest præsumere hoc non esse cōtra voluntatem domini. Si autem habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, sicut si paratus sit accipere aliquid notabile, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut, & in solo cogitatu per consensum. *ead. q. art.* 6. *ad* 3. *&* *q.* 10. *de malo art.* 2.

Vbi duo notanda occurrunt secundùm Nauar. cap. 17. *num.* 3. *Primùm est, quod paruitas rei excusans à peccato mortali, debet esse minoris quantitatis dimidio regali, vel iulio, nisi rapiatur à paupere, qui ex hoc damnum incurreret, vel si ex eius surreptione inferatur domino maius damnum, sicut si acus sartori, vel subula sutori, nō habenti aliam, qua operetur, sciente furetur. Secundùm est, vt dicit num.* 140. *Si quis rem minimam vno die accipiat, puta quadrantem, & multis alijs diebus tantumdem, quòd ad notabilem quantitatem crescat, excusatur à peccato mortali, nisi habuisset animum furandi notabilem quantitatem; obligatur tamen ad restitutionem sub pœna peccati mortalis, si continuato tempore sine magnis interuallis illam notabilem quantitatem accipiat, tunc enim pro vno furto reputatur, & sic peccant minutas res vendentes, & in singulis obolum vltra iustitiam exigētes: similiter famuli multas dominorum res ementes & ex singulis singula minuta subtrahentes.*

4. Quomodo peccat, qui furtim accepit rem suam apud alium detentam?

QVi furtim accepit rem suam apud alium iustè detentam per depositum, peccat, quia grauat depositarium, qui tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium. Et ideo tenetur ad releuandum grauamen depositarij. Qui verò furtim accepit rem suam apud alium iniustè detentam, peccat quidem, non quia grauet eum, qui detinet (& ideo non tenetur ad aliquid recompensandum) sed peccat contra communem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam, vt scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur. Si autem aliquis non potest, secundùm ordinem iustitiæ, rem suam recuperare propter detinentis potentiam, vel iudicis iniustitiam, vel defectu probationum, vel propter maius damnum

mnum amicitiæ, pacis, vel rerum, & non timet aliquod scandalum, vel nocumentum alijs euenturum, *secundùm Iun. cap. olim. de restit. spoliat. & Archid. 14. q. 5. can. non sane.* licitè potest eam occultè accipere, adhibendo cautelam, vt ille, qui detinebat, sciat se liberum esse ab onere restitutionis; ne ex tali ignorantia, si pœnitens fuerit, grauetur iterum restituere. *ead. q. art. 5. ad 3.*

5. *Quando licet rem alienam accipere propter necessitatem?*

IN casu extremæ necessitatis licitè potest aliquis de alieno accipere ad sui sustentationem, si non potest sibi de suo subuenire, & non inueniat, qui sibi dare velit, quia in tali necessitate omnia sunt communia: nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ; quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandum propriam vitam, & intelligit de re aliena, quæ vsu consumitur. *2. 2. q. 32. art. 7. ad 3. & q. 66. art. 7. & ad 2. Quodl. 5. art. 17. ad 1.*

Ex quibus colligitur, quòd opinio Nauar. cap. 17. nu. 61. & 62. non potest stare, quòd aliquis non efficitur dominus rei, qua indiget ad liberandum se ab extrema necessitate, & consequenter tenetur ad restituendum, cum ad pinguiorem fortunam peruenit. Hanc etiam opinionem reijcit Sot. lib. 4. de iust. & iur. quæst. 7. art. 1.

6. *Quando res inuentæ possunt licitè retineri?*

RErum inuentarum quædā numquam habuerunt dominum, vt lapilli, & gemmæ, quæ in littore maris inueniuntur, & tales sunt occupantis: quædam verò aliquando habuerunt dominum, & tunc aut ab antiquo dominum habuerunt, & sic, si inueniuntur in proprio agro, sunt inuentoris; si verò in alieno agro, secundùm leges ciuiles pro medietate sunt inuentoris, pro alia verò sunt domini agri: aut habuerunt dominum de propinquo; & tunc, si non habeantur pro derelictis, & aliquis eas accipiat, non animo restituendi domino, sed animo retinendi, committit furtum, secundùm illud Aug. *Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. & habetur 14. q. 5. c. si quid.* Si verò pro derelictis habeantur, & hoc credat inuentor, scilicet post diligentem inquisitionem de ipso domino, licet sibi eas retineat, non committit peccatum furti. *2. 2. q. 66. art. 5. ad. 2.*

Vnde opinio Caiet. q. 62. art. 5. non est secundùm mentem Auctoris, quòd casu inuenta, quæ habent dominum, quando dominus est omnino ignotus, sunt pauperibus restituenda, vt etiam tenet Nauar. cap. 17. num. 171. & communiter Summistæ, verbo, inuentum.

7. *Quare rapina est grauius peccatum quàm furtum?*

RApina est peccatum, quia est contra iustitiam, inquantum per violentiam alicui aufertur quod suum est. Est autem grauius peccatum, quàm furtum. Primò quidem, quia in furto est inuoluntarium per ignorantiam; in rapina autem est inuoluntarium per violentiam: magis

gis autem inuoluntarium est per violentiam, quàm per ignorantiam, quia violentia directiùs opponitur voluntati, quàm ignorantia. Secundò quia per rapinam non solùm infertur alicui damnum in rebus, sed etiam fit iniuria personæ; & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum, vnde rapina differt specie à furto. *ead.q.art.4.& 9.*

8. *Quando rapina est licita?*

QVicumque per violentiam aliquid alteri aufert, si sit priuata persona non vtens publica potestate, illicitè agit, & rapinam committit, sicut patet in latronibus: Principibus verò potestas publicæ committitur ad hoc, quod sint iustitiæ custodes, & ideo non licet eis violentia, & coactione vti, nisi secundùm iustitiæ tenorem; & hoc vel contra hostes pugnando, vel contra ciues malefactores puniendo; & quod per talem violentiam auferunt, non habet rationem rapinæ: & ideo non tenentur ad restitutionem, quamuis peccare possint propter cupiditatem ex praua intentione, si non propter iustitiam, sed propter prædam principaliter pugnent. Si verò hoc contra iustitiam faciũt, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur. *ead. q. art. 8. & ad 1.*

9. *Quare res Infidelium possunt per violentiam auferri?*

REs infidelium possunt à Principibus per violentiam subtrahi, non priuata auctoritate, sed publica, quia Infideles res suas iniustè possident, inquantum eas secundùm leges terrenorum Principum amittere iussi sunt. 2. 2. q. 10. *art.* 10. & *quæst.* 66. *art.* 8. *ad* 2.

De peccatis, per quæ nocumentum proximo infertur in verbis, ad iudicium pertinentibus.

QVÆSTIO LXI.

De Iustitia Iudicis in iudicando.

1. *Quare Iudex non potest aliquem iudicare, qui non est sibi subditus?*

IVdex non potest aliquem iudicare, qui non est sibi subditus; quia non potest iudicare, nisi habeat vim coactiuam, per quam vtraque pars compellatur ad seruandam suam sententiam; alioquin iudicium non esset efficax. Vim autem coactiuam non habet licitè in rebus humanis, nisi ille, qui fungitur publica potestate, siue ordinaria, siue per commissionem, qui superior reputatur respectu eorum, in quos, sicut in subditos, potestatẽ accipit. 2. 2. *q.* 67. *art.* 1.

2. *Quomodo iudex iudicare debet?*

IVdex informari debet in iudicando, non secundùm id, quod ipse nouit, tamquam persona priuata, sed secundùm id quod sibi innotescit, tamquam personæ publicæ; & in communi per leges publicas, vel diuinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; & in particulari per instrumentum, & testes, & alia huiusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in iudicando magis, quàm id, quod ipse nouit tamquam persona priuata. *Vnde si, de off. iud. cap. si sacerdos & 3. q. 7.*

iudice. & 6. q. 2. Vnde si tantum accideret casus, quod iudex sciat aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius testes examinare, vt inueniat occasionem eum liberandi, sicut fecit Daniel. Sed si hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandũ, cui debet significare, quod sibi contrarium constet, quia, vidit, ad hoc, quod superior habendo ipsum pro vno teste, possit innocentem adiuuare. Et si hoc non potest, non peccat secundùm allegata sententiam ferẽs, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. 2. 2. *quæst*.64. *art*.6. *ad* 3. & q. 67. *art*. 2. & *Quodl*. 5. *art*. 15. *ad* 1.

3. *Cur iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore?*

IVdex non potest aliquem condemnare sine accusatore, vel aliquo, quod locum tenet accusatoris; *de accus. cap*. 1. quia est quædam iustitia animata, quæ est ad alterum: & ideo oportet, quòd inter duos iudicet, quòd fit, quando vnus est actor, & alius reus. Tria autem tenent locum accusatoris. Primùm est publica infamia, cum scilicet aliquis est diffamatus de crimine *cap. euidentia eod. tit*. Secundùm est manifesta rebellio ad Ecclesiam, cui denuntiatum est crimen. Tertiùm est publicum iudicium, quando ipse iudex videt. 2. 2. q. 67. *art*. 3. & *ad* 2.

4. *Quare iudex non potest reum à pœna absoluere?*

IVdex non potest reum à pœna absoluere. Primò quidem ex parte accusatoris, quando reus propter iniuriam in ipsum commissam, est puniendus, quia iudex tenetur ius suum reddere vnicuique. Secundò ex parte Reipublicæ, cuius potestate fungitur, quia punire malefactores pertinet ad bonum commune. Supremus tamen iudex, scilicet Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicę vtilitati viderit non esse nocumentum. *ead. quæst. art*. 4.

QVÆSTIO LXII.

De Iustitia accusatoris in accusando.

1. *Quando homo tenetur ad accusandum?*

SI crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicę, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod ad officium accusatoris pertinet, sicut cum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, vel spiritualem; quia in accusatione intẽditur punitio peccantis, quæ confert, vel ad eius emendationem, vel ad bonum commune, vt peccata vitentur. Vnde *Deuter*. 13. post pœnam seductoris subditur: *Vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quidpiam huius rei simile*. 2. 2. q. 68. *art*. 1.

2. *Quando accusatio est iniusta?*

ACcusatio redditur iniusta ex tribus. Primò quidem ex calumnia, quando aliquis falsa crimina mali-

malitiosè imponit ei, qui accusatur. *ca p. 1. de calumn.* Secundò ex præuaricatione, quando aliquis fraudulenter vera crimina in accusatione abscondit colludens cum reo. Tertiò per tergiuersationem, cum aliquis ab accusatione desistit propter aliquam collusionem cum reo. *2. q. 3. si quem pœnituerit. ead. q. art. 3. ad 1. 2. & 3.*

QVÆSTIO LXIII.

De Iustitia rei in sui defensione.

1. *Quando accusatus tenetur veritatem in iudicio dicere?*

ACcusatus ex debito iustitiæ tenetur Iudici veritatem confiteri, si eam requirit secundùm ordinem iuris, puta cum præcessit infamia super aliquo crimine. *de accus. cap. inquisitionis. §. tertia.* vel aliqua expressa indicia apparuerunt; vel cum præcessit semiplena probatio, quam efficit vnus testis de visu, omni exceptione maior, quæ sunt reo manifestanda. *cap. qualiter. §. debet eod. tit.* & sic, si accusatus noluerit veritatem ei confiteri, vel si eam mendaciter negauerit ad sui excusationem; mortaliter peccat secundùm illud psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis:* quia facit & contra dilectionem Dei, cuius est iudicium, & contra dilectionem proximi ex parte iudicis, cui debitum negat. Si autem iudex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem iuris, non tenetur accusatus ei respondere, sed potest, vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere, vt scilicet verba proferat secundùm suam intentionem in sensu vero, dicendo non feci, & intendat in carcere, vel aliquid simile sine mendacio 2. 2. *q. 69. art. 1. & ad 3. & art. 2. & 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 3. ad 5. & Quodl. 5. art. 16.*

2. *Quando licitum est reo appellare?*

LIcitum est reo appellare confidentia iustæ causæ, hoc enim est prudenter euadere; sed non licet ei appellare causa differendæ moræ, nec contra eum iusta sententia proferatur; quia hoc est calumniose se defendere. *de appell. cap. cum sit ratali. §. porro.* facit enim iniuriam, & iudici, cuius officium impedit, & aduersario, cuius iustitiam quantùm potest perturbat. *eadem q. art. 3.*

3. *Quando licet condemnato ad mortem se defendere?*

SI aliquis iustè damnatur ad mortem, non licet ei se defendere, quia sic potestati resistit, quod prohibet Apostolus *Romanorū* 13. quantùm ad hoc, in quo est diuinitùs instituta ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Si autem aliquis iniustè damnatur ad mortem, licet ei resistere, nisi fortè ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur. *ead. q. art. 4.*

4. *Quomodo condemnatus ad mortem licitè potest fugere?*

COndemnatus ad mortem licitè potest fugere, quia non est con-

condemnatus ad mortem sibi inferendam, sed ad mortem patiendam. Manere autem in loco, vnde ducatur ad mortem, à qua potest per fugam se liberare, est sibi mortem inferre: tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod iustum est eum pati.

Et sic condemnatus ad mortem, (vt dicit Caietanus) potest frangere carceres, & compedes, non inferendo vim custodibus; quia sic frangere, non est resistere, sed fugere. Non possunt autem alij ei cooperari ad frangendum vincula, & carceres, subministrando ei limam, vel aliquod instrumentum, vt putat Caietanus, quia condemnatus ad mortem habet ius se liberandi per fugam; alij autem non habent ius eum liberandi. Si autem aliquis sit condemnatus ad carcerem, non potest licitè frangere, quia tenetur sententiæ parere. Similiter etiam condemnatus, vt fame moriatur, licitè potest sumere cibum sibi occultè ministratum, quia si non sumeret, esset seipsum occidere, & loquitur in foro conscientiæ. *ead. q. art. 4. ad 2. & 3.*

QVÆSTIO LXIV.

De Iustitia testis in testificando.

1. *Quando tenetur aliquis ad testificandum?*

SI requiratur testimoniū alicuius, auctoritate superioris, secundùm ordinem iuris, puta in manifestis, & in his, de quibus infamia præcessit, tenetur testimonium ferre; si autem non requiratur eius testimonium secundùm ordinem iuris, puta in occultis, non tenetur ad testificandum. Si autem requiratur alicuius testimonium, non auctoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguendum est: quia si testimonium eius requiratur ad liberandum hominem à quacumque pœna iniusta, vel à falsa infamia, vel etiam ab aliquo damno, tenetur ex charitate ad testificandum; *de text. cap. super his.* Nisi probabiliter timeat, quòd ex hoc proueniat sibi aliquod malum. Et si eius testimonium non requiratur, tenetur facere, quod in se est, vt veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psalm. 8. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Si verò requiratur eius testimonium ad condemnationem hominis, non tenetur testimonium ferre, quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale infertur nocumentum. *2. 2. q. 70. art. 1.*

2. *Quid si testes discordant?*

SI discordia testium sit in aliquibus principalibus circumstantijs, quę variant substantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, tollit efficaciam testimonij, quia testes videntur esse singulares, & de diuersis loqui. Et si in talibus dissenserint testes actoris, & rei, si sint æquales in numero, & pares dignitate, standum est pro reo; quia facilior debet esse iudex ad absoluendum, quàm ad condemnandum, nisi fortè in causis fauorabilibus, *de probat. cap. ex litteris.* Si verò sit discordia in

in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta si tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel si domus fuerit depicta, tunc talis discordia, non præiudicat testimonio. *ead. q. art. 2. ad 2.*

3. Quare in condemnatione Cardinalium, & Episcoporum requiritur multitudo testium?

IN condemnatione Cardinalium Romanæ Ecclesiæ requiritur testium multitudo propter eius dignitatem. Primò quidem, quia in eas tales institui debent, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus. Secundò, quia homines, qui habent de alijs iudicare, sæpe propter iustitiam multos aduersarios habent. Vnde non est passim credendum testibus contra eos, nisi magna multitudo conueniat. Tertiò, quia ex condemnatione alicuius eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Ecclesiæ, quod est periculosius, quàm in ea tolerare peccatorem, nisi sit valde publicum & manifestum, de quo graue scandalum oriretur. Propter easdem rationes testium multitudo requiritur in condemnatione Episcoporum, *vt statuit Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. ead. quæst. art. 2. ad 3.*

4. Quando alicuius testimonium repelli potest?

TEstimonium alicuius quandoque repellitur propter culpam, sicut Infideles, infames, & illi, qui publico crimine rei sunt. *de except. ca. 1.* quandoque autem absque culpa, & hoc est vel ex defectu rationis, sicut pueri, amentes, & mulieres. *de verb. signif. forus.* vel ex affectu, vt patet de inimicis, & personis coniunctis, & domesticis. *de test. in literis, & de accus. cum oporteat.* vel etiam ex exteriori conditione, sicut pauperes, serui, & illi, quibus imperari potest, de quibus probabile est, quod de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem. *cap. in litteris, & cap. forus ead. q. art. 3.*

5. Quando falsum testimonium est peccatum mortale?

FAlsum testimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex periurio, quia testes non admittuntur, nisi iurati, & ex hoc semper est peccatum mortale. Secundò ex violatione iustitię; & hoc modo est peccatum mortale ex suo genere, sicut & quælibet iniustitia: & ideo in præcepto Decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimonium: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Tertio modo ex ipsa falsitate, & hoc non semper est peccatum mortale, quia habet rationem mendacij, quod non est semper peccatum mortale. *ead. q. art. 4.*

Vnde opinio Caiet. q. 69. art. 1. non potest stare, quod quodlibet mendacium, in materia etiã leuissima in iudicio prolatum, est peccatum mortale.

QVÆSTIO LXV.

De Iustitia Aduocati in patrocinãdo.

1. Quando aduocatus tenetur gratis præstare patrocinium causæ pauperum?

ADuocatus tenetur gratis pręstare patrocinium causæ pauperũ, si in promptu non appareat, qui il-

lud præstet; alioquin deberet omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum iuuandis intendere. Idem dicendum est de medico, quantum ad curationem pauperum. 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1.

2. *Qui sunt prohibendi ab officio aduocandi?*

AB officio aduocãdi quidam prohibentur propter impotẽtiam, quia deficiunt sensu, vel interiori, sicut furiosi & pueri; vel exteriori, sicut surdi, & muti. 3. *q.* 7. *infames*. Quidam verò prohibentur propter indecentiam, vel quia maioribus sunt obligati, sicut religiosi, & clerici; vel quia habent spiritualem defectũ, sicut infames, Infideles, & damnati de grauibus criminibus *d. cap. infames*. Huiusmodi tamen indecentiæ necessitas præfertur; & ideo tales personæ possunt pro se ipsis, & pro personis sibi coniunctis vti officio aduocati, & clerici pro Ecclesijs suis, & religiosi pro causa monasterij sui, si Superior præceperit. *de postul cap. ex parte, & cap. monachi* 16. *quæst.* 1. *ead. quæst. art.* 2.

3. *Quando Aduocatus peccat, si iniustam causam defendit?*

ADuocatus si scienter iniustam causam defendit, grauiter peccat, & ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam per eius auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundùm modum, quo ignorantia excusari potest: si enim sit ignorantia alicuius circumstantiæ quàm ipse non tenetur scire, excusatur: Si autem sit ignorantia causata ex negligentia, quia non studet, vel non habet scientiam, quam debet habere, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. Licet autem Aduocato defendenti causam iustam prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius: non tamen licet ei aliqua falsitate vti. *ead. quæst. art.* 3. *& ad* 3.

4. *Quid si Aduocatus in principio credidit causam iustam esse, & in processu appareat eam esse iniustam?*

ADuocatus si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, vt scilicet secreta causæ alteri parti reuelet, vel aliam partem iuuet, sed debet causam deserere, vel inducere eum, cuius causam agit, ad cedendum, siue ad componendum sine damno aduersarij. *ead. q. ar.* 3. *ad* 2.

5. *Quomodo Aduocatus potest pro suo patrocinio pretium accipere?*

ADuocatus potest pretium accipere pro suo patrocinio, dum tamen moderatè accipiat, considerata conditione personarum, tam aduocati, quàm clientis, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ. Non est eadem ratio de iudice, & teste: non enim potest iudex pecuniam accipere pro iusto iudicio, quasi pretium iudicij, nec

testis

testis pro vero testimonio, quasi testimonij pretium, sed quasi stipendiũ laboris, quia iudex, & testis communes sunt vtrique parti: iudex enim tenetur iustam sententiam dare, & testis verum testimonium dicere. Sed Aduocatus alteram partem tantum defendit; & ideo potest licitè pretium accipere à parte, quam adiuuat. 14.q.5. *non sanè. ead.q. art.* 4. & *ad* 3. & 4. *sent.dist.* 25. q. 3. *art.* 2. q. 1. *ad* 9.

De iniurijs verborum, quæ inferuntur extra iudicium.

QVÆSTIO LXVI.

De Contumelia.

1. Contumelia quid est?

CONtumelia propriè est, quando aliquis dicit verba contra honorem alicuius eo præsente, vel ad hoc, vt in eius notitiam, & aliorum deducat. Extenditur etiam nomen Contumeliæ ad facta iniuriosa, non vt facta, sed vt signa: sic enim habent vim verborum. 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. & *ad* 1. & 2. & *q.* 73. *art.* 1. *ad* 2.

2. Quando Contumelia est peccatum mortale?

COntumelia est peccatum mortale, si aliquis dicat alteri verbum contumeliæ animo dehonorandi; sic enim per se, & formaliter dicit contumeliam ex leuitate tamen contumeliæ potest esse peccatum veniale, puta cum aliquis intendit aliquem parum dehonestare; Similiter si dicat aliquis contumeliam, non animo dehonorandi, sed propter correctionem, vel per incautelam, non est peccatum mortale, sed potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque etiam absque omni peccato; quia non dicit contumeliam formaliter, & per se, sed materialiter & per accidens, nisi contumelia esset ita grauis, quod auferret honorem eius, contra quem proferretur; quia tunc esset peccatum mortale. *ead. q. art.* 2. & *ad* 3.

3. Quando licitum est dicere contumeliam?

POtest aliquis causa disciplinæ verbũ contumelię dicere alteri, quem debet corrigere; & sic Dominus Discipulos vocauit stultos, *Luc. vlt.* & Paulus Galatas insensatos, *ad Gal.* 3. Tamen vt dicit Aug. *lib.2.de sermone Domini in monte c.* 30. rarò, & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ. Et Caiet. ait, quod tutiùs videtur, quod numquam Prælati dicant contumeliam subditis, nisi Spiritu Sancto suggerente, quia significatur eis, quod non ex charitate, sed ex passione procedant, & fiunt deteriores, non suscipientes disciplinam. *Vnde Tullius in li. de offic. dicit. Omnis animaduersio, & castigatio contumelia vacare debet. ead. art.* 2. *ad* 2.

QVÆSTIO LXVII.

De Detractione.

1. Detractio quid est?

DEtractio est, quando aliquis dicit verba contra famam alte-

rius eo absente. Differt autem fama ab honore, quia honor est reuerentia exhibita alicui in testimonium virtutis; fama verò est bona opinio alicuius apud alios. 2. 2. q. 73. art. 1. & ad 2. & art. 2.

2. *Qui sunt modi detractionis?*

ALiquis detrahit minuendo famam directè, vel indirectè; directè quidem quadrupliciter. Vno modo, quando falsum imponit alteri. Secundò, quando auget peccatum alterius suis verbis. Tertiò, quando peccatum occultum reuelat, etiam si dicat se audiuisse ab alio, secundùm *Sot. lib. 4. q. 6. art. 3.* Quartò, quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè tacendo, vel minuendo. *ead. q. art. 1. ad 3.*

3. *Quando detractio est peccatum mortale?*

DEtractio est peccatum mortale, si aliquis dicit verba detractoria animo denigrandi famam alicuius. Vnde dicitur *Rom. 1. Detractores Deo odibiles*. Si verò dicit verba detractoria, non animo denigrandi famam, sed propter aliquod bonum, puta, si reuelat peccatum occultum alicuius propter eius emendationem, denuntiando, vel propter bonum iustitiæ publicè accusando, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat verba detractoria ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ, quod est detrahere materialiter, est peccatum veniale, nisi fortè verbum quod dicitur, sit adeo graue, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: tunc enim est peccatum mortale, *quod multipliciter contingit. Primò quidem ex parte quantitatis ipsius infamię in se. Secundò ex parte personæ diffamatæ: nam aliquando vitium impositum vni personæ est leuis materia, alteri verò grauis; sicut si imponatur vitium venereum iuueni, reputatur leuis materia, si verò imponatur personis Ecclesiasticis, est grauis, & tantò grauior, quanto persona est dignior. Tertiò ex parte personæ, apud quam infamia inducitur; quia maius est infamare apud virum grauem, quàm vilem. ead. quæst. art. 2. ad 1. & 3.*

Ex quibus sequitur, secundùm Syluestrum, verbo, detractio. *quæ 2. quod qui ex loquacitate profert verba contra famã alterius, quæ pro mortali, & veniali possunt accipi, non peccat mortaliter, puta si dicat: Talis est magnus superbus, auarus, iracundus, & huiusmodi, quæ sumi possunt pro naturali inclinatione; & primo motu, quia talis secundùm se non lædit famam notabiliter: audientes enim debent in meliorem partem interpretari. Idem potest esse in mortalibus notorijs, si sunt notoria ei, cui dicuntur, vel saltem probabile est, quod statim deuenient in eius notitiam.*

4. *Quare detractio est grauius peccatum, quàm furtum?*

DEtractio ex suo genere est grauius peccatum, quàm furtum; quia fama præeminet diuitijs, eo quòd propinquior est spiritualibus bo-

bonis. Vnde dicitur Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Minus tamen peccatum est, quàm homicidium, vel adulterium, quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum. Per detractionem autem infertur nocumentum bono exteriori; sed per homicidium, & adulterium infertur nocumentum corpori, quia per homicidium tollitur vita hominis, & adulterium est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam suscipimus vitam. Minus etiam peccatum est detractio, quam contumelia, quia contumelia habet maiorem contemptum proximi. *ead. q. art. 3. & ad 2.*

5. *Quomodo audiens detrahentem peccat?*

AVdiens detrahentem, si consentit ei directè, quando scilicèt aliquis inducit alium ad detrahendum, vel saltem placet ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat, quàm detrahens, & quandoque magis. Si autèm consentit ei indirectè, quando scilicèt non resistit, cum resistere possit, non quia placet ei detractio, sed propter aliquem humanum timorem, vel negligentiam, vel etiam verecundiam quamdam, peccat quidem, sed multò minùs, quàm detrahens, & plerumque venialiter: quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod ex officio incumbit alicui detrahentem corrigere, qualis est superior respectu subditorum, sicut Episcopus, Prior, pater, dominus, & huiusmodi, vel propter aliquod periculum consequens, quod audiens nouit. Vndè quisque quantùm potest, debet detractores fugere, secundùm illud Psal. 100. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc prosequebar. ead. q. art. 4.*

6. *Quomodo debet aliquis resistere detractori?*

DEbet aliquis resistere detractori, vel corrigendo eum de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltē ostēdēdo, quod ei detractio displiceat per tristitiā faciei, quia vt dicitur Prou. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. ead. quæst. art. 4. ad 3.*

QVÆSTIO LXVIII.

De Susurratione.

1. *Quomodo susurratio est peccatum distinctum à detractione?*

SVsurratio differt à detractione ratione finis; quia detractor intendit denigrare famam proximi; susurro autem intendit amicitiam separare, animum vnius perturbando contra alium, secundùm illud *Eccl. 28. Susurro, & bilinguis maledictus*; & subditur: *multos enim turbauit pacem habentes.* Et ideò susurratio est grauius peccatum, quam detractio, quia per susurrationem tollitur amicitia, quæ præeminet famæ, cum hæc sit dispositio ad amicitiam. 2.2. q. 74. *art. 1. & 2. & ad 2.*

2. Quo-

2. *Quomodo susurratio est peccatum mortale?*

SVsurratio est peccatum mortale, quia contrariatur dilectioni proximi, inquantùm susurro amicitiam dissoluere nititur. Vnde est peccatum maximè contra Deum, quia Deus dilectio est, vt dicitur 1. *Ioan*. 4. Et propter hoc dicitur Prouerb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*, & inter hoc ponit eum, *qui seminat inter fratres discordias. ead. q. art. 2. ad 3.*

QVÆSTIO LXIX.

De Irrisione.

1. *Quomodo derisio est peccatum distinctum ab alijs præmissis.*

DErisio est peccatum distinctum à contumelia, detractione, & susurratione, ratione finis; quia per cōtumeliam intenditur aliquem honorem deprimere, per detractionem denigrare famam, per susurrationem tollere amicitiam; sed per derisionem intenditur, quod ille, qui irridetur, erubescat, qui est finis distinctus ab alijs. Dicitur autem propriè derisio, si fiat verbo, vel cachinno: subsannatio verò, si fiat rugato naso, & illusio factis. 2. 2. *qu.* 75. *art.* 1.

2. *Quomodo derisio est peccatū mortale?*

DErisio, quæ fit de malo, vel defectu alicuius, est peccatum mortale, quando malum alicuius accipitur in ludum, quasi ipse pro ludo habeatur, & paruipendatur: & sic est graue peccatum, & tantò grauius, quantò maior reuerentia debetur personæ, quæ irridetur. Vnde videtur grauissimum esse irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt. Secūdum locum tenet irrisio parentum; deinde iustorum derisio, iuxta illud Iob. 12. *Deridetur iusti simplicitas. ead. q. art.* 2.

QVÆSTIO LXX.

De Maledictione.

1. *Quomodo maledicere est peccatum?*

MAledicere per modum imperātis, vel optantis, est illicitum, si aliquis imperet, vel optet malum alterius, vt malum, quasi ipsum malum intendens, & hæc est maledictio per se. Si verò aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec est maledictio per se loquendo, sed per accidens; & hoc contingit dupliciter, vel quando aliquis imperat, vel optat malum alterius sub ratione iusti, & sic Ecclesia maledicit anathematizando; vel quando optat malum alterius sub ratione vtilis, puta cum aliquis optat peccatorem pati aliquam infirmitatem, vt ipse melior efficiatur, vel vt ab aliorum nocumento cesset. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. & 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1.

2. *Quando maledicere est peccatum mortale?*

MAledicere per modum imperantis, vel optantis, ex suo gene-

genere est peccatum mortale, quia repugnat charitati, & tantò grauius, quantò personam, cui maledicimus, magis amare, & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leuit. 20. *Qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur.* Potest tamen verbum maledictionis esse peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, quando scilicet ex leui motu, vel ex ludo, vel ex surreptione maledicit. *ead. q. art. 3.*

3. *Quando maledicere creaturas irrationales est peccatum mortale?*

Maledicere creaturas irrationales in ordine ad rationalem creaturam, cuius sunt, propter malum ipsius ex intentione est peccatum mortale. Similiter maledicere eas, vt sunt creaturæ Dei, si hoc intendatur. Maledicere autem irrationales creaturas, inquantùm ex eis subuenitur humanæ necessitati in pęnam peccati, est licitum: & hoc modo Deus homini dixit Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, vt scilicet per eius sterilitatem homo puniretur, & ità etiam intelligitur, quod habetur Deut. 28. *Maledictum horreū tuum.* Similiter est licitum eis maledicere per modum significationis; & sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. Est etiam licitum maledicere creaturis irrationabilibus in ordine ad rationalem creaturam ratione mali illati ab ipsis: & sic maledixit Iob diei natiuitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates: & sic etiam potest intelligi Dauid maledixisse montes Gelboe, vt legitur 2. Reg. 1. scilicet propter cædem populi, quæ in eis contingerat. Maledicere autem creaturis irrationabilibus secundùm se consideratis est otiosū, & peccatum veniale. Contra has autem, & alias prædictas verborum iniurias valdè vtilis est linguæ custodia, ad quam tria requiruntur. Primum est, quod ante portam oris sera ponatur, quæ est propositum vitandi illas personas, cum quibus per linguam peccare solemus, vel illa loca, in quibus habemus occasionem peccandi. Secundùm est, vt in ea clauis habeatur, quæ est firmum propositum non loquendi sine deliberatione. Eccl. 21. *Verba prudentum statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* Sapiens habet os in corde, hoc est in deliberatione; stultus verò habet cor in ore, hoc est in locutione. Tertium est, quod hæc porta rarò aperiatur, & citò claudatur, secundùm illud Iacobi 5. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum:* & Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum. ead. q. art. 2. & opusc. 40. de erud. Princip. lib. 5. cap. 21.*

DE PECCATIS,

Quæ sunt circa voluntarias commutationes.

QVÆSTIO LXXI.

De Fraudolentia, quæ committitur in emptionibus, & venditionibus.

1. Quomodo vendere rem plus quàm valeat, est illicitum?

CAriùs vendere, vel viliùs emere rem, quàm valeat, est per se iniustum, & illicitum, quia tollitur æqualitas iustitiæ commutatiuæ. Per accidens tamen potest aliquis vendere rem plusquam valeat secundùm se, ratione damni, quod ex venditione incurrit. Si autem ille, qui emit, multùm iuuatur ex re aliena, ille verò, qui vendit non damnificatur carendo illa re, non debet eam plus vendere, quia vtilitas illa non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum. Ille tamen, qui ex re alterius multùm iuuatur, potest propria sponte plus dare vendenti; quod pertinet ad eius honestatem. 2.2.*qu.* 77.*art.* 1.

Et sic secundùm Caietanũ, nummularij habentes in deposito aliorũ pecunias, quibus vtẽdo in exercitio suo multùm iuuãtur, ex debito honestatis gratiosè donare aliquid debent dominis depositorum, quamuis ex debito iustitiæ non teneantur: Et si dominus depositi libentiùs tenet depositum suum apud hunc gratum, quàm non gratum, non peccat. Et similiter si nummularius dat, vt gratus sit, & ex hoc sperat, quod dominus tenebit suum depositum apud ipsum, non peccat: attendat tamen vtraque pars, ne corrupta sit intentio, vt non ex gratitudine, sed propter vsum pecuniæ detur, quasi pretium, quia sic vsura est.

2. Quomodo lex humana permittit, quod aliquis rem vendat plus, quàm valeat?

LEx humana habet, quasi licitũ, quod venditor absq; fraude rem suam vendat plus, quàm valeat, vel emptor viliùs emat, non quia hoc approbet, sed quia non punit, nisi sit nimius excessus, quia tunc etiam cogit ad restitutionem: puta si aliquis sit deceptus vltra dimidium iusti pretij, & habetur *ca. nostram, & cap. cum causa de empt. & vend.* Sed secundùm diuinam legem, quæ nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium, illicitum reputatur; si in emptione, & venditione non sit æqualitas iustitiæ obseruata. Et ideò tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum. *ead. qu. art.* 1. *ad* 1.

3. Quando licitum est aliquid cariùs vendere, quàm emerit?

POtest aliquis licitè rem cariùs vendere, quàm emerit, vel quia in aliquo rem meliorauit, vel quia pretium rei est mutatum secundùm diuersitatem loci, vel temporis, vel propter periculum, cui se exponit transferendo rem de vno loco ad alium, vel propter expensas in conducendo, & conseruando rem vel propter industriam, & laborem nego-

negotiatoris. *ead. q. art. 4. ad 2. & 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 5. quæst. 1. ad 4. & opusc. 67.*

4. *Quod est iustum pretium rerum?*

VEnditor licitè potest vendere rem secundùm pretium, quod inuenit, præsupposita tamen communi notitia rei venalis, & remota omni fraude, & coactione, vt docet Caietanus, ita scilicet, quod non cogatur homo plus emere, vt patet de monopolio. *ead. q. art. 3. ad 4.*

Ex hoc fundamento secundùm Caiet. multarum patet solutio quæstionum: nam si aliquis emit rem centum, & postea necessitate ductus eamdem vendit pro septuaginta, siue vltro offerendo, siue subhastando, interueniente Curia, vel non, quia non inuenit emptorem, nisi pro hoc pretio, iustum tunc pretium constituitur septuaginta: eadem ratione iustum pretium est, cum post bella, vel pestes, domus, agri, vel huiusmodi vilissimè emuntur, quia non inueniuntur emptores: hac etiam ratione, gemmæ, quæ emptæ fuerant mille, licitè emuntur centum, quia non inueniuntur emptores, & sic de similibus.

5. *Quotuplex est iustum pretium?*

IVstum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit, ita quod modica additio, vel minutio non tollit æqualitatem iustitię. *ead. quæst. art. 1. ad 1.*

Vnde iustum pretium habet latitudinem, & distingui solet in pium, moderatum, & rigorosum. Moderatum quidem est, quod communiter inuenitur. Pium autem est minus, quàm moderatum. Rigorosum vero est plus quàm moderatum, si fiat modica additio, vel minutio ad arbitrium sapientis, & ideo secundùm Caietanum eadem res in eodē loco, & tempore licitè potest vendi ab vno decem, ab alio vndecim, ab alio duodecim, secundùm latitudinem iusti pretij. Eadem ratione potest aliquis vendere rem decem, & statim vendere eandem duodecim. Similiter potest vendere rem soluenti nunc decem, & soluturo ad annum duodecim, & sic de alijs similibus; quia non excedit latitudinem iusti pretij. Vendere autem aliquid vltra latitudinem iusti pretij, vel emere infra latitudinem, est illicitum.

6. *Quomodo venditio est illicita propter defectum rei venditæ?*

VEnditio est illicita propter defectum rei venditæ, qui potest esse triplex. Vnus quidem secundùm speciem rei, sicut si quis scienter vendat rem non puram, sed mixtam, & hoc est, quod dicitur contra quosdam. Isai. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinū tuum mixtum est aqua.* Alius autem defectus est secundùm quātitatem, puta si quis scienter vtatur deficienti mensura in vendendo: Vnde dicitur Deut. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modus maior, & minor: abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.* Tertius defectus est secundùm qualitatem, puta si scienter vendat aliquod animal infirmum pro sano, & in his omnibus vendi-

venditor non solùm peccat iniustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si verò aliquis eo ignorante vendat rem, cum aliquo istorum defectuum, non peccat, quia facit iniustum materialiter, hoc est præter intentionem, tenetur tamen damnum recompensare emptori, cum ad eius notitiam peruenerit. Idem dicendum est de emptore: si enim scienter emat rem pretiosam quantùm ad speciem, quam venditor credit esse minùs pretiosã, sicut si emat aurũ loco aurichalchi, iniustè emit, & ad restitutionem tenetur: Et eadem ratio est de defectu quantitatis, & qualitatis. *ead. q. art. 2. & opusc. 4.*

7. *Quando venditor tenetur manifestare vitium rei venditæ?*

SI vitium rei sit occultum, & propter huiusmodi vitium; vsus rei reddatur impeditus, vel noxius, puta si aliquis vendat alicui equũm claudicantem pro veloci, vel ruinosam domum pro firma, vel cibum corruptum pro bono, tenetur venditor manifestare huiusmodi vitium, etiam si subtrahat de pretio, quantùm oportet. Si verò vitium rei sit manifestum, si puta equus sit monoculus; vel si sit occultum, & vsus rei competat emptori, quamuis non sit conueniens venditori, & ipse venditor propter huiusmodi vitiũ subtrahat quantùm oportet de pretio, non tenetur ad manifestãdum vitium rei, quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum. Vnde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. In quo casu optima cautela est, quàm Caietanus aduertit, quod primus venditor conscius occulti defectus, postquam vendidit, debet per se, vel per alium occultum defectum dicere ei, qui emit, vt sic & seipsum seruet indemnem, & non det proximo occasionem damnificandi alterum. *ead. q. art. 3. & Quodl. 2. art. 10.*

8. *Quando vendere aurum, vel argentum ab alchimicis factum, est illicitum?*

VEndere aurem, vel argentum ab alchimicis factum, si non habet veram speciem auri, & argenti, est iniustum, præcipuè quia sunt aliquæ vtilitates auri, & argenti veri, secundùm naturalem operationẽ ipsorum, quæ non conueniunt auro per alchimiam sophisticato; habent enim proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter iuuat: frequentiùs etiam potest poni in operatione, & diutius in sua puritate permanet: si autem per alchimiam fieret verum aurum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere. *ead. q. art. 2. ad 1.*

9. *Quomodo negotiatio est licita?*

NEgotiatio secundùm se considerata quamdam turpitudinem habet, quia quantùm est de se, deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit: si tamen lucrum ordinetur ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum,

stum, negotiatio licita redditur: sicut cum aliquis lucrum moderatum ordinat ad domus suę sustentationē, vel ad subueniendum indigentibus, vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicā vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum quærit, non sicut vltimum finem, sed quasi stipendium laboris. *ead.q.art.4.ad 1.*

QVÆSTIO LXXII.

De Peccato Vsuræ, quod committitur in mutuis.

1. *Quomodo accipere pretium pro vsu pecuniæ mutuatæ est vsura?*

DVplex est vsus pecuniæ: Vnus quidem est principalis, qui est eius consumptio, siue distractio, inquantum in commutationes aliarum rerum expenditur, & sic vsum pecuniæ vendere est secundùm se iniustum, quia venderetur id, quod non est. Est alius vsus pecuniæ secundarius, puta, si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris, quia pecunia per se aliquid est, videlicet aurum, vel argentum; & talem vsum pecuniæ licitè homo vendere potest, sicut & locare, & conducere. *2. 2. qu. 78. art. 1. & ad 6. & qu. 13. de malo art. 4. & ad 15. & Quodl. 3. art. 19. & 2. de regim. princ. cap. 14. & opusc. 4.*

Supra hoc fundamentum consurgit tota doctrina cambiorum: nam pecunia in cāpsoria nō proprie ordinatur, vt sit mensura rerum venalium, sed magis ad permutationē numismatis, vt est res quędam. Vnde diuiditur cambiū reale in cambium minutū, & per litteras secundùm Caietanum tom. 2. opusc. tract. 7. cap. 6: & Silu. verbo vsura 4. q. 3. & 6. Cambium minutum dicitur ratione monetæ, quando vna moneta commutatur cum alia, & accipitur aliquod lucrum, pro vt est lege, vel communi consuetudine determinatum, quia plus valet, vel ratione qualitatis monetæ, quia est purior, vel nobilior, sicut cum commutatur moneta aurea cum argentea, vel argentea cum ærea; vel ratione quantitatis, vel ponderis, quia illa est completa, hæc defectiua; vel ratione diuersitatis loci, vel ratione copiæ, vel defectus, vel ratione commoditatis, quia illa est commodior ad portandum; vel ratione distractionis, quia illa in pluribus locis distrahitur sub legali pretio, vel ratione periculi exbannitionis, cui plus subiacet ærea, vel argentea, quàm aurea, & vna argentea, quàm alia; vel ratione inexpēdibilitatis, quia aliqua pecunia alicubi non expenditur. Cambium vero per litteras dicitur ratione loci, quando cāpsor dat litteras, vt tradatur alicui tanta pecunia in alio loco, quanta ei datur, & aliquid amplius, habita ratione periculorum, laboris, industriæ, expensarum, & obligationis cāpsoris, qua paratus est dare, & accipere, & ideo licitum est pro distantiori loco pretium augere, quia in loco distantiori maius periculum, maior labor, maioresque expensæ sunt.

2. *Quare permissum fuit Iudæis mutuare ad vsuram?*

PErmissum fuit Iudæis accipere vsuram ab extraneis, secundùm illud Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo*

tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno, non quasi licitum, sed vt pro hoc non punirentur pœna temporali, ad euitandum maius malum, ne scilicet à Iudæis Deum timentibus, vsuram acciperent propter auaritiam, ad quam pronerant. Vnde postmodum per Prophetas moniti sunt, vt totaliter ab vsuris abstinerent, dicitur enim Ezech. 18. *Qui vsuras non acceperit, vita viuet.* & in Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, hic accipiet benedictionem à Domino. ead. q. art. 1. ad 2. & q. 13. de malo art. 4 ad 1.*

3. Quando sperare lucrum ex pecunia mutuata est vsura?

SPerare lucrum ex pecunia mutuata quasi debitum principaliter ratione mutui, est vsura mentalis, quæ prohibetur *Luc.* 6. mutuum date nihil inde sperantes; & obligat ad restitutionem *c. consulit. de vsur. quidquid dicat. Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art.* 1. Sperare autem lucrum non quasi debitum, sed quasi gratuitum, non est illicitum. *eadem quast. art. 1. ad 4. & quast. 13. de malo. artic. 4. ad 3. & 10. & 13.*

Vnde secundùm Caiet. mutuans, si sperat aliquid, non propter mutuum principaliter, sed ex gratitudine eius, cui mutuat, quod non erit ingratus, & libentius mutuat huic grato, quam alteri non grato, non peccat. Nec solum intentio mutuantis debet esse bona, sed etiam accipientis mutuum, vt scilicet det voluntariè, & non quasi redimens vexationem suam. Et sic si intentio mutuantis est bona, credens sibi gratis dari, & accipientis mutuum est mala, & mutuans postea hoc sciat, tenetur ad restitutionem, si ex eo factus est locupletior; non autem si illud consumpsit, quia bona fide accepit: Si autem intentio mutuantis est mala, & accipientis mutuum bona, qua est ignota mutuanti, tenetur mutuans illud restituere, quantum est ex sua conscientia: sed si postea nouit, quod sibi donatum est, non tenetur.

4. Quando accipere aliquid pecunia æstimabile pro pecunia mutuata est vsura?

SEcundùm Philosoph. in 4. Ethic. Omne illud pro pecunia habet, cuius pretium potest pecunia mensurari; & ideo sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacunque alia re, quæ ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit, ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra iustitiam; ita etiam quicunque ex pacto tacito, vel expresso quodcunq; aliud acceperit, cuius pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit: Si verò accipiat aliquid huiusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat, quia etiam antequam pecuniā mutuasset, licitè poterat aliquod donum accipere, nec peioris conditionis efficitur per hoc, quod mutuauit. *D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2.*

5. Quare lucrum ex mutuo pecuniæ est vsura, non autem ex societate?

IN mutuo transfertur dominium pecuniæ in eum, cui mutuatur, Vnde

Vnde tenet pecuniam sub suo periculo,& tenetur eam integrè restituere, nec mutuans debet amplius exigere. Sed in societate non transfertur dominium pecuniæ in illum, cui pecunia committitur ad negotiandũ, sed remanet in eo, qui dat pecuniam, cum ipsius periculo. Et ideo licitè potest partem lucri inde prouenientis expetere, tamquam de re sua. *ead. q. art. 2. ad 5.*

Vbi Caietanus duo aduertit. Primùm est, quod in societate capitale stet periculo, sicut & lucro: Secundùm est, quod lucrum proportionabiliter respondeat cuilibet socio ponenti pecuniam, vel operas, vel industriam, quæ à principio sunt æstimanda iudicio peritorum, ita quod si vnus ponit mille aureos, & alter ponit operas æstimatas mille, & tertius ponit industriam æstimatam quingentis, & isti lucrantur quingentos, diuidendum sit lucrum secundùm suas ratas, vt ducenti dentur vni, & ducenti alteri, & centum tertio. Non enim æstimandum est periculum pecuniæ, vt dicit Sotus, sed precium ipsius, vt tenet etiam Nauar. c. 17. num. 251. Si autem nullum superest lucrum, saluo capitali, saluatur ei, qui illud posuit; sicut si perijsset, sibi perijsset.

6. *Quando accipere pignus pro pecunia mutuata est vsura?*

Si aliquis pro pecunia mutuata accipit pignus, cuius vsus pretio æstimari potest, sicut si pignoratur ager, vel domus, quæ inhabitatur, debet vsum pignoris, hoc est fructus, computare in restitutionẽ eius, quod mutuauit, alioquin si vsum pignoris quasi gratis superaddi velit, vsuram committit, *cap. 1. de vsur.* nisi fortè pignus esset tale, cuius vsus sine precio cõcedi soleat, inter amicos, sicut patet de libro accõmodato. Potest tamen secundùm Nauar. *c. 17. nu. 205.* impensas iustas bona fide in pignus factas repetere, sicut in cultum agri, vel refectionem domus. *ead. q. art. 2. ad 6.*

Et loquitur Auctor de pignore inquãtum pignus est absolutè, & non de pignore pro tali causa secundùm Caietanum, quia maritus recipiens pignus pro dote promissa, non tenetur fructus in sortem computare, sed potest facere fructus pignoris dotalis suos, vt patet de vsuris c. salubriter. Et ratio ibi assignatur, quia dotis fructus sunt deputati ad supportanda onera matrimonij, & ideo viduę non possunt petere fructus suæ dotis, quia soluto matrimonio, non restant onera eius, nisi statuto ciuitatis in viridi obseruantia ordinatum sit in fauorem infirmi sexus, & pœnam hæredum, quod viduæ donec reddatur sibi dos, assignentur quinque, vel decem pro centenario.

7. *Quando mutuare alicui, vt remutuet, est vsura?*

Mutuare alicui, vt mutuum imposterũ faciat ex obligatione, est illicitum, quia talis obligatio pecunia æstimari potest; sed ex beneuolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, est licitum. *ead. quæst. art. 2. ad 4. & de Reg. iud. opusc. 21.*

Ex his regulis, vt notat Caietan. multi in particulari deciduntur casus: nam mutuans ex obligatione ad colendum agrum, salua iusta mercede, ad coquendum

dum in hoc furno, ad molendum in hac mola, ad eundum ad has scholas, ad emendum ab hac officina, ad donandum vel vendendum officium, ad acceptandum malos debitores mutuantis, ad emendum res etiam difficile venales, & in alijs similibus casibus iuxta primam regulam, vsuram committit. Mutuans autem, vt quis faciat supra dicta ex beneuolentia, per secundam regulam non est peccatum. Per primam etiam regulam mercatores vsuram committunt, dum vendunt alicui vlnas panni expectata solutione iusto pretio rigoroso, & postea tales vlnas emunt ab eodem soluta pecunia pretio infimo, quia obligant ementem, vt ipsis reuendat.

8. Quando mutuans potest exigere recompensationem damni emergentis, & damni lucri cessantis?

POtest mutuans absque péccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod habet, vel debet habere, quod dicitur damnum emergens, si scilicet hoc damnum ex mutuatione proueniat, & damnum sit certum, & admoneat eum, cui mutuat, quod tale damnum incurret, *secundùm Caiet. & Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 3.* hoc enim non est vendere vsum pecunię, sed damnum vitare: & potest esse, quòd accipiens mutuum maius damnum euitet, quàm dans incurrat. Non potest autem mutuans in pactum deducere recompensationem damni, ex eo quod de pecunia non lucratur, quod dicitur damnum lucri cessantis, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest multipliciter impediri ab habendo: Tenetur tamen ille, qui accipit mutuum, aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum, ita scilicet, quòd non restituat mutuanti quantum lucrari potuisset, sed quantum accidere consueuit, pensata industria, labore, & periculis, etiam quæ in lucro accidere aliàs possent, quia lucrum non causatur tantum ex pecunia, sed ex industria, & labore. *2. 2. quæst. 62. art. 4. & ad 2. & quæst. 78. art. 2. ad 1. & 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 5. q. 1. ad 4.*

Et intelligit si mutuans habet pecuniā expositam industriæ negotiationis, siue emptioni alicuius rei fructiferæ, & inuoluntariè secundùm quid, hoc est, occurrente necessitate proximi, diuertit pecuniam à negotiatione, vel emptione, & denuntiat debitori, quod incurret tale damnum, vt optimè declarat Caietanus, quem sequitur Nauar. cap. 23. num. 82. Vnde non est audiendus Sotus vbi supra, putans, quod in nullo casu est licitum petere damnum lucri cessantis.

9. Quomodo vendere aliquid cariùs ratione expectationis solutionis, & emere viliùs ratione anticipata solutionis, est vsura?

VEndere rem cariùs, quàm valeat secundùm commune forū ratione expectationis solutionis, est vsura palliata, quia huiusmodi expectatio solutionis pecunię habet rationem mutui; & ideo quidquid vltra iustum pretium pro huiusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui.

mutui, quod pertinet ad rationem vsuræ. Emere etiam rem vilius, quàm valeat ratione anticipatæ solutionis pecuniæ, quando scilicet aliquis pecuniam ante soluit, quàm possit ei res tradi, est peccatum vsuræ, quia etiam ista anticipatio solutionis habet rationem mutui, & sic quod diminuitur de iusto pretio rei emptę, est quoddam pretium mutui. Similiter vsura est, si quis minus dat alicui, cui debet aliquid ad certum terminum, ei citius soluendo; quia tempus solutionis pecuniæ vendit. Nec excusatur per hoc, quod soluendo ante terminum grauatur, vel ad hoc ab alio inducitur, quia eadem ratione possent vsurarij omnes excusari. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. & opusc. 64.

In hoc sæpe peccare videntur, qui vendunt plus iusto pretio rigoroso, propter dilationem solutionis, aromata, pannum, lanas, triticum, oues, boues, equos, & similia ijs, qui indigent, quando scilicet verisimiliter creditur tempore solutionis non esse plus valitura. Similiter qui emunt hæc minùs iusto pretio infimo ob anticipatam solutionem ab ijs, qui necessitate opprimuntur, si verisimiliter æstimatur tempore, quo hæc traduntur, non esse minus valitura. Secus autem si est dubium. Vnde in cap. in ciuitate: & cap. nauiganti, de Vsur. ponuntur tres casus, in quibus licitum est vendere rem cariùs, vel citiùs emere quàm valeat, ratione expectationis, vel anticipatæ solutionis. Primus est, piper, vel cinnamomum, quod nunc non valet vltra quinque libras, licitè potest vendi sex, ratione expectationis solutionis, si verisimiliter dubitatur merces illas solutionis tempore esse plus, vel minus valituras. Secundus casus est, pannus, granum, vinum, oleum, & aliæ merces possunt vendi plus, quàm nunc valeant, ratione expectationis solutionis, si verisimiliter dubitatur eas esse plus, vel minus solutionis tempore valituras, & venditor tunc eas non erat venditurus, quàm conditionem addit Gregorius Nonus in hoc cap explicans mentem Alexandri Tertij in dicto cap. in ciuitate. Tertius casus est, emere granum, vinum, vel oleum minus, quàm nunc valeant, ratione anticipatæ solutionis, si verisimiliter dubitatur an plus, vel minus tempore, quo ea traduntur, fuerint valitura, non est vsura.

10. *Quando tenetur aliquis restituere quidquid de re vsuraria lucratus est?*

SI res per vsuram extorta vsu consumitur, quæ non habet vsum fructum secundum iura, sicut pecunia, triticum, vinum, & aliquid huiusmodi, non tenetur aliquis ad restituendum, nisi id, quod accepit; quia id, quod de tali re lucratus est, non est fructus huiusmodi rei, sed humanæ industriæ, nisi forte per detentionem talis rei aliter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis: tunc enim tenetur ad damni recompensationem. Si autem res per vsuram extorta vsu non consumitur, sed habet vsum fructum, sicut domus, ager, equus, & alia huiusmodi, tenetur aliquis non solum restituere rem, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus. Et ideo ei debentur. *ead. q. art. 3. & Quodl. 3. art. 19.*

Et sic secundùm Caiet. in vsura non transfertur dominium, & tenet Sotus

lib. 6. de iustit. & iur. q. 1. art. 1. & Silu. verbo vsura 6. q. 1. & fuit communis opinio antiquorum doctorũ, quidquid dicat Nauar. cap. 17. num. 165.

11. *Ea quæ sunt per vsuram extorta, quibus sunt restituenda?*

EA quæ sunt per vsuram extorta, non possunt licitè retineri, etiam si transeant in emptorem, sed sunt restituenda illis, à quibus fuerunt extorta, quibus sunt obligata, sicut & alia bona vsurarij *cap. cum tu. de vsur. quod intelligendum est si vsurarius non habet nisi vsuras extortas. Si vero habet alia bona, potest ea alienare donando, vel vendendo: nec qui ea recipit, ad restitutionem tenetur; etiam si vsurarius postea non habeat vnde vsuras restituat.* Si autem non inueniuntur certæ personæ, à quibus fuerunt vsuræ extortæ, debent in pios vsus erogari secundùm consilium diœcesani Episcopi, & aliorum proborum *d. cap. cum tu.* vel etiam in communem vtilitatem terræ, si necessitas immineat. *ead. quæst. art. 3. ad 2. & de reg. Iudæor. opusc. 21.*

Ex quo infert Nauar. cap. 17. num. 265. quod accipiens aliquid notabile gratis ab vsurario, si nihil habeat aliud, quàm vsuras, restituere tenetur. Similiter num. 268. Vxor vsurarij sciens eum non habere nisi vsuras extortas, si viuit ex bonis sumptuosius, quàm eius statum deceat, restituere tenetur; non autem si honestè viuat, quia magis obligatur maritus ad eam sustentandam ob dotem allatam, quam ad vsuras restituendas. Idem de filijs, qui alijs inseruiendo victum quærere possunt, nisi patri inseruiant, sui victus impensam lucrantes. Idem num. 271. de Genero, qui accipit dotem à Socero vsurario sciens, vel debens id scire, si Socer non satis habet ad restituendum.

12. *Quando accipere mutuum sub vsura ab vsurario est licitum?*

ACcipere mutuum sub vsura ab vsurario parato propter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius, est licitum; sicut etiam licitum est ei, qui incidit in latrones, manifestare eis bona, quæ habet, quamuis ea diripiendo peccent, ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael: *Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro*, vt dicitur *Hier. 41.* Inducere autem aliquem ad mutuandum sub vsuris, qui ad hoc paratus non est, est in peccatum ipsius consentire. *ead. q. art. 4. & q. 13. de malo art. 4. ad 17.*

13. *Quando peccat pecuniam deponens apud vsurarium?*

SI quis committeret pecuniam suam vsurario, non habenti alias, vnde vsuras exerceret, daret materiam peccandi: & ideo esset particeps culpæ. Si autem committeret pecuniam suam vsurario alias habenti, vnde vsuras exerceat, vt tutius seruetur, non peccat, sed vtitur homine peccatore ad bonum. *ead. quæst. art. 4. ad 3.*

QVÆSTIO LXXIII.

De Religione.

Quando Religio est virtus?

REligio est virtus, quia ad religionem pertinet exhibere Deo debitum

bitum honorem tamquam Primo Principio creationis, & gubernationis rerum, & Vltimo Fini nostræ beatitudinis. Exhibetur autem Deo debitus honor non solùm interioribus actibus, sed etiam exterioribus, secundùm illud Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 2. 2. *q.* 81. *art.* 1. 2. 3. & 7.

QVÆSTIO LXXIV.

De Deuotione, quæ est actus interior religionis.

1 *Quando meditatio est causa deuotionis?*

DEuotio, quæ nihil aliud est, quàm voluntas promptè se tradendi ad diuinum obsequium, causatur ex meditatione, secundùm illud Psalm. 38. *In meditatione mea exardescet ignis*, in quantum homo per meditationem concipit, quod se tradat Diuino obsequio, ad quod quidem inducit duplex consideratio; Vna ex parte Diuinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundùm illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Et hæc consideratio excitat dilectionem quæ est proxima deuotionis causa. Alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget Diuino auxilio, secundùm illud Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum, & terram.* Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subijciat, dum suę virtuti innititur. 2. 2. *q.* 82. *art.* 1. & 3.

2. *In quibus frequentèr magis inuenitur deuotio?*

IN simplicibus, & mulieribus abundat deuotio, elationem comprimendo. In ijs verò, qui habent scientiam, & quamcumque aliam perfectionem, interdum non inuenitur deuotio, quia habent considerationem de se ipsis, & ideò non totaliter se Deo subijciunt; si tamen scientiam, & quamcũque aliam perfectionem Deo subdant, ex hoc deuotio augetur. *ead. q. art.* 3. *ad* 3.

3. *Quomodo lætitia est effectus deuotionis?*

EX deuotione, quæ prouenit ex consideratione diuinæ bonitatis, per se quidem causatur delectatio, secundùm illud Psalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*; sed per accidens causatur tristitia, quæ est secundùm Deum. Ex deuotione autem, quæ prouenit ex consideratione propriorum defectuum, per se quidem causatur tristitia, per accidens verò lætitia propter spem diuini auxilij. *ead. q. art.* 4.

QVÆSTIO LXXV.

De Oratione.

1. *Quare conueniens est orare?*

COnueniens est orare. Primò quidem ex parte Diuinæ prouidentiæ, non enim propter hoc oramus, vt Diuinam dispositionem immutemus, sed vt id impetremus,

quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendū. Secundò ex parte nostri, vt fiduciam accipiamus recurrendi ad Deum, & recognoscamus eum esse bonorū nostrorum auctorem. 2.2. q. 83. art. 2. & ad 3.

2. *Quomodo oratio cadit sub præcepto?*

ORatio cadit sub præcepto determinatè, & indeterminatè. Determinatè quidem ad aliquas orationes tenentur illi, qui ex officio sunt medij inter Deum, & populum constituti, sicut minister Ecclesiæ. Vnde ex officio eis incumbit preces ad Deum in persona totius Ecclesiæ fundere: & ideo ex statuto Ecclesiæ tenentur ad horas canonicas dicendas, *de celeb. Miss. cap.* dolentes. Sed indeterminatè ad orationes quilibet tenetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ nonnisi Diuinitus dantur: & etiam ex hoc ipso, quod charitatis præcepto tenetur proximum sicut seipsum diligere, tenetur ei in necessitatibus beneficus esse, non solùm per corporales eleemosynas, sed etiam per spirituales, quarum vna est oratio. Omnibus etiam, qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse, cum teneantur diebus festis Diuinis officijs interesse, vt ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment. *de consf. dist.* 1. *ca. Missa. & dist.* 3. *c.* 1. & 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 1. *q.* 2.

3. *Quomodo Deus, & Sancti sunt orandi?*

ORatio, quæ secundùm Augustinum, est purus affectus mentis in Deum directus, porrigitur Deo, sicut per ipsum implenda; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat secundùm illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sanctis verò Angelis, & Hominibus, qui sunt in patria, porrigitur oratio sicut per ipsos impetranda eorum precibus, & meritis. *& statuit Conc. Trid. sess.* 25. *cap. de ven. Sanct. Vnde dicitur Iob.* 5. *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia vtitur in orando: nam à sancta Trinitate petimus, vt misereatur nostri, ab alijs autem Sanctis petimus, vt orent pro nobis. Cognoscunt autem Sancti petitiones, quas ad eos dirigimus, visione Diuini verbi 2. 2. *q.* 83. *art.* 4. & *ad* 2. & 3. & 4 *sent. vbi supra arti* 5. & *q.* 1. & *art.* 6.

4. *Cur Ecclesia non dirigit orationem ad Spiritum Sanctum?*

ECclesia non dirigit orationem ad Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus ex sua personali proprietate habet, quod sit donum. Et ideo magis competit, quod ipse petatur, quàm quod ab eo aliquid petatur. Dirigit tamen ad Spiritum Sanctum hymnos, qui loco orationum recitantur, sicut: Nunc sancte nobis Spiritus. Veni creator Spiritus. 4. *vbi supra. art.* 5. *q.* 2. *ad* 2.

5. *Quare inferiores Sancti sunt orandi?*

QVamuis superiores Sancti sint Deo coniunctiores, & eorum orationes maiorem habeant efficaciam

tis impetrandi ex precedentibus eorum meritis, & ex diuina acceptatione; vtile tamen est etiam minores Sanctos interdum orare. Primò quidem, quia quandoque imploratio inferioris Sancti efficacior est; vel quia deuotius imploratur; vel quia Deus vult eius sanctitatem declarare. Secundò propter fastidium tollendum, quia assiduitas vnius rei fastidium parit. Per hoc autem, quod diuersos Sanctos oramus, quasi in singulis nouus feruor deuotionis excitatur. Tertiò, quia quibusdam Sanctis datum est aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut S. Antonio ad ignem infernalem. Quartò, vt honor debitus omnibus exhibeatur. Quintò, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod vnius oratione non impetraretur. 2.2. *quæst.* 83. *art.* 11 *& ad* 1. *&* 4. *&* 4. *sent. dist.* 45. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2.

6. *Quomodo temporalia sunt à Deo petenda?*

IN oratione temporalia sunt à Deo petenda; non quidem principaliter, vt in eis finem constituamus, sed in quantum per ea vita corporalis sustentatur, & nobis instrumentaliter deseruiunt ad actus virtutum, quia possumus eis benè, & malè vti. Sed spiritualia, quibus non possumus malè vti, sunt absolutè petenda, *ead. quest. art.* 5. *&* 6.

7. *Quare debemus pro alijs orare?*

CHaritas requirit, vt pro alijs oremus, secundum illud Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*. Et licet quandoque oratio pro alio facta non impetret, etiam si fiat piè, & perseueranter, & de pertinentibus ad salutem, propter impedimentum, quod est ex parte eius, pro quo oratur, tamen est meritoria oranti, qui ex charitate orat, secundùm illud Psalm. 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur. ead. q. art.* 7. *ad* 2.

8. *Quomodo debemus pro peccatoribus, & pro iustis orare?*

PRo peccatoribus orandum est, vt conuertantur, & pro iustis, vt perseuerent, & proficiant. Orantes tamen non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam, scilicet, pro prædestinatis, non autem pro præscitis ad mortem. *ead. quest. art.* 7. *ad* 3.

9. *Quomodo debemus pro inimicis orare?*

DEbemus pro inimicis orare de necessitate præcepti in communi, ita vt in communibus nostris orationibus, quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus: sed in speciali non debemus pro inimicis orare de necessitate præcepti, nisi in articulo necessitatis, & si inimicus veniam peteret, vt dictum est de dilectione inimici. Imprecationes autem, quæ in sacra Scriptura inducuntur contra inimicos, intelliguntur contra regnum peccati, vt scilicet correctione peccantium peccata destruantur. Vnde Martyres vindictam de inimicis petunt, vt destruatur re-

regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. *ead. q. art. 8. & ad 1. & 2. & 3. sent. dist. 30. art. 2.*

10. *Quare conuenienter septem petitiones orationis Dominicæ assignantur?*

IN oratione Dominica assignantur septem petitiones, tres pertinentes ad dilectionem Dei, cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua.* Et quatuor pertinentes ad dilectioné proximi, cum communiter pro omnibus oramus, dicentes: *Panem nostrum da nobis hodie, Dimitte nobis debita nostra, Ne nos inducas in tentationem, Libera nos à malo.* Ad ostendendum autem diuinum amorem vocamus Eum Patrem, Ad significandum verò amorem proximi dicimus: *Pater noster*, quia proximi fratres nostri sunt. Vnde dicitur Mal. 2. *Num quid Pater vnus omnium nostrum? Numquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo decipit vnus quisq. nostrum fratrem suum?* Dicimus: *Qui es in cælis*, ad ostendendam eius excellentiam, qua potest. Prima autem petitio ponitur, *Sanctificetur nomen tuum*, hoc est, in nobis manifestetur: est enim nomen Dei primo mirabile, Marc. vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient:* Secundò amabile, Act. 4. *Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri:* Tertiò est venerabile, ad Philip. *In nomine IESV omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Secunda petitio ponitur: *Adueniat regnum tuum*, hoc est, gloria Paradisi. Tertia, *Fiat voluntas tua*, hoc est, obediatur Præceptis tuis, *sicut in cælo, & in terra*, hoc est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Quarta. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, hoc est, sufficientiam victus secũdum cõditionem vniuscuiusque. Petimus autem panem quotidianum, hoc est, quod sufficit vno die. Sunt enim aliqui, qui tantum volunt consumere vno die, quod sufficeret pluribus diebus: isti non petunt panem quotidianum, sed plurium dierum. De his quatuor petitionibus dicit Dominus Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei*, quantùm ad primam, & secundam; & iustitiam eius, quantùm ad tertiam, *& hæc omnia adijcientur vobis*, quantùm ad quartam. His autem quatuor petitionibus, quę pertinent ad consecutionem boni, respondent tres aliæ, quæ pertinent ad remotionem mali. Prima est, vt dimittat nobis peccata, quæ directè excludunt à regno Dei. Secunda, *vt non inducat nos in tentationem*, hoc est non vincamur à tentatione, quæ impedit ab obseruantia Diuinæ voluntatis. Inducit autem Deus in tentationem, in quantum propter multa peccata subtrahit homini gratiam, qua sublata, labitur in peccatum. Et ideo dicitur in psalm. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine:* Tertia est, vt liberet *nos à malo*, hoc est pœnalitate præsenti, quæ impedit sufficientiam vitæ. *ead. q. art. 9. & ad 1. 2. & 5. & opusc. 7.*

11. *Cur dicens orationem Dominicam, nolens dimittere debita, non mentitur?*

SI aliquis nolens dimittere debita proximo, dicat orationem Dominicam,

nicam, non mentitur, quia oratio Dominica profertur ex persona communi totius Ecclesiæ; Et ideo quamuis hoc, quod dicit, non sit verum, quantum ad suam personam, est tamen verum quantùm ad personam Ecclesiæ, ex qua est meritum: & ideo fructu orationis non caret. *ead. quæst. art. 16. ad. 3. & 4. sent. dist. 16. in expositione L.*

12. *Quomodo Sancti, qui sunt in patria, orant pro nobis?*

SAncti qui sunt in patria, orant pro nobis, quia oratio pro alijs facta prouenit ex charitate: & ideo Sancti, qui sunt in patria, quanto sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus. Petunt autem hoc, quod æstimant eorum orationibus implendum, secundùm Dei voluntatem. *ead. q. art. 11. & ad 2. & 4. sent. vbi supra art. 6. q. 1.*

13. *Quomodo Christus orat pro nobis?*

CHristus inquantum homo orat pro nobis, vel petendo, vel ostendendo Patri humanitatem cum mysterijs eius: non dicimus tamen, Christe ora pro nobis, ratione suppositi diuini, cui non competit orare; quia illi propriè competit orare, qui habet superiorem, quem deprecari possit. Diuinis autem personis nihil est superius. Conuenit tamen ei adiuuare. Et ideo dicimus Christe audi nos, & miserere nostri. *ead. quæst. art. 10. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 6. quæst. 1. ad. 1. & Rom. 8. lect. 7.*

14. *Quare oratio debet esse Vocalis?*

DVplex est oratio, communis, & singularis. Oratio communis debet esse vocalis, quia offertur Deo per ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis: & ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur, quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Vnde dicentes priuatas Missas ita summisse de industria, vt intelligi ab auditoribus nequeant, inexcusabiles videntur, secundùm Caiet. nisi fortè per accidens coram alijs non celebrent: tunc enim sufficiens videtur, si a seruitore proximo audiri possunt. Oratio vero singularis, siue propria, quæ offertur à singulari persona, siue pro se, siue pro alijs, non est necessarium, quod sit vocalis. Adiungitur tamen vox tali orationi. Primò quidem ad excitandam interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuatur in Deum. Si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est à vocali oratione cessandum. Secundò adiungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti, vt scilicet homo Deo seruiat secundùm illud totum, quod ex Deo habet, scilicet mente, & corpore, quod præcipuè competit orationi, vt est satisfactoria. *ead. quæst. art. 12. & 4. sent. vbi sup. art. 2.*

15. *Quæ attentio requiritur ad orationem?*

AD hoc, quod oratio sit meritoria, & impetratiua, ex necessitate requiritur attentio virtualis, ad quam

quam sufficit prima intentio, qua aliquis ad orandum accedit, nisi tanta fiat euagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo oportet, quod frequenter homo cor reuocet ad seipsum. Quantùm autem ad effectum orationis, quem præsentialiter efficit, scilicet delectationem spiritualis dulcedinis, de necessitate requiritur attentio actualis. Vnde dicitur 1. Corint. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est. ead. q. art. 13. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 3.*

16. *Quæ attentio requiritur ad orationem vocalem?*

TRiplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi. Vna quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret, quæ est necessaria. Secunda, qua attenditur ad sensum verborum, & hæc non est necessaria. Tertia, qua attenditur ad finem orationis scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria, & est communis omnibus. *ead. q. art. 13.*

17. *Quando euagatio mentis tollit orationis fructum?*

EVagatio mentis in oratione, quę fit ex proposito, hoc est, ex industria, est peccatum, & impedit orationis fructum, & præcipuè si quis in alijs sponte se occupet, quæ mentem distrahunt, sicut, sunt exteriora opera; vel si ad contrarium mens aduertenter euagetur. Sed quę fit præter propositum ex fragilitate, orationis fructum non tollit. Vnde etiam Sancti orando quandoque euagationem mentis patiuntur, secundum illud *Ps. 39. Cor meum dereliquit me. ead. q. art. 13. ad 3. & 4. sent. vt supra art. 2. q. ad 2.*

Ex hac & 15. & 16. decisione planè colligitur modus dicendi diuinum officium, qui cadit sub precepto, cap. dolentes de celeb. Miss. vt scilicet attentè celebretur. Hæc autem attentio, vt ex prædictis patet, est duplex. Prima est mentis attentio ad finem officij, scilicet ad Deum, & rem, quæ petitur in officio, & hæc non oportet, vt sit actualis sed sufficit si sit virtualis, vt scilicet aliquis incboet officium animo recitandi attentè, nisi animum postea mutet in contrarium. quod contingit, vel si aduertenter mentem ab officio distrahat, volens ad alia diuertere; vel si faciat aliquod opus exterius, quod per se mentem distrahat, sicut si scribat, vel alia legat, & simul dicat officium, tunc enim non satisfacit præcepto: poterit tamen simul recitare officium, & audire Missam; quia ista ad vnum finem ordinantur, scilicet ad Deum, & mentis eleuationem in ipsum. Nam audire Missam; non est verba audire de præcepto, alioquin surdi præcepto non satisfacerent: sed est Missæ corpore interesse, & mente attendere d. c. dolentes, & tradit Concil. Trid. sess. 22. cap. de obser. & euitan. in celeb. Miss. vt ministris pro populo orantibus, alij qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, suam intentionem conforment, vt d. auctor 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 1. quæstiunc. 2. cum qua attentione potest quis simul recitare, aut dicere orationes iniunctas à confessore, vel ex deuotione. Alia autem est attentio ad verba, ne in eis aliquis erret. Vnde cum aliquis ex nimia celeri-

celeritate verba non profert, aut cum alio recitans non expectat fines versuum sed præuenit acceleranter, aut dicit suos versus summissè, non communicando cum alio per auditum, qui non dicit partem suam, vt communem, sed vt propriam, sibi soli dicens? tunc non implet præceptum, & similiter qui cum eo recitat. Ille tamen, qui recitat officium mente distractus aduertenter, non tenetur ad restitutionem fructuum, si habet beneficium, iuxta decretum Concil. Lateranen. sub Leone Decimo sess. 4. nonoȣ. statuimus, sicut tenetur omittens officium; sed peccat solùm mortaliter contra præceptum. Qui autem errat in verbis voluntariè modis prædictis, omittens notabilem partem officij, peccat mortaliter, & tenetur fructus beneficij perceptos restituere in fabricam ipsius beneficij, aut pauperum eleemosynas erogandos pro rata omissionis officij, & temporis, nisi sint quotidiana distributiones, quas officio interessentes lucrantur. cap. 1. de cler. non resid. in 6. Vel sint redditus, qui sumuntur de communi massa, quæ solet inter beneficiatos diuidi. Rata autem prædicta proportionabiliter taxari poterit per bullã S. Pij Quinti, vbi declaratur, vt qui horas omnes canonicas vno, aut pluribus diebus omiserit, omnes beneficij fructus illius, vel illorum dierum omissioni respondentes, qui vero matutinum dimidiam ceteras horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partẽ fructuum eiusdem diei amittere teneatur.

18. *Quomodo oratio debet esse assidua?*

ORatio secundùm desiderium charitatis debet esse assidua: sed secundùm se considerata non potest esse assidua, quia oportet alijs operibus occupari. Conueniens tamen est, vt oratio tantum duret, quantum est vtilis ad excitandum interioris desiderij feruorem: Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari per comparationem ad intentionem orantis, ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi deuotionem. *ead. q. art. 14. & 4. sent. vbi supra. art. 2. quæstiunc. 1. & 2.*

19. *Quomodo oratio habet efficaciam merendi, & impetrandi?*

ORatio ex charitate semper habet efficaciam merendi, sed non habet semper efficaciam impetrandi, nisi seruatis quatuor conditionibus, vt scilicet aliquis pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter: & ratio diuersitatis est quia meritum importat ordinem iustitiæ ad præmium; ad iustitiam enim retribuentis pertinet, vt merenti præmium reddat; sed impetratio importat ordinem misericordiæ ex parte dantis. Et ideo oratio, quæ habet meritum ex seipsa, habet vnde perueniat ad præmium, sed non habet ex seipsa, vnde impetret, sed ex liberalitate dantis. *ead. qu. art. 15. & ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 7. q. 2.*

20. *Quomodo peccator orando impetrat aliquid à Deo?*

PEccator, vt peccator, hoc est secundùm desiderium peccati, non impetrat aliquid à Deo ex misericordia, sed quandoque ad vindictam, inquantum Deus permitit,

pec-

peccatorem adhuc cadere in peccata. Peccator autem secundum bonum naturæ desiderium impetrat aliquid à Deo, non quasi ex Iustitia, quia hoc non meretur, sed ex pura misericordia, seruatis tamen quatuor conditionibus præmissis; vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. *ead. q. art.* 16.

21. *Ad quid valent orationes, quæ fiunt in horis canonicis?*

ORationes fiunt in horis canonicis ad salutem Ecclesię, vt auertatur ira Dei à populo, & vt orantes sint quasi precibus dimicantes, & quasi diuinæ sententiæ resistentes. *Quodl.* 7. *art.* 18.

22. *Quando licet clerico dicere matutinas de sero, vel in alijs horis canonicis tempus præuenire?*

LIcitum est clerico dicere matutinas de sero, vel in alijs horis canonicis tempus præuenire, si hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum; tum quia melius est, Deo vtrumque reddere, scilicet debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quod per vnum aliud impediatur: tum etiam, quia obseruatur debitum tempus; dies enim quantùm ad Ecclesiasticum officium incipit à vesperis diei præcedentis vsque ad mediam noctem sequentis, & ideo si aliquis post dictas vesperas, & completorium, dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Si autem hoc faciat propter lasciuiam, vt scilicet quietibus somnolentiæ, & voluptati vacet, non est absque peccato. *Quodl.* 5. *art.* 28. *& ad* 1.

23. *Quot sunt partes orationis?*

PArtes orationis sunt quatuor, obsecrationes, orationes, siue inuocationes, postulationes, & gratiarum actiones, *vt dicitur ad Philip.* 4. *&* 1. *ad Tim.* 2. quia ad orationem tria requiruntur. Primò quidem est, vt orans accedat ad Deum, quem orat, quod significatur nomine orationis. Secundò requiritur petitio, quæ significatur nomine postulationis. Tertiò ratio impetrandi quod petitur, & hæc est vel ex parte Dei, quæ est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri, & ad hoc pertinet obsecratio; vel ex parte petentis, quæ est gratiarum actio. Vnde in pluribus Ecclesiæ collectis hæc quatuor possunt attendi, sicut in collecta Trinitatis, quod dicitur (Omnipotens sempiterne Deus) pertinet ad orationis ascensum in Deum; quod dicitur (qui dedisti famulis tuis) pertinet ad gratiarum actiones; quod dicitur (præsta quæsumus) pertinet ad postulationem; quod in fine ponitur (Per Dominum nostrum) pertinet ad obsecrationem. *ead. q. art.* 17. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3.

QVÆSTIO LXXVI.

De Adoratione.

1. *Quare imagines sunt in Ecclesia institutæ?*

TRiplex fuit ratio institutionis imaginum in Ecclesia. Prima qui-

quidem ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur. Secunda ratio fuit, vt Incarnationis mysterium, & Sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repræsentantur. Tertia ad excitandum deuotionis affectum, qui ex visis efficacius excitatur, quam ex auditis. Hic autem vsus imaginum habetur ex traditione Apostolorum qui à Domino acceperunt. Quin historię quoque proditū est, cum Agabarus Edessę Rex eo nomine pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum Diuinę suę ac viuificę faciei pallium admouisse, imaginemque suam ei impressisse, sicque illud ad Agabarum, vt ipsius cupiditati satisfaceret, misisse, vt Damascen. dicit *lib. 4. de Fide orthod. cap. 17. 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. & decreuit Conc. Trid. sess. 25. de ven. Sanct.*

2. *Quare licitum est in noua lege adorare imaginem Dei, non autem in veteri lege?*

IN veteri lege non erat licitum adorare imagines Dei, quia ante Incarnationem Christi, cum Deus incorporeus esset, nulla imagine corporea poterat repræsentari; & præcipuè, quia Iudæi proni erant ad idololatriam ex hoc, quod totus mundus idolatriæ insistebat, sed in nouo Testamento, in quo Christus factus est homo, potest in sui imagine corporali adorari ratione humanitatis assumptę. *3. par. q. 25. art. 3. ad 1. & 4. & 3. sent. vbi sup. ad 1.*

3. *Quomodo adoratio exhibenda est Deo, humanitati, & imagini Christi, Beatæ Virgini, & reliquijs Sanctorum?*

DEO exhibenda est adoratio latriæ, siue religionis, quasi nobis primo principio essendi, & vltimo fini beatitudinis. Humanitas autem Christi, inquantum vnita est Verbo Dei in persona, cui propriè debetur honor adorationis, est adoranda adoratione latriæ: sed inquantum est perfecta omni munere gratiarum, non est adoranda adoratione latriæ, sed adoratione duliæ, non quidem eius, quæ communiter exhibetur alijs creaturis, sed cuiusdam excellentioris, quàm hyperduliam vocant. Imagini autem Christi, & eius cruci debetur adoratio latriæ, non inquantum est res quædam, puta lignum sculptum, vel pictum, sed inquantum est imago repræsentans Christum. Omnia etiam Christi, vt claui, lancea, corona, spinæ, vestes, præsepe, sepulchrum, & huiusmodi, adorantur ratione contactus membrorum Christi. Beatæ autem Virgini exhibenda est adoratio hyperduliæ propter specialem affinitatem, quàm habet ad Deum, inquantum est mater Dei. Reliquias autem Sanctorum adoramus adoratione duliæ non propter seipsas, sed propter animam, quæ fuit eis vnita, quæ nunc fruitur Deo, & propter Deum, cuius fuerunt ministri. *2. 2. quæst. 84. art. 1. ad 1. & q. 101. art. 1. & q. 103. art. 3. & 4. ad 2. & 3. & 3. part. q. 25. art. 1. 2. & ad 1. & art. 3. 4. & ad 3. & art. 5. 6. & ad 2. & 3. sent. vbi sup. quæst. 1. 2. 3. & 4. & 3. contra gent. cap. 120.*

120. *& decreuit Concil. Trid. sess. 25. cap. de ven. Sanct.*

4. *Quare ad adorationem requiritur actus corporalis?*

QVia ex duplici natura compositi sumus, scilicet spirituali, & corporali, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in superiori mentis deuotione; & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione; & hæc fit propter interiorem, tamquam principalem, vt scilicet per signa humilitatis, quę corporaliter exhibemus, exciterur noster affectus ad subijciendum se Deo. *ead. q. art. 2.*

QVÆSTIO LXXVII.

De Sacrificijs, quæ ad exteriorem actum religionis pertinent.

1. *Quare soli Deo est sacrificium offerendum?*

SOli Deo est sacrificium offerendum, quia sacrificium, quod exteriùs offertur, significat interiùs spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo, secundùm Psal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, & fini suæ beatitudinis. Et ideo soli Deo debemus sacrificia exteriora offerre. 1. 2. *quæst.* 102. *ar.* 3. *&* 2. 2. *q.* 85. *art.* 2.

2. *Quomodo omnes tenentur ad Sacrificium offerendum?*

DVplex est sacrificium, vt dictum est: Primum, & principale est sacrificium interiùs, ad quod omnes tenentur: omnes enim tenentur Deo deuotam mentem offerre. Aliud est sacrificium exteriùs, & hoc diuiditur in duo: quoddam enim est specialiter ordinatum ad cultum diuinum, quod sacerdotes tenentur offerre, non solùm pro se, sed etiam pro alijs, & hoc est altaris sacrificium, pertinens ad actum specialis virtutis, scilicet religionis. Aliud verò consistit in actibus exterioribus aliarum virtutum, qui in Dei reuerentiam, & honorem referuntur, sicut actus fortitudinis, iustitiæ, abstinentiæ, castitatis, misericordiæ, humilitatis, & huiusmodi, quorum quidam cadunt sub præcepto, ad quod omnes tenentur; quidam verò sunt super erogationis, ad quod non omnes tenentur. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 4. *& ad* 3.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Oblationibus.

1. *Quando Fideles tenentur ad oblationes?*

FIdeles tenentur ad oblationes quatuor rationibus. Primò quidem ex præcedenti conuentione, sicut cum alicui conceditur fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quòd tamen habet rationem census. Secundò propter præcedentem deputationem, vel promissionem, sicut cum aliquis offert donationem inter viuos, vel cum relinquit Ecclesiæ in testamento aliquã rem mobilem, vel immobilem in posterum soluendam. Tertiò propter Ecclesiæ necessitatem, sicut si ministri Ecclesiæ non haberent vnde sustentarentur. Quartò propter consuetu-

suetudinem, tenentur enim Fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas: tamen in his duobus vltimis casibus oblatio est quodammodo voluntaria, quantùm ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ. 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 1.

2. *Quare sacerdotibus debentur oblationes?*

OBlationes, quæ à populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent, qui sunt medij inter Deum, & homines, vt fideliter eas dispensent; partim quidem expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum diuinum; partim verò in his, quæ pertinent ad proprium victum, quia qui altari deseruiunt, cum altari participant, vt dicitur 1. *Cor.* 9. partim etiam in vsus pauperum, qui sunt de rebus Ecclesiæ sustentandi, quantùm fieri potest, quia & Dominus in vsum pauperum loculos habeat. *ead. quæst. art.* 2.

QVÆSTIO LXXIX.

De Primitijs.

Quomodo sacerdotibus debentur primitiæ?

PRimitiæ sunt offerendæ sacerdotibus secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum Ecclesiæ. Quantitas tamen primitiarum non est per Ecclesiam determinata, quia primitiæ dantur per modum oblationis, quę est spontanea. *ead. q. art.* 4. & *ad* 3.

QVÆSTIO LXXX.

De Decimis.

1. *Quando Fideles tenentur ad decimarum solutionem?*

TEnentur Fideles ad decimarum solutionem ex iure naturali propter sustentationem ministrorum Ecclesiæ. Vnde dicitur Malach. 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.* Determinatio autem certæ partis est reseruata ordinationi Ecclesiæ: sicut in veteri lege solutio decimarum ad sustentationem ministrorum Dei erat præceptum morale; sed determinatio decimæ partis erat præceptum iudiciale. Hoc autem præceptum, quantùm ad id, quod erat morale, datum est à Domino in Euangelio Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et etiam ab Apostolo 1. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendijs vmquam? Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. & *ad* 2. & *Quodlib.* 2. *art.* 8. & *Quodlib.* 6. *art.* 12.

2. *Quando homines excusantur decimas non soluendo?*

IN terris, in quibus non est consuetudo communis, quod decimæ soluantur, & Ecclesia non petit, homines non peccant decimas non soluendo, de decim. cap. cum sint, & cap. in aliquibus. §. illæ, & colligitur ex Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. nisi fortè propter obstinationem animi haben-

habentes voluntatem non soluendi, et iam si ab eis peterentur. Durum enim esset dicere, quod homines Italiæ, & orientalium partium damnarentur, qui decimas non soluunt: & possumus ab Apost. argumentum sumere, qui non accipiebat stipendium victus ab his, quibus prædicabat, ne daretur aliquod offendiculum Euangelio, vt ipse dicit; nec tamen peccabant illi, qui ei non subueniebant, alioquin eos corrigere non omisisset. Vnde non bene facerent rectores Ecclesiarum si in terris illis decimas exigerent, in quibus non est consuetudo dari, si probabiliter crederent, quod ex hoc scandalum oriretur. *ead. quæst. art.* 1. *ad* 5. *&* *Quodl.* 2. *art.* 8. *&* *Quodl.* 6. *art.* 10. *ad* 2.

3. *Quare de omnibus decimæ sunt soluendæ?*

Decimę de omnibus possessis sunt soluendæ, quia fundamentum solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, vt dicitur 1. *Corinth.* 9. Omnia autem, quæ homo possidet, sub carnalibus continentur. *ead. quæst. art.* 2.

4. *Quibus debentur decimæ?*

Solis clericis curam animarum habentibus debentur decimę, quia ius accipiendi decimas est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, quod ad solos clericos pertinet curam animarũ habentes. Quibusdam tamen religiosis laicis, vel non habentibus curam animarũ aliquę decimę sunt per Ecclesiam concessę per modum eleemosynæ: quibusdam verò militibus in feudum propter aliqua seruitia, quę fecerunt Ecclesiæ, iure accipiendi ministris Ecclesiæ reseruato, quod est spirituale. Sunt autem clericis soluendæ decimæ, quamuis habeant possessiones Ecclesiasticas, & patrimoniales, & recipiant oblationes, & primitias, quia decimæ dantur clericis, non solùm propter eorum sustentationem, sed etiam, vt ex eis pauperibus subueniatur. *ead. q. art.* 3. *&* *ad* 1. *&* 3. *&* *Quodl.* 6. *art.* 10. *ad* 1.

5. *Quando clerici, & religiosi tenentur decimas dare?*

Clerici, si habent Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere non tenentur, sed si possident proprio iure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, vel quouis alio modo, sunt ad decimas soluendas obligati, etiam si ipsi sint eiusdem Ecclesiæ clerici. Tenentur etiam clerici summo Pontifici decimam dare si exigeret. Religiosi autem, qui non dispensant populo spiritualia, tenentur de iure communi decimas dare. Habent tamen aliquã immunitatem secundùm diuersas concessiones eis à Sede Apostolica factas. *ead. q. art.* 4. *&* *ad* 1. *&* 2.

QVÆSTIO LXXXI.

De Voto.

1. *Quæ sunt ad votum necessaria?*

Ad votum tria sunt necessaria. Primùm est deliberatio rationis;

nis; vt scilicet aliquis aduertat materiam, & vinculum voti, ex quo habet vim obligandi. Secundùm est voluntatis deliberatio, vt vouendi propositum habeat. Tertiùm est promissio, in qua perficitur ratio voti, promissio procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Vnde dicitur Ecclesiast.5. *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere: displicet enim infidelis, & stulta promissio.*

Hæc autem sunt ita necessaria, vt si vnum ex his deficiat, votum sit nullum. Si quis enim vouet, & non aduertit ipsũ votum; quia non est capax rationis, vt puer ante septennium; vel quia non habet tunc rationis vsum, sicut amens, vel inconsiderate vouens, sic non est votum. Similiter si vouet, & aduertit, sed propositum non habet vouendi: vel si propositum habet, sed non vouet. Possunt tamen hæc simul tempore fieri, vt scilicet aliquis deliberatè voueat. 27. quæst. 1. de viduis. 2. 2. quæst. 88. art. 1. & 4. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 1.

2. *Quomodo votum fit Deo?*

SOli Deo fit votum principaliter; Sanctis verò fit votum, inquantũ per suffragia sunt mediatores inter nos, & Deum. Prælatis autem non fit votum, sed promissio, quæ est materia voti, inquantum scilicet homo vouet se impleturum, quod Prælatis promittit. *ead. q. art. 5. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 1. ad 4.*

3. *Quomodo votum sit de meliori bono?*

VOtum proprijssimè est de meliori bono in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis. 17. q. 1. sunt quędam quia est de bono omnino voluntario, quod dicitur bonum super erogationis, cadens sub consilio. Bonum autem, quod est de necessitate salutis, cadit quidem sub voto, inquantum voluntariè fit, non autem inquantum est necessitatis: & sic Iacob legitur Genes. 28. *vouisse, habiturum se Dominum in Deum*. De nullo autem illicito potest fieri votum, quia non est Deo acceptum. 2. 2. *q. 4. in malis.* Et ideo non est debita materia voti. *De indifferenti autem, quod nec bonum, nec malum est secundùm se, non debet fieri votum, sicut non ire in talem domum, vel vti veste alba, vel nigra, sed de eo relato ad aliquod bonum potest esse votum (secundum Caietanum) sicut non ire in talem domum propter frequentem abusum ludi, vel occursum mulieris.* Si autem fiat votum de re vana, & inutili, sicut est votum mulierum de non pectinando caput tali, vel tali die, tale votum magis est deridendum, quàm seruandum; sunt enim talia vota reliquię quędam idololatriæ, secundùm quam obseruabantur dies, & menses: & ideo peccant talia vouentes, quia secundùm Hieron. cum Infidelibus etiam nec nomina habere debemus communia. *Similiter si fiat votum de bono propter malum finem, non semper obligat ad seruandum, vt docet idem Caietanus. Si enim malus finis sit executionis voti, sicut si dux belli iniusti promittit se oblaturum mille aureos pro obtinenda à Deo victoria: tale votum blasphemia potius quàm votum est, quia facit Deum auctorem mali. Et ideo pœnitere debet de tali.*

li voto tamquam impio. Similiter si malus finis sit materia voti, sicut si quis vouet facere eleemosynam propter inanem gloriam, quæ est finis eleemosinæ, non est votum, sed diabolica promissio, quia eius materia non est aliquod bonum sed formaliter malum. Si autem malus finis sit ipsius actus voventis, hoc est applicationis hominis ad vouendum, sicut si quis vouet ingredi religionem, vt habeat diuitias, ex quibus luxuriosè viuat, votum est validum, peccat tamen mortaliter sic vouens. Similiter si quis voueat cum conditione mala, puta si occidat aduersarium, non est votum, sed peccatum mortale. ead. quæst. art. 2. & ad 1. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1. & ad 2. & 3.

4. *Quare votum obligat ad obseruandum?*

VOtum obligat hominem ad obseruandum propter fidelitatem, quam debet Deo, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij suscepti. Et ideo fractio voti est quædam infidelitatis species, secundum illud Ecclesiast. 5. *Displicet Deo infidelis, & stulta promissio. ead. q. art. 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3.*

Vbi duo notanda occurrunt. Primùm est, quod transgressio voti de bono supererogationis, puta peregrinationis, est vnum peccatum mortale contra votum, quod dicitur sacrilegium. Transgressio vero voti de bono, quod cadit sub præcepto diuino, vel Ecclesiæ, est duplex peccatum mortale contra præceptum, & contra votũ, sicut cũ quis vouit non fornicari, vel ieiunare in Quadragesima: & ideo in confessione tenetur dicere non solùm peccatum, sed etiam voti circumstantiam. Secundùm est, vt dicit Caiet. quod si aliquis facit votum non nubendi si fornicetur, non facit contra votum, quia differt votum non nubendi, à voto non fornicandi, ob diuersitatem materiæ: materia enim voti non nubendi est castitas opposita actibus matrimonij, quæ est bonum supererogationis, cadens sub consilio, & est propria materia voti; Materia verò voti non fornicandi est castitas opposita luxuriæ, quæ est bonum cadens sub præcepto, & dicitur materia communis: & ideo si concubina voueat non nubere, vt satisfaciat lenoni timenti, ne eum deserat, tenet votum, licet ipsa intendat fornicari.

5. *Quid si aliquis incurrit impossibilitatem implendi votum?*

SI aliquis incidit in impossibilitatem implendi votum, obligatio voti tollitur, quia quidquid votum fiendum impediret, si præsens esset, etiam voto facto, obligationem aufert: sicut si quis diues vouerit ædificare Ecclesiam, & superueniente paupertate perficere non possit, non obligatur ex voto ad implendum; ita tamen, quod si omnino factus est impotens, non tenetur simpliciter ad hoc, quod vouit: sed si factus est impotens ad totum perficiendum, ad id quod potest, remanet obligatus; & si sua culpa impotentiam incurrit, tenetur facere, quod potest, & insuper de propria culpa pœnitentiam agere. Vnde mulier, quæ virginitatem vouit, si postea corrumpatur, non solùm debet seruare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam

etiam de peccato pœnitere. *ead. q. art. 3. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 3. ad 1.*

6. *Quid si aliquis fecit duo vota impossibilia?*

SI quis fecit votum peregrinationis, vel alterius huiusmodi, & postea fecit votum religionis, quod est ei impossibile, tenetur seruare votum religionis, non requisita alicuius Prælati dispensatione, quia votum religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiæ, qua suam voluntatem tradit Deo, per quam sui, & omnium Dominus esse potest. Si autem fecit duo vota temporalia, & secundum votum est omnino incompossibile primo, debet seruare maius, hoc est virtuosius, & de minori secundum arbitrium Prælati satisfacere. *Et intelligit, si vota sunt inæqualia, quia si essent æqualia, seruandum esset primum, cum non potuerit ad impossibile obligare, vt dicit Silest. in verbo votum 2. quæst. 13.* Si autem vtrumque est compossibile, debet vtrumque seruare, nisi fortè Superior minus votum præcedens in maius sequens commutauerit. 4. *sent. vbi sup. art. 4. quæst. 3.*

7. *Quando votum est soluendum?*

SI in intentione, & voluntate vouentis est obligare se ad statim soluendum votum, tenetur statim soluere: si autem ad certum tempus, non statim tenetur soluere, sed nec debet tardare vltra, quàm intendit obligare, quia obligatio voti ex propria voluntate, & intentione causatur. Vnde dicitur *Deuter 23. Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Peccat autem qui tardat reddere: Dicitur enim ibi: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Si autem aliquis vouet cum intentione se obligandi ad soluendum votum simpliciter absque determinatione temporis, & conscientia sibi dictat se non esse in mora expectando, non peccat secundùm Caietanum, & tenet Nauar. cap. 12. num. 41. quod si non potest ex hoc intentio vouentis sciri, determinatio temporis relinquitur arbitrio boni viri, consideratis conditionibus personę, materię, & huiusmodi, si autem sit votum sub conditione, tale votum non obligat, nisi illa conditione extante. 2. 2. *quæst. 88. art. 3. ad 3. & 4. sent. vbi supra art. 3. ad 4.*

8. *Quare expediens est Vouere?*

EXpediens est aliquid vouere, quia vouendo voluntatem nostram immobiliter firmamus in bonum: & ideo necessitas reddendi votum non diminuit libertatem, quia est necessitas firmatæ voluntatis in bonum, vt patet in Deo, & in Beatis. *ead. quæst. art. 4. & ad 1. & opusc. 17. c. 13. & 3. cont. gent. c. 138.*

9. *Cur facere aliquid ex voto est magis meritorium, quàm sine voto?*

FAcere idem opus ex voto est magis meritorum, quàm facere sine voto. Primò quidem; quia est actus religionis, quæ est præcipua inter virtutes morales; est enim promissio Deo facta de his, quæ pertinent ad Dei obsequium. Secundò, quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum: facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, est magis meritorium. Vnde monet Apostolus 1. Cor. 15. *Stabiles estote, & immobiles. ead. quæst. art. 6. & quæst. 189. art. 2. & opusc. 17. & 18. art. 12.*

10. *Quomodo votum solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, & professionem certæ regulæ?*

SOlemnitas voti non consistit in statuto Ecclesiæ, quia sic Ecclesia posset contrarium statuere, quod non videtur verum, sed consistit in traditione rei, vnde promissio impleatur; quia tunc votum solemnizari dicitur, quando aliquis actualiter se dat Deo, diuinis se seruitijs mancipando, quod quidem fit per ordinis sacri susceptionem, vel per professionem certæ regulæ; & ideo grauiùs peccat, qui transgreditur votum solemne, quam simplex, quia habet maiorem vim obligandi apud Deum. *ead. quæst. art. 7. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. quæst. 2. & ad 1. & art. 3. quæst. 2. & Quodl. 3. art. 18. & Quodl. 8. art. 10. & opusc. 17. c. 12.*

Vnde opinio, quàm tenet Caiet. ab Auctore refutatur, quod solemnitas voti consistit in statuto Ecclesiæ, & habet Sot. lib. 7. de iust. & iur. quæst. 2. art. 2.

11. *Quare ille, qui est potestati alterius subiectus, non potest se voto obligare?*

QVicumque est subiectus alteri, non potest se voto obligare ad id, in quo est subiectus, sine consensu superioris; quia quantùm ad id, in quo est subiectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Potest tamen se voto obligare ad id sub conditione si superior non contradicat, quod obligat durante tali conditione, secundùm Caiet. & hæc durat, quandiu superior nescit tale votum. Vnde pueri ante annos pubertatis non possunt se voto obligare, quamuis habeant vsum rationis, sine consensu parentum, vel tutorum, qui sunt loco parentum, quia sunt eorum curæ naturaliter subiecti, nisi cum ad legitimam ætatem perueniunt, ratum habeant votum: quia sic votum est validum. *de regul. cap.* significatum, & tenet Nauar. *cap.* 12. *num.* 17. *Seruus* etiam non potest sine consensu domini se voto obligari ad religionem, peregrinationem, & huiusmodi, per quæ ab obsequio domini subtraheretur, quia est in potestate domini, quantùm ad personales operationes. Secus autem in quibus domino non præiudicatur, vt in voto continentiæ, orationibus dicendis, & similibus. Eadem ratione religiosus non potest se voto obligare sine consensu Prælati secundùm professionem regulæ. Similiter vxor

non

non potest facere votum in his, in quibus subditur viro, sine eius consensu, non solùm quantùm ad redditionem debiti, sed etiam quantùm ad res domesticas: potest tamen vouere orationes, ieiunia, & huiusmodi in quibus non subditur viro. *ead. q. art. 8. ad 1. 2. & 3. & 4. sent. ubi sup. art. 1. quæst. 2. & ad 3. & 4. & art. 3. ad 4. & opusc. 12. art. 12.*

12. *Quando puer, vel puella potest se voto obligare?*

POtest puer, vel puella, si sint liberæ conditionis, se voto obligare absq; voluntate parentum, cum peruenit ad annos pubertatis, scilicet puer ad annos 14. & puella ad 12. quantum ad ea, quę pertinent ad suam personam, puta ad continentiam, religionem, ieiunium, orationes, quia quantùm ad hæc, est suæ potestatis. *20. qu. 2. cap. si in qualibet, & cap. puella.* Sed non potest se voto obligare sine consensu patris, quantùm ad res domesticas, quia in his non est suæ potestatis. *ead. quæst. art. 8. ad 2. & art. 9. & q. 129. art. 5. & 4. sent. vbi sup. art. 1. quæst. 2. ad 2. & opusc. 17. cap. 12.*

13. *Quare ad commutationē, vel dispensationem voti requiritur Prælati auctoritas?*

AD commutationem, vel dispensationem voti requiritur Prælati auctoritas, quia votum est promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Ad auctoritatem autem Prælati, qui in Ecclesia gerit vicem Dei, pertinet determinare quid sit Deo acceptum, secundùm illud 2. Chorinth. 2. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi,* & significanter dicit, *propter vos*; quia omnis dispensatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona dispensat, vel ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus. *ead. q. art. 12.*

14. *Quando Prælatus potest votum commutare?*

INter commutationem voti, & dispensationem hoc interest, quod in dispensatione tollitur vinculū voti: In commutatione verò non tollitur vinculum, sed mutatur tantùm materia. Vnde minus importat voti commutatio, quàm dispensatio. *Potest autem Prælatus votum commutare in maius bonum absque alia causa; quia maius bonum est sufficiens commutandi causa, vt patet de vot. cap. quod super his: inæquale autem non potest cōmutare sine rationabili causa. Potest etiam votum commutare in minus; ut dicit Caiet. art. 12. si sit causa obstans executioni tanti voti, & habeat Prælatus potestatem dispensandi, partim dispensando, partim commutando. Debet autem ita commutare: quod si quis fecit votum peregrinationis, vel aliorum similium, Prælatus perpendat vouentis qualitatem, & expensas, quas facturus esset in voto implendo; illasque in alia pia opera conuertat, laborem verò itineris in ieiunia, & orationes mutet, cap. 1. & cap. magna. eodem tit. ead. q. art. 10. & ad 1. & 4. sen. vbi sup. art. 4. q. 2. & 3.*

15. *Quando Prælatus potest in voto dispensare?*

PRælatus non potest dispensare in voto sine causa obstante scilicet executioni voti, quia non est dominus materiæ voti, sed dispensator: Et habet potestatem in ædificationem, & non in destructionem, vt patet 2. *Cor.* 10. Et ideo si dispensaret nulla apparenti causa obstante, non excusaretur à culpa, & qui vouit remaneret obligatus. Si autem causa obstans esset dubia, potest vouens stare iudicio Prælati dispensantis, non tamen iudicio proprio, quia ipse non gerit vicem Dei. Causa autem obstans executioni voti potest contingere ex parte materiæ, si materia voti in aliquo casu sit aliquod malum, vel inutile, vel nociuum, ex infirmitate, vel ex paupertate *de vot. c. 1. & c. quod super his.*, vel sit maioris boni impeditiuum; tùm in comparatione ad bonum particulare, scilicet vouentis [sicut si quis fecit votum non nubendi, qui tamen fornicatur; maius enim bonum est non fornicari, quàm non nubere, quod est eius impeditiuum secundùm illud Paul. *Melius est nubere, quàm vri*] tùm etiam in comparatione ad bonum commune: sicut si quis vouit ieiunium, quod est impeditiuum studij, vel prædicationis, vt boni communis, vel si aliquis vouit continentiã, vel religionem, quæ est impeditiua communis vtilitatis totius Ecclesiæ, vel vnius regni, vel prouinciæ: tunc enim posset conuenienter dispensari; & ratio est, quia propter communem vtilitatem posset alicui iustè prohiberi, ne ieiunium, vel continentiam, vel religionem voueret. Eadem necessitate manente, potest etiam in voto dispensari iam facto. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. & 12. & *ad* 2. & 4. *sent. vbi sup. art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. & *art.* 4. & *ad* 3.

16. *Quando Papa potest dispensare in voto solemni continentiæ?*

PApa potest dispensare in voto solemni continentiæ per susceptionem sacri Ordinis, quia debitum continentiæ non est essentialiter annexum Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ *de cler. coniug. cap. sanè*, & *dist.* 84. *cum in præterito*. Non potest autem dispensare in voto solemni continentiæ per professionem certæ regulæ, quia debitum continentiæ est essentiale statui religionis: per statum enim religionis homo moritur mundo, & viuit Deo: hoc autem non potest simul stare cum matrimonio; quia, vt dicit Apost. 1. ad Corinth. 7. *Qui est cum vxore, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Vnde de statu *Monach. cap.* cum ad monasterium dicitur: Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere. *ead. qu. art.* 11. & *ad* 1.

Vnde non est audiendus Caiet, qui in hoc recessit ab Auctore.

17. *Quæ vota sunt Papæ reseruata?*

VOta maiora, puta perpetuæ cōtinentiæ, religionis, & peregrinationis Terræ sanctę Hierusalem, S. Iacobi in Compostella, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli Romæ, reseruantur Summo Pontifici, in extrauag. etsi Dominici. 2. *de pæn. & remiss.* quia Summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia. Alijs autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt & indigent frequenti dispensatione, vt homines de facili habeant ad quē recurrant, sicut sunt vota peregrinationum, ieiuniorum, & aliorum huiusmodi, *cap* 1. *eodem tit. & de obseru. ieiun. cap. consilium in fine, & cap. quod non est de reg. iur. ead. quæst. art.* 12. *ad* 3. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 4. *quæst.* 1.

QVÆSTIO LXXXII.

De Iuramento.

1. *Quid est iuramentum?*

IVramentum est inuocatio diuini testimonij, in dicti alicuius confirmationem; quia iuramentum ordinatur ad confirmationem eorū, quæ in dubium veniunt audienti, quę ex sui natura dubitationem habent, sicut sunt particularia facta contingentia hominum. Horum autem dubiorum certitudo haberi non potest, nisi per diuinum testimonium, quia Deus mentiri non potest, neque eum aliquid latet. *Fuit autem iuramentum hoc homini necessarium propter malū pœna, quod per peccatum incurrit; per hoc enim perdidit fidem. Vnde dicitur Matth.* 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod amplius est, à malo est, scilicet iuramentum à malo pœnæ est, vt ibi Aug. interpretatur.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *&* 3. *sent. dist.* 39. *art.* 1. *&* 3.

2. *Quomodo iuramentum est licitum?*

IVramentum secundùm se est licitum, quod patet ex origine, & fine. Ex origine quidem, quia iuramentum est introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & omnium cognitionem; & ideò est actus religionis. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad terminandum hominum controuersias. Vnde dicitur. Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis* & in Ps. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Hoc etiam definitum est in bulla Martini Quinti in Concil. Constantien. Requiruntur tamen tres comites: Duo quidem ex parte eius, de quo iuratur, vt scilicet non sit falsum, & sic requiritur veritas; neque sit aliquid illicitum, & sic requiritur iustitia. Tertius autem requiritur ex parte iurantis, ut non leuiter, sed ex necessitate, & discretione iuret, & sic est iudicium. Vnde dicitur. Hierem. 6. *Iurabis, viuit Dominus in veritate, in iudicio, & in iustitia*, quod exponens Hieronymus, dicit: *Animaduertendum est, quod iusiurandi comites habet comites*, scilicet iudicium, iustitiam, veritatem, & refertur 2. 2. q. 2. ex his si vnum deficiat, iura-

mentum est illicitum, nec vim habet obligandi. *ead. q. art. 2. & ad 2. & art. 3. & 4. & 3. sent. vbi sup. art. 2. quaest. 2.*

3. Quomodo sit iuramentum?

DVplex est modus iurandi. Vnus quidem est modus iurandi explicitè per simplicem Dei contestationem, inquantùm scilicet diuinum testimonium inuocatur, ad confirmandum quod dicitur, sicut cùm aliquis dicit: Est mihi Deus testis, vel, coram Deo loquor, vel, Deus me adiuuet, vel, per Deum. Alius est modus iurandi implicitè, cum ad iuramentum assumuntur aliquæ creaturæ, non secundùm se, sed inquantùm in eis manifestatur diuina veritas, sicut iuramus per Euangelium, id est, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur, & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Sunt autem duæ species iuramenti. Prima quidem species est iuramentum assertorium, cum diuinum testimonium inducitur ad afferendum præsentia, vel præterita, sicut, per Deum iste occidit hominem, vel habet talem rem. Secunda est iuramentum promissorium, cum diuinum testimonium inuocatur ad confirmandum aliquod futurum, vt, faciam hoc per Deum. Ad has autem species reducitur iuramentum execratorium, cum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi sit verum, quod dicit, sicut cum aliquis iurat per caput suū, vel per filium suum, aut per aliam rem, quam diligit, sicut & Apostolus iurauit. 2. Cor. 10. *Ego Deum testem inuoco in animam meam.* Iuramentum autem comminatorium reducitur ad promissorium, cum comminatur malum pœnæ, sicut non dicitur, per Deum te percutiam. *ead. q. art. 1. ad 3. & art. 6.*

Ex his colligit Caietan. quod dicere, in veritate, vel per fidem meam, & huiusmodi, ad confirmandum quod dicitur, non est iurare, quia in his non inuocatur diuinum testimonium, sed humana adducuntur ad confirmationem. Cum enim dicitur, in veritate, nihil aliud dicitur, quam verè; & cum dicitur per fidem meam, non de fide, quæ est virtus theologica, sed de fide, quæ est virtus moralis, intelligitur, hoc est, fidelitate: si tamen aliquis dicit hac, putans, quod sit iurare, ex intentione iurat, non ex vi verborum.

4. Quando iuramentum habet vim obligandi?

IVramentum assertorium, quod est de præterito, vel præsenti, habet vim obligandi, non respectu rei, quæ iam fuit, vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, vt scilicet iuret id, quod iam verum est, vel fuit. Sed iuramentum promissorium, quod est de futuro, habet vim obligandi respectu rei, quæ fienda est, dummodo alij duo comites adsint, scilicet iudicium, & iustitia. Si autem id, quod aliquis iurat se facturum, redditur impossibile in aliquo casu, sicut cum aliquis iurat se pecuniam soluturum, quæ ei postea vi, vel furto subtrahitur tunc debet

fa-

facere, quod in se est: si verò sit possibile fieri; sed non debeat, quia est per se malum, vel nociuum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, tunc iuramentum non est seruandũ, quia secundum Augustinum, & habetur 2, 2. q. 4. *cap. si quid, & cap. inter cętera*, in eo casu iuramentũ vergit in deteriorem exitum. Ex vi autem iuramenti non obligatur nisi ille, qui iurat, quia iuramentum est actio personalis. *ead. q. art. 7. & qu. 98. art. 2. ad 4. & 3. sent. vbi sup. art. 3.*

Ex hoc principio deducit Caiet. quod heres non tenetur soluere debitum, quod pater iurauit soluere ex vi iuramenti, sed ex hereditate. Et similiter si Procurator iurauit in causa aliqua, non tenetur principalis ex vi iuramenti facti à Procuratore, & sic de similibus.

5. *Quid si aliquis iurat se facturum aliquod malum, vel non facturum melius bonum?*

SI aliquis iurat se facturum aliquid, quod est per se malum, scilicet peccatum, & peccat iurando, & peccat iuramentum seruando *cap. quanto de iureiuran.* mortaliter quidẽ; vt declarat Caiet. si iurat se facturum peccatum mortale, sicut cum iurat se perpetraturum adulterium: Venialiter verò; si iurat se facturum peccatum veniale. Si quis autem iurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, sicut cum aliquis iurat se non intraturum Religionem, vel quod non fiet clericus, vel quod non accipiet prælationem in casu, in quo expedit eum accipere, peccat quidem iurando, inquantùm ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat iuramentum seruando: sed multò melius facit si non seruet, quia vergit in deteriorem exitum, retrahendo à meliori bono, & ideo ei deest iudicium discretionis, & per consequens non obligat ad seruandum. Idem est iudicium de re indifferenti, nec bona, nec mala: de hac enim iurare est peccatum veniale, & iurans implere non tenetur. *ead. q. art. 7. ad 2. & 3. sent. vbi sup. art. 3. ad 1. & 3. & Quodl. 5. art. 27. & Quodl. 12. art. 22.*

6. *Quomodo iuramentum coactum obligat?*

PEr iuramentum coactum aliquis in foro conscientiæ non obligatur homini, cui aliquid promittitur, quia ille, qui vim intulit, meretur, vt ei promissum non seruetur: sed obligatur Deo, vt impleat quod per nomen eius promisit, quia magis debet temporale damnum sustinere, quam iuramentum violare. Potest tamen in iudicio repetere quod soluit, vel per auctoritatem Summi Pontificis ab obligatione, iuramenti absolui, præsertim si coactus fuerit tali metu, qui cadere posset in constantem virum, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum; etenim contra Iustitiam publicam. Absoluit autem Summus Pont. fex ab huiusmodi iuramentis non quasi decernendo talia iuramenta non esse obligatoria, sed quasi huiusmodi obligationes ex iusta causa relaxando, vt habeatur de iureiurando,

do,

do, *cap. verum ead. p. art. 7. ad 3. & q. 98. art. 3. ad 1. & 3. sent. vbi sup. art. q. 1.*

7. *Quomodo iuramentum promissorium obligat, si non est eadem intentio iurantis, & eius, cui iuratur?*

QVando non est eadem intentio iurantis, & eius, cui iuratur, si iurans non adhibet dolum, iuramentum obligat secundùm intentionem iurantis in foro conscientiæ: sed in foro contentioso, vbi intentio ignoratur, obligat secundùm quod verbo communiter accipi solent. Si autem hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum seruari secundùm sanum intellectum eius, cui iuramentum præstatur. Et ratio est, quia iuramentum non solum debet habere veritatem in sua causa, scilicet in proposito facientis, sed etiam in re, quæ iuratur, quia propter reuerentiam diuini testimonij, quod inuocatur, obligatur homo, vt faciat esse verum id quod iurauit. *ead. q. art. 7. ad. 1 & 4. & 3. sent. vbi sup. art. 3. q. 2.*

Vbi sunt duo aduertenda secundùm Caiet. Primum est, si aliquis iurat animo iurandi, sed non promittendi, nec seruandi, tenet iuramentum, non solùm in foro iudiciali, sed in foro conscientiæ, & obligat ad obseruandum. Si autem iurat solo exteriori actu sine animo iurandi, promittendi, & seruandi non obligat in foro conscientia absolute, quia nullum est in veritate, sed in apparentia solùm. Secundum est, iurans simulatoris verbis, si interueniunt verba falsa, peccat mortaliter, quia est mendacium iuramento firmatum: si verò non interueniunt verba falsa, sed æquiuoca scilicet in vno sensu, vera, & in alio falsa, & à iurante intenduntur in sensu, in quo sunt vera ad hoc, vt fallatur audiens, & non dicuntur in iudicio, nec in materia præiudiciali alteri, iuramentum non est peccatum mortale, quia adest veritas, & iustitia, licet deficiat iudicium discretionis, & sic excusatur iurans, se non habere aliquam rem, & intelligit ad dandum vel accommodandum, & in alijs similibus. Non excusantur autem mercatores, qui iurant tanti emisse rem, quam vendunt, & tamen minoris emerunt, & intelligunt illam rem simul cum alijs emptis, quia præiudicant ementi.

8. *Quare votum magis obligat, quàm iuramentum?*

VOtum ex ratione sui est magis obligatorium, quam iuramentum, quia obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt scilicet ei promissum soluamus: obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia, quam ei debemus, ex qua tenemur, quod verificemus id quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, sed non è contra. *ead. q. art. 8.*

9. Quando *potest dispensari in iuramento?*

IN iuramento potest dispensari, sicut in voto ex parte materiæ, si materia iuramenti in aliquo casu sit aliquod

in

in honestum, vel nociuum, quod repugnat his, quæ debent attendi in iuramento; nam si sit inhonestum, repugnat iustitiæ, si sit nociuum, repugnat iudicio. Si autem materia iuramenti sit aliquod malum simpliciter, quod est peccatum, sicut cum aliquis iurat se facturum homicidium; vel sit maioris boni impeditiuum, sicut cum aliquis iurat se non intraturum religionem, tale iuramentum non indiget dispensatione. In primo tamen casu tenetur aliquis iuramentum non seruare: in secundo autem licitum est seruare, & non seruare, vt dictum est. *ead. q. art. 9. & ad 3.*

10. *In quo iuramento potest dispensari?*

IN iuramento assertorio non potest dispensari, quia eius materia est aliquid præteritum, vel præsens, quod est immutabile. Et ideo dispensatio non referetur ad materiam, sed ad ipsum actum iuramenti. Vnde talis dispensatio directè esset contra præceptum diuinum; sed in iuramento promissorio potest dispensari, quia eius materia est aliquid futurum, quod variari potest, ita scilicet, quod in aliquo casu potest esse illicitum, vel nociuum, & per consequens non est debita materia iuramenti. *ead. q. art. 9. ad 1.*

11. *Quando Papa potest dispensare in iuramento promissorio?*

PApa non potest dispensare in iuramento promissorio, si eius materia sit aliquid manifestè licitum, & vtile, nisi aliquid melius occurat ad communem vtilitatem faciendum, quod maximè videtur ad potestatem Papæ pertinere, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ. Potest etiam Papa absoluè relaxare iuramentum promissorium in omnibus, quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis; sicut quilibet superior potest irritare iuramentum subditorum, factum circa ea, quę eius potestati subduntur; sicut pater potest irritare iuramentū puellæ, & vir vxoris, vt dicitur *Num. 30.* Episcopus autem dispensare potest in iuramento promissorio, si est dubium, an materia iuramenti sit aliquid licitum, vel illicitum, vtile, vel nociuum, aut simpliciter, aut in aliquo casu. *ead. quæst. art. 9. ad 3.*

QVÆSTIO LXXXIII.

De Adiuratione.

1. *Quomodo licitum est subditos, & superiores adiurare?*

LIcitum est subditos adiurare per inuocationem diuini nominis, vel cuiuscumque rei sacræ per modum compulsionis, sed superiores licitum est adiurare per modum deprecationis, vel inductionis, & sic Deum adiuramus per Filium suum, vel per Sanctos suos, qui ei accepti supra nos fuerunt 2. 2. *q.* 90. *ar.* 1. & 2. & 4. *sent. dist.* 15. *q.* 4. *art* 3. *ad* 1.

2. *Quomodo licitum est dæmones adiurare?*

LIcitum est dæmones adiurare pro-

propter reuerentiam diuini nominis, vel alicuius sacri, non per modum inductionis ad aliquid agendum, vel addiscendum, quia hic modus videtur ad quamdam societatem pertinere, quæ non licet ad dæmones vti, nisi fortè ex speciali instinctu, vel reuelatione diuina, sicut legitur de beato Iacobo, qui per dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci: sed est licitum adiurare dæmones per modum impulsionis ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter, iuxta potestatem diuinitus datam à Christo secundùm illud Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit* 2.2.q. 90. art. 2.

3. *Quomodo licitum est adiurare irrationales creaturas?*

Licitum est adiurare irrationales creaturas per modum impulsionis in ordine ad diabolum, qui diuina permissione vtitur irrationabilibus creaturis ad nocendum hominibus, & talis est modus adiurandi in Eccl. exorcismis. *ead.q.ar.3.*

QVÆSTIO LXXXIV.

De Laude diuina.

1. *Cur Deus est ore laudandus?*

Valet laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis in Deum, secundùm illud Psalm.49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Valet etiam ad prouocandum aliorum affectum in Deum. Vnde dicitur in Psalm. 33. *Semper laus eius in ore meo, audiant mansueti, & lætentur: magnificate Dominum mecum.* Et licet audientes aliquod non intelligant, quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet in laudem Dei, & hoc sufficit ad deuotionem excitandam 2. 2. q. 90. *art.* 1. & 2. *ad* 5. & 3. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2.

2. *Quare in diuinis laudibus cantus sunt assumendi?*

Salubriter fuit institutum, vt in diuinis laudibus cantus assumerentur, quo animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. *Idem dicendum est de sono organorum in Ecclesia, qui tempore Auctoris non erat in vsu, & introductus est ad alliciendum homines, vt diuinis intersint, & ad deuotionem excitandam, secundùm Caietanum. Vnde cantare vana in Ecclesia ex intentione est peccatum mortale ex suo genere, scilicet sacrilegij, sicut & sonare; quia talis actus ex suo genere, est excitatiuus ad carnalem delectationẽ,* & *sic fit iniuria diuino cultui, quia cantus, vel sonus inter diuina est pars diuini cultus, in cuius signum Leuit.* 10. *filij Aaron deuorati sunt, quia ignem alienum in diuino cultu apposuerunt. Simile accidit in proposito, quia ignis alieni amoris, scilicet carnis, vel mundi in diuino apponitur cultu, loco antiphonarum, & laudum diuinarum. Si quis tamen ex ignorantia cante, siue sonet vana delectationis causa nesciens diuino cultui se per hoc facere iniuriam, excusatur à peccato mortali. ead. q. art.* 2. & *ad* 2.

DE-

De Speciebus Superstitionis, quæ religioni opponitur, scilicet idololatria, diuinatione, & obseruatione.

QVÆSTIO LXXXV.

De Idololatria.

1. *Quare idololatria est grauissimum peccatum?*

IDololatria est grauissimum peccatum, ex parte ipsius peccati, quia per idololatriam aliquis diuinum honorem exhibet creaturæ, & sic quantū est in se, facit alium Deum in mūdo, minuens principatum diuinū. Nec excusatur aliquis, si persecutionis tēpore exterius idola colat, dum tamen fidem in mente seruet, vt dicebāt quidam hæretici, quia exterior cultus est signum interioris cultus: & ideo est perniciosum mendacium, si quis cultum exteriorem exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente, & est prohibitum Exod. 20. *Non adorabis ea*, scilicet exterius, *neque coles*, scilicet interius. Iste etiam committit peccatum infidelitatis exterioris oppositum fidei confessioni, & est excommunicatus in foro exteriori, quia reputatur infidelis: non autem in foro conscientiæ, contra Caiet. *hic et q.* 12. *ar.* 1. quia verè ille non est infidelis: *& ita tenet Ant.* 3. *par. tit.* 12. *ca.* 5. *Silu. verf. hæresis* §. 9. 2. 2. *q.* 94. *art.* 1. *&* 2. *&* 3. *cont. gent. ca.* 120.

2. *Cur in prima ætate non fuit idololatria, nec in vltima?*

IN prima ætate non fuit idololatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. In sexta autem ætate idololatria fuit exclusa per virtutem, & doctrinam Christi, qui de diabolo triumphauit. *ead. q. art.* 4. *ad* 2.

QVÆSTIO LXXXVI.

De Diuinatione.

1. *Quomodo diuinatio est peccatum*

DIuinatio semper est peccatum, quia est indebita vsurpatio prænuntiationis futurorum euentuum, qui non possunt prænosci, nisi Deo reuelante, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt, quasi præsentia. Vnde dicitur Isai. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos* 2. 2. *q.* 95. *art.* 1.

2. *Quomodo diuinatio est species superstitionis?*

DIuinatio est species superstitionis, inquantum ex operatione dæmonum prouenit; vel quia expressè dæmones inuocantur ad futura manifestanda: & sic initur pactum, siue societas expressa cum dæmonibus. Vnde contra quosdam dicitur Isai. 24. *Dixisti percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*; vel qui dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate, de qua dicitur in Psal. 39. *Non respexit in vanitates, et insanias falsas.* Et sic cum dæmonibus initur so-

societas tacita. Quomodo autem dæmones futura prænoscant habetur 26. *q. 3. & 4. sciendum* 2. 2. *q.* 92. *art.* 2. *ad* 2. *& q.* 95. *art.* 2. *&* 4. *& q.* 96. *art.* 1. *ad* 3.

3. *Quot sunt species diuinationis?*

DVplex est genus diuinationis. Vnum est, in quo expressè inuocatur dęmon ad prenuntiandum futura, quod multipliciter contingit. 26. *q. 3. & 4. cap. igitur. & cap. nec mirum*. Quandoque quidem per fictas, & apparentes figuras & hæc species vocatur Præstigium. Quandoque per somnia, & hæc dicitur Diuinatio somniorum. Quandoque verò per mortuorum aliquorum apparitionem vel locutionem, & hæc vocatur Necromantia. Quandoque verò per homines viuos, & arrepticios, & hæc dicitur Diuinatio per Pythones. Quandoque autem per aliquas figuras, vel signa, quæ si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno, vel ferro, vel lapide, appellatur Geomantia. Si verò appareant in aqua, dicitur Hydromantia. Si in aere, Areomantia. Si in igne, Pyromantia. Si in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, Aruspicium. Alterum genus diuinationis est, in quo non inuocatur dæmon expressè, sed tacitè, puta cum aliquis ad præcognoscendum futura vtitur medijs, quæ ex se non habēt talem virtutem, & hoc diuiditur in duo genera. Vnū est circa dispositiones aliquarum rerum, quod multas habet species: nam si aliquis conatur futura prænoscere per situs, & motus astrorum, dicitur Astrologia. Si verò per voces animalium, vel auium, Augurium. Si per volatus auium, Auspicium. Si per verba hominis absque intentione prolata, Omen. Si per lineamenta manus, Chiromantia. Alterum genus est circa actiones humanas, quod dicitur Sortilegium, siue fiat per taxillorum proiectionem, quis plura puncta proijciat; siue per considerationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto; siue per schedulas scriptas, vel non scriptas in occulto repositas, dum consideratur, quam quis accipiat; siue per festucas inæquales propositas, quis maiorem vel minorem accipiat, & similia. 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. *& opusc.* 25. *cap.* 4. *& Quodl.* 12. *artic.* 36. *& 3. cont. gent. ca.* 154.

4. *Quando diuinatio, quæ fit ex consideratione astrorum, est illicita?*

SI quis consideratione astrorum vtatur ad precognoscendum per certitudinem futuros euentus casuales, vel fortuitos, aut etiam ad præcognoscendum per certitudinem humanos actus futuros, qui non ex necessitate causantur à cælestibus corporibus, diuinatio est illicita, quia sic operatio dæmonis se immiscet. Si verò aliquis vtatur consideratione astrorum, ad precognoscendum per certitudinem futuros euentus, qui ex necessitate, & semper causantur ex corporibus cælestibus, vt eclipses futuras; vel ad præcognoscendum, non quidem per certitudinem, sed per coniecturam futuros euentus, qui non

ex necessitate, & semper causantur ex corporibus cælestibus, sed vt in pluribus, puta pluuiam, tempestatem aeris, serenitatem, sanitatem, vel infirmitatem corporis; vbertatem, vel sterilitatem frugum, & similia, non est illicita diuinatio. 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. *&* 5. *& opusc.* 25. *cap.* 4. *& opusc.* 26.

5. *Quare Astrologi frequenter prænuntiant vera circa actus humanos?*

Astrologi ex consideratione astrorum frequenter vera prænuntiant circa actus humanos, quia corpora celestia inclinant ad humanos actus, inquantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, & inclinant ad humanos actus. Plures autem homines inclinationes corporales sequuntur: pauci verò, hoc est, sapientes, huiusmodi inclinationes ratione moderantur. *ead. q. art.* 5. *& ad* 2. *&* 3. *cont. gent. cap.* 154. *& opusc.* 25.

6. *Quando diuinatio, quæ fit per somnia, est illicita?*

Diuinatio, quæ fit per somnia nō est illicita, si procedant somnia ex causa naturali interiori, quæ est duplex: quædam animalis, inquantum ea occurrunt hominis phātasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando: quædam verò est corporalis, inquantum ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia conueniens tali dispositioni, sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrit in somnis, quod sit vel in aqua, vel in niue. Nec est illicita, si procedant somnia ex causa naturali exteriori, in quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione corporis cælestis. Nec si procedant ex diuina reuelatione, secundùm illud Num. 2. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Si autem huiusmodi diuinatio causetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur, vel tacita, quia ad hoc diuinatio non potest se extendere, est illicita, & superstitiosa *ead. q. art.* 6.

7. *Quando diuinatio per auguria, vel per omina est illicita?*

Diuinatio, quæ fit per auguria, non est illicita, si procedant ex naturali instinctu brutorum animalium, qui est causa operationum ipsorum, & huiusmodi instinctus causetur ex causa corporali, scilicet ex dispositionibus corporum cælestium, & aeris continentis ex quibus prouenium aliqui futuri euentus, & operationes huiusmodi animalium non extendantur nisi ad ea, quæ eorum vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluuias, & ventos, & alia huiusmodi: Vel si etiam huiusmodi instinctus causetur ex causa spirituali, scilicet Deo, *vt patet in columba super Christum descen-*

scendente, & in coruo, qui pauit Eliam, & in ceto, qui euomuit Ionam. Si autem hic instinctus causetur ex dæmonibus, qui vtuntur huiusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus, talis diuinatio est illicita. Diuinatio autem, quæ fit per omina, non potest causari ex dispositionibus corporum cælestium: quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine, his dispositionibus non subduntur: sed potest causari ex diuina prouidentia, & sic est licita; vel ex operatione dæmonum, & sic est illicita. *ead. q. ar. 7. & opusc. vbi sup.*

8. *Quando diuinatio sortium est illicita?*

Si sortium euentus expectetur ex dispositione cęlestium corporũ, sortes sunt illicitæ, quia actus hominum, qui requiruntur ad sortes, non subduntur huiusmodi dispositioni. Si verò sortium euentus expectetur ex fortuna, quod locum habere potest solum in diuisoria sorte, non videntur esse illicitæ, nisi ex leuitate fiant; sicut si aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint sortibus ad diuisionem vti. Si autem sortium iudicium expectetur ex dæmonibus, sortes sunt illicitæ, & secundùm Canones prohibentur. *26. q. 2. non statim & cap. non exemplo.* Si autem tale iudicium expectetur à Deo, secundùm se non sunt illicitæ; potest tamen in eis quadrupliciter peccatum accidere. Primò quidẽ si absque vlla necessitate ad sortes recurratur; hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. *d. cap.* non exemplo. Secundò, si quis etiam in necessitate absque reuerentia Dei sortibus vtatur. Tertiò, si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. Quartò, si aliqui sortibus vtantur in electionibus Ecclesiasticis, quæ Spiritus Sancti inspiratione fieri debent. *de sortil. cap. Ecclesia.* Secus autem est in temporalibus dignitatibus, in quarum electione plerumque homines sortibus vtuntur, sicut & in temporaliũ rerum diuisione. *ead. q. art. 8. & opusc. vbi sup. & Quodl. 12. ar. 36.*

QVÆSTIO LXXXVII.

De Obseruatione.

1. *Quare ars notoria est illicita?*

Ars notoria est illicita, quia vtitur quibusdam ad scientiam acquirendam sine labore, ad modum scientiæ infusæ, quæ non habent secundùm se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & alijs huiusmodi. Et ideo non vtitur his, vt causis, sed vt signis pertinentibus ad tacitam dæmonis inuocationem. *2. 2. q. 96. art. 1. & ad 3.*

2. *Quando obseruationes, ad corporum immutationem ordinatæ, sunt illicitæ?*

Obseruationes, quæ adhibentur ad aliquos particulares effectus causandos, sicut ad sanitatem, vel

vel ad aliquid huiusmodi si non videantur posse naturaliter tales effectus causare, sunt illicitæ; quia non adhibentur vt causæ sed vt signa: & sic pertinent ad tacitam dæmonis inuocationem, & per consequens tales effectus causantur per eius operationem sua naturali virtute. Potest enim dæmon sanare, vel adhibendo occulta medicamenta, vel intra corpus se immiscendo, & humores expellendo. *ead. q. art. 2. & ad 3. & 3. con. gent. cap. 105.*

3. Quare obseruationes, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia, sunt illicitæ?

OBseruationes, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia sunt illicitæ; quia huiusmodi obseruationes attenduntur non vt causæ, sed vt signa quædam futurorum euentum bonorum, vel malorum. *ead. q. art. 3.*

4. Quando suspendere diuina verba ad collum ad aliquos effectus, est illicitum?

SVspendere Diuina verba ad collum ad aliquos effectus, est illicitum. Primò quidem, si id, quod profertur, vel scribitur, est aliquid ad inuocationes dæmonum pertinens. Similiter si contineat ignota nomina, quia sub illis aliquid illicitum latere potest; vel si contineat aliquid falsitatis, quia sic eius effectus non posset expectari à Deo qui non est testis falsitatis. Secundò est illicitum, si cum verbis sacris contineantur aliqua vana, puta aliqui characteres inscripti, præter signum Crucis; aut si spes habeatur in modo scribendi, vel ligandi, vel in quacumque huiusmodi vanitate, quę ad Diuinam reuerentiam non pertineant. Suspendere autem Diuina verba ad collum sine aliqua additione suspectorum ex deuotione, non est illicitum. Vnde beata Cæcilia Euangelium Christi semper gerebat in pectore. *ead. q. art. 4. & Quodl. 12. art. 14.*

5. Quando proferre verba diuina ad aliquos effectus, est illicitum?

PRoferre diuina verba, sicut Pater noster, vel Aue Maria, vel inuocare Diuinum nomen ad aliquos effectus, puta ad sanandum infirmos, si respectus habeatur solùm ad Dei reuerentiam, à qua expectatur effectus, licitum erit: si verò habeatur respectus ad aliquid aliud vanum, quantùm scilicet ad determinationem temporis, vel loci, vel modi, vel numeri, erit illicitum. *26. q. 7. quis. ead. q. art. 4. ad 1.*

6. Quando portare reliquias Sanctorum est illicitum?

POrtare reliquias ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, non est illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas esset triangulare, vel aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad Dei reuerentiam, & Sanctorum,

esset superstitiosum. Semper autem huiusmodi obseruationes sunt peccata mortalia, nisi ignorantia, vel simplicitas excuset. *ead. q. art. 4. ad 3.*

7. Quando incantare animalia non est illicitum?

INcantare Serpentes, vel quæcumque alia animalia, si respectus habeatur solùm ad Sacra verba, & ad virtutem diuinam, non erit illicitum. Sed plerumque tales incantationes sortiuntur effectus per dæmones, & præcipuè in serpentibus, quia serpens fuit primum dæmonis instrumentum ad hominem decipiẽdum. *ead. q. art. 4. ad 2.*

8. Quomodo magi possunt diuersos effectus facere?

POssunt magi per operationem dæmonis diuersos effectus facere. Primò quidem secundùm rei veritatem, adhibendo dæmon semina, & omnes alias causas naturales, quæ in elementis mundi inueniuntur; cognoscit enim naturas omnium lapidum, herbarum, animalium, & rerum vniuersi, & vbi inueniantur. Vnde sæpe faciunt arborem nasci breuissimo tempore, vel fructus, vel animalia, sicut magi Pharaonis fecerunt veros serpentes & ranas, quæ per putrefactionem generari possunt. Secundò possunt magi facere diuersos effectus secundùm apparentiam, quod potest dupliciter contingere. Primò modo ab intrinseco, immutando dæmon imaginationem hominis, & etiam sensus corporeos, vt aliquid videatur aliter, quàm sit, sicut fit in somnio. Alio modo ab extrinseco, formando corpus cuiuscumque figuræ ex aere condensato, & ipsum offerendo sensibus, sicut etiam potest tale corpus assumere; Non possunt autem magi hæc facere sine pacto inito cum dæmone vt plurimum expresso. Vnde qui magos consulit, vel petit opera eorum, excommunicatus est, *cap. si quis etiam 26. q. 5. 3. par. q. 110. art. 4. ad 2. & q. 114. art. 4. ad 2. & 3. contra gent. cap. 106.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

De Periurio.

1 Quomodo incurritur periurium?

PEriurium primò & principaliter incurritur propter defectum veritatis, quod dicitur periurium simpliciter, quia falsitas opponitur directè fini iuramenti, qui est confirmatio dicti humani; per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quod ostenditur firmiter esse verum. Vnde periurium definitur esse mendacium iuramento firmatum. Secundariò autem incurritur periurium propter defectum iustitiæ, sicut si quis iurat se facturum aliquid illicitum. Sed si non impleat quod iurauit, in hoc periurium non incurrit; quia hoc sub iuramento cadere non poterat. Tertiò verò incurritur periurium propter defectum iudicij, sicut si quis iurat se non intraturum Religionem, vel facturum eleemosynam, vel aliquid huiusmodi. Et ideo si facit, quod melius est, non

est

est periurium, sed periurio contrarium. Et hæc duo dicuntur periuria secundùm quid, 2. 2. q. 98. art. 1. & 2. ad 1. & 2.

2. Quando periurium est peccatum mortale?

PEriurium simpliciter propter defectum veritatis ex sui ratione est peccatum mortale, etiam in materia leuissima, sicut iurare mendacium iocosum, vt per bullam Martini Quinti in Conc. Constant. statutū est: quia importat contemptum Dei, inquantùm periurans dat intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit. Periurium autem secundùm quid, quod est periurium ex defectu iustitiæ, vel iudicij, non est peccatum mortale ex sui ratione; non enim in periurio ex defectu iustitiæ, vt dicit Caiet. est ratio periurij, scilicet mendacium iuramento firmatum; sed veritas iniquitatis iuramento firmata: & ideo ratione periurij non est peccatum mortale: sed potest esse peccatum mortale ratione materiæ; sicut si quis iuret se commissurum peccatum mortale, puta homicidium, vel adulterium. Similiter periurium ex defectu iudicij ratione periurij, non est peccatum mortale, sed tantùm veniale ratione alicuius irreuerentiæ; sicut si quis iuret absque necessitate, & cautela debita, quia videtur paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui causa testem inducit; est etiam peccatum propter periculum iurandi falsum, secundùm illud. *Eccl. 23. Iurationi non assuescat os tuum. Vnde August. in lib. de mend. cap. 15. exponens illud Matt. 5. ego dico vobis: dicit, non iures omnino, neque per Cœlum, neque per terram sine necessitate, ne iurando ad facilitatem iurandi perueniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine, in periurium decidatur: & ideo non inuenitur Paulus iurasse, nisi scribens, vbi consideratio cautior non habet linguam præcipitem, 2. 2. q. 89. art. 2. & ad 1. & q. 98. art. 2. & ad 1. & art. 3.*

3. Quid si aliquis iocosè periurat, vel ex lapsu linguæ?

ILle, qui iocosè periurat, non excusatur à peccato mortali, quia non euitat diuinam irreuerentiam. Sed quantùm ad aliquid magis auget. Qui verò periurat ex lapsu linguæ, si aduertat se iurare, & falsum esse, quod iurat, non excusatur à peccato mortali, si autem hoc non aduertat, excusatur à crimine periurij, quia non videtur habere intentionem periurandi, nisi habeat habitum periurandi, secundùm Caiet. quia sic propter continuam consuetudinē periurandi, etiamsi non aduertat falsum esse, quod iurat, non excusatur à peccato periurij; est enim aduertentia concomitans periurium. Ita quod si aduerteret, nihilominus periuraret 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2.

4. Quando aliquis peccat iniunges iuramentum ei, qui periurat?

SI aliquis exigit iuramentum pro se ipso, tamquam persona priuata, & nescit eum iuraturum fal-

falsum, non peccat; tamen est humana tentatio, quia procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium esse verum dicturum, & hoc est iuramentum, de quo dicit Dominus Matt. 5. Quod amplius, est à malo est. Si autem scit eum fecisse contrarium eius, quod iurat, & cogit eum iurare, peccat mortaliter 2. 2. q. 5. qui. Si autem aliquis exigit iuramentum tamquam persona publica secundùm ordinem iuris, ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, siue sciat eum falsum iurare, siue verum; quia non videtur ille exigere, sed alius, ad cuius instantiam exigit *ead. q. art. 4.*

QVÆSTIO LXXXIX.

De Sacrilegio.

1. *Quando sacrilegium est speciale peccatum?*

SAcrilegium est speciale peccatum oppositum religioni, quia in sacrilegio inuenitur specialis ratio deformitatis, qua scilicet violatur res sacra per aliquam irreuerentiam 2. 2. *q. 99. art. 2.*

2. *Quæ sunt species sacrilegij?*

TRiplex est species sacrilegij. Prima quidem est, qua irreuerentia exhibetur personis sacris, id est diuino cultui dedicatis. Secunda est quà violantur loca sacra. Tertia, qua violantur res sacræ, quæ omnia habent diuersam rationem sanctitatis. Sunt autem in prima, & secunda specie diuersi gradus, secundùm diuersitatem personarum, & locorum sacrorum. Similiter tertia species diuersos habet gradus, secundùm differentiam rerum sacrarum, inter quas primum locum obtinent sacramenta, quorum præcipuum est Eucharistia. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur, grauissimum est inter omnia. Secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem, & ipse imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum, & Scriptura sacra, quam peruertere est peccatum sacrilegij. Post hęc sunt, quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum: deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, siue sint mobilia, siue immobilia. *ead. q. art. 1. 2. ad 1. & art. 3.*

QVÆSTIO LXXXX.

De Simonia.

1. *Quomodo simonia est peccatum?*

SImonia est actus malus ex suo genere, quia cadit super materiam indebitam; est enim studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Res autem spiritualis est indebita materia emptionis, & venditionis triplici ratione. Primò quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio comparari: & ideo Petrus simoniacam prauitatem condemnans dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam*

niam domum Dei existimasti pecunia possidere. Secundò, quia id non potest esse debita venditionis materia, cuius venditor non est dominus: Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus rerum spiritualium, sed dispensator, secundùm illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* Tertiò, quia res spirituales sunt dona Dei gratuita, secundùm illud *Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date.* Vnde simonia est grauissimum peccatum, ex hoc, quod irreuerenter se habet homo circa res sacras, in quo attingit peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ. Nomine autem emptionis, & venditionis, intelligitur omnis contractus non gratuitus, ita vt nec permutatio præbendarum, vel beneficiorum Ecclesiasticorum fieri possit auctoritate partium sine consensu Papæ; alioquin est simoniaca, *cap. quæsitum, de rerum permut. nisi fiat sub conditione saluo beneplacito S. Sedis Apostolicæ; & tunc permutatio, sicut & qualibet alia dispositio super beneficijs, quæ sine consensu Papæ fieri non potest, non est exequenda, donec beneplacitum impetretur, secundùm Nauar. cap. 23. nu. 108. talis enim executio inducit excommunicationem, per extrauag. cum detestabile; de sim. sicut & executio alienationum rerum Ecclesiasticarum cum hac clausula, vt patet in extrauag. ambitiosæ. de reb. Eccl. non licet quoad locationem vltra triennium alicubi non sit recepta, vt dicit Caiet. verb. excommunicatio. cap. 75. Silu. verb. alienatio 7. q. 13. Nauar. cap. 27. num. 150.* 2. 2. q. 100. art. 1. & ad 5. & 4. *sent. dist. 25. q. 3. art. 1. & ad 4. & art. 2. & Quodl. 5. art. 20. ad 2.*

2. *Quomodo Papa incurrit vitium simoniæ?*

PApa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo, non solùm recipiendo pro aliqua re spirituali pecuniam à laico non de bonis Ecclesiæ, sed etiam recipiendo pecuniam de redditibus alicuius Ecclesiæ; quia quamuis res Ecclesiæ sint eius, vt principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, vt domini, & possessoris. *ead. q. art. 1. ad 7. & 4. sent. vbi sup. art. 3. ad 2.*

Et loquitur de his, quæ sunt simoniaca de iure diuino; non autem de iure positiuo, vt vendere Castaldionatum, æconomiam, & alias temporales administrationes rerum Ecclesiasticarum, quod est simoniacum, non secundùm se, sed quia est prohibitum. 1. q. 3. Saluator.

3. *Quomodo accipere pecuniam pro sacramentis est simonia?*

ACcipere pecuniam, vel aliquid, quod pecunia æstimari potest pro spirituali sacramentorum gratia, quasi pretium rei spiritualis, est crimen simoniæ de iure naturali, & diuino. Et ideo nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præiudicat iuri naturali, vel diuino. Accipere autem aliquid pro sacramentorum administratione, non tamquam pretium mercedis, sed tamquam stipendium sustentationis secundùm ordinationem Ecclesiæ,

& consuetudines approbatas, non est simonia, si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis obseruantiam, & ab inuito non exigatur, quia vt dicitur *Matth.* 10. *Dignus est operarius cibo suo. Vnde super illud* 1. *ad Tim.* 5. *Qui bene præsunt præsbyteri* (*dicit Aug.*) *accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. ead. q. art.* 2. *& ad* 2. *&* 4. *&* 4. *sent. vbi supra art.* 2.

Ex his colligitur generalis regula, quod si pro re spirituali datur pecunia, vel aliquid pecunia æstimabile, tamquam pretium rei spiritualis, est simonia. Si autem dat illud non vt pretium sed per modum sustentationis ipsis ministris rerum spiritualium, vel per modum eleemosynæ, vel per modum oblationis, quæ fit Deo in suo ministro, vel per modum gratuitæ donationis, vel gratitudinis, non est simonia.

4. *Quid si sacerdos non vellet absque pretio baptizare in casu necessitatis?*

SI sacerdos absque pretio baptizare non vellet puerum morientem, ille, qui gerit curam pueri, vel quilibet alius, potest eum baptizare, quia nullo modo est peccandum: & ideo in tali casu pro eodem est habendum, ac si non esset qui baptizaret. Si autem esset adultus, qui in periculo mortis constitutus, desideraret baptismum, nec sacerdos vellet eum sine pretio baptizare, & peteret pretium pro sola collatione baptismi, & non posset ad alium habere recursum, deberet potius absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset. *ead. qu. art.* 2. *ad* 1. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *ad* 3.

5. *Quomodo dare pecuniam pro matrimonio est simonia?*

DAre pecuniam pro matrimonio, in quantum est naturæ officiũ, est licitum, sed inquantum est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum: & ideo secundùm iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur. *cap. suam de sim. ead. q. art.* 2. *ad* 6. *&* 4. *sent. vbi sup. ar.* 2. *ad* 2.

6. *Quomodo dare, vel accipere pecuniam pro spiritualibus actibus est simoniacum?*

DAre, vel accipere aliquid pro spiritualibus actibus, qui ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt, quasi pretium rei spiritualis, est simoniacum. Sed accipere, aut dare aliquid pro huiusmodi actibus, quasi stipendium sustentationis secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, est licitum, ita tamen, quod desit intentio emptionis, vel venditionis, & quod ab inuitis non exigantur per spiritualiũ substractionem, quæ sunt exhibenda; hoc enim habet quandam venditionis speciem: sed spiritualibus gratis prius exhibitis, licitè possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alij prouentus exigi à no-

nolentibus, & valentibus soluere, auctoritate superioris interueniente, *ea. Apostolicam. de sim.* Et sic dare temporalia, vel accipere pro celebratione Missæ, pro absolutione, vel prædicatione, vel pro diuinis laudibus in celebratione diuini officij, siue pro viuis, siue pro defunctis, vel pro processionibus faciendis in aliquo funere, absque aliquo pacto, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium, est licitum. Si autem hæc pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simonia esset. Vnde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum impediretur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non excluderetur via alijs exibendi. Dare etiam eleemosynam pauperibus pro oratione, non cum intentione emptionis, sed ad prouocandum animos pauperum, vt ex charitate orēt, est licitum. Est etiam licitum pro absolutione pecuniam exigere quasi pœnam peccati, quia ei, qui absoluitur, imponitur pecuniaria pœna, in quo tamen cauendum est, ne talis taxatio magis cupiditati, quam corruptioni adscribatur. Pro celebratione etiam Missæ, vel diuini officij, vel prædicatione in tali loco, in tali hora, toties in hebdomada, vel pro labore itineris ad celebrandum, vel prædicandum in tali loco licitum est exigere pretium mercedis, secundùm Caietanum; quia huiusmodi obligatio, vel labor est pretio æstimabilis. Pro labore verò, qui per se coniunctus est cum ipsa re spirituali, scilicet celebratione Missæ, vel diuini officij, vel prædicatione, non est licitum exigere, vel accipere pretium mercedis absque simonia, quia ille labor non distinguitur ab ipsa re spirituali. Accipere etiam temporale pro actu spirituali, si habet vnde viuere possit absque pacto, & intentione vendendi spirituale, secundùm Siluest. ver. simonia q. 3. non est simonia, sed auaritia *eadem. q. art.* 2. *ad* 2. *& art.* 3. *& ad* 2. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *ad* 4. *&* 6. *& q.* 1. *ad* 1. 2. *&* 5. *& Quodl.* 2. *art.* 12.

7. *Quando dicere horas canonicas propter lucrum distributionum est simonia?*

QVi vadit ad Ecclesiam, vt dicat horas canonicas principaliter propter lucrum distributionum quotidianarum quasi pretium, simoniam committit. Si autem eas dicat propter diuinum cultum principaliter; secundario verò propter huiusmodi lucrum, tamquā stipendium sustentationis, non est simonia; sic enim acceptio distributionū non erit causa, quare ad Ecclesiā vadat, sed propriè huiusmodi determinatio, quare tūc vadat, & non alia vice, *quodl.* 8. *art.* 11.

8. *Quomodo aliquid accipere pro vsu spiritualis potestatis est simoniacum?*

NOn est licitum Prælato pro vsu spi-

spiritualis potestatis aliquid accipere, sicut pro dispensatione, vel correctione, vel per hoc, quod vices suas committat, vel à censuris absoluat. *de sim. cap. consulere & cap. 1. ne Prel. vic. su. & statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 2.* quia ex officio obligatur ad vsum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione, & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex redditibus Ecclesiæ: & ideo si aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, intelligeretur vendere ipsũ spiritualis potestatis vsum. Licet tamen accipere procurationes, quando subditos visitat, non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 3.

9. *Quando pro vsu scientiæ aliquid accipere est simoniacum?*

NOn est licitum ei, qui ex officio tenetur alijs vsum scientiæ impendere, aliquid accipere, quia intelligeretur ipsam scientiam vendere, sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesijs ad docendum clericos, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt, *c.* 1. *de magist.* & ideo non possunt ab eis aliquid recipere, nec ad hoc, quod doceant, nec ad hoc, quod aliqua festa faciant, vel prætermittant. Ille autem, qui ex officio non obligatur alijs vsum scientiæ impendere, licitè potest pretium suæ doctrinæ, vel consilij accipere, non quasi veritatem aut scientiam vẽdens, sed quasi operas suas locans. Si autem venderet scientiam, quæ spiritualis est, simoniam committeret. Similiter si iudex spiritualis venderet verum iudicium *ead. qu. art. 3. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. & ad 9. & Quodl. 8. art. 11.*

10. *Quomodo accipere aliquid pro ingressu monasterij est simoniacum?*

NOn est licitum aliquid exigere, vel ex pacto accipere pro ingressu monasterij, sed pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas. *Et sic secundùm Caiet. quando taxatus est numerus monialium, & non possunt plures recipi sine grauamine monasterij, licitè potest statui, quod supra talem numerum nulla recipiatur, nisi quæ releuamen grauaminis afferret, puta mille aureos, quia hoc non esset pro ingressu exigere, sed pro sustentatione.* Si autem sine grauamine monasterij potest recipi, simoniacum est aliquid exigere 1. *q.* 2. quam pio. & in extrau. 1. de sim. excommunicantur dantes & recipientes aliquid ex pacto pro ingressu monasterij. *Hanc tamen censuram Martinus Quintus declarauit non incurrere moniales pro dotibus, pastibus, & alijs, quæ dantur pro ingressu monasterij, vt refert Anton. 3. p. tit. 24. cap. 67. & tenet Silu. ver. simonia §. 16. in fine & Nau. c. 27. n. 106. Gratis autem dare: & accipere aliquid pro ingressu monasterij, non est simonia. ead. q. art. 3. ad 4. & 4. sent. vbi sup. q. 1. ad 7.*

11. *Quando spirituale dare pro munere à manu, vel à lingua, vel obsequio, est simoniacum?*

DAre spirituale pro munere à manu principaliter, est simoni-

niacum, nisi sit paruum munus, in quo non committitur simonia, quoad Ecclesiam, quia non est probabile, quod animus dantis spirituale, flectatur pro paruo munere. *de sim. cap. & si quæstiones*. Sed committitur simonia, quoad Deum, qui cor videt, si eius animus pro hoc moueatur. Similiter dare spirituale pro munere à lingua, quod est fauor humanus, qui est pretio estimabilis, est simoniacum, si fauor principaliter intendatur, quod contingit, si preces sunt pro indigno; quia qui preces pro indigno porrectas exaudit, videtur principaliter intendere fauorem humanum; sicut si aliquis det indigno beneficium Ecclesiasticum, & ad hoc fauore precum principaliter moueatur. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non potest esse simoniacum, nisi in intentione; si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad fauorem humanum principaliter. Dare etiam spirituale, puta beneficium, pro munere ab obsequio principaliter, quod est seruitium corporale exhibitum, vel exhibendum ad carnalia ordinatum, scilicet ad vtilitatem Prælati, vel consanguineorum suorum, est simoniacum: non autem si intentio non habeatur ad obsequium principaliter, sed ad dignitatem personæ, vel ad gratitudinem obsequij, soluta debita mercede. Similiter non est simoniacum, si obsequium, ad spiritualia ordinetur, puta ad Ecclesiæ vtilitatem, vel ministrorum eius auxilium, quia tunc ex ipsa deuotione obsequij homo redditur dignus Ecclesiastico beneficio. Quod autem dictum est de munere à manu, lingua & obsequio, habetur. 1. q. 1. *sunt nonnulli. ead. q. art. 5. & ad 1. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3. & ad 2. 3. & 4.*

12. Quando vendere spiritualibus annexa est simoniacum?

VEndere spiritualibus annexa, inquantum dependent ex spiritualibus, nullo modo est licitum, quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subiici, sicut est beneficium Ecclesiasticum, quod non competit nisi habenti officium clericale, *cap. si quis obiecerit. 1. q. 3.* Vendere autem spiritualibus annexa inquantum ad spiritualia, ordinantur, que tempore præcedunt spiritualia, est licitum, & sic decimæ, quæ ordinantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, possunt laicis concedi quantum ad temporalia, scilicet fructum, *de locat. cap. vestra* sed non possunt eis dari quantum ad id, quod est spirituale, scilicet ius decimarum, quod solis clericis competit. Vasa etiam sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum vsum, possunt vendi ratione materiæ auri, & argenti pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum, dummodo præmissa oratione confringantur, quia post confractionem non intelliguntur esse vasa sacra, sed purum metallum. Non autem possunt vendi ratione consecrationis, vt scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur. Similiter sepultura potest vendi ratione materiæ, scilicet terræ, pro necessitate Ecclesiæ, non autem ratione consecrationis, vt scilicet in le-

loco sacro aliquis pro pecunia sepeliatur. *cap. abolendæ. de sepul. & 13. qu. 2. præcipiendum*, debetur tamen canonica portio Ecclesiæ parochiali, in qua defunctus, dum viuebat, Ecclesiastica sacramenta percipiebat secundum rationabilem consuetudinem loci. *cap. 1. & cap. certificari de sepul. & decreuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. de refor.* Ius autem patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad Ecclesiastica beneficia, per se non potest vendi, sed transit cum vniuersitate in venditione villæ. *de iur. patr. cap. cum sæculum. & cap. de iure 2. 2. q. 87. art. 3. & q. 100. art. 4. & ad 1. 2. & 3. & 4. sent. vbi sup. art. 2. quæst. 2. ad 1. 2. 3. & 4. & in expositione l.*

Vnde non est recipienda opinio Nauar. cap. 23. n. 108. quod potest Papa absque peccato ex iusta causa vendere beneficia Ecclesiastica, quo ad partem temporalem, quam, vt dicit, sua auctoritate potest a spiritualibus separare, sicut potest vendere vestes, & vasa sacra, quo ad partem temporalem.

13. *Quare licitum est officia temporalia vendere etiam si sint spiritualibus annexa?*

Officia temporalia vendere licitum est Principibus, quia in temporalibus officijs non committitur nisi temporalis potestas, dummodo talibus vendantur, de quibus præsumi possit, quod sint vtiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur, quod recuperari non possit sine grauamine subditorum. Nec talia officia vendere, est simoniacum si sint spiritualibus annexa, puta si in eis datur potestas excommunicandi, suspendendi, interdicendi, & huiusmodi; quia in temporalibus officijs principaliter committitur temporalis potestas, & in eius executionem datur potestas spiritualis. Hæc tamen venditio non videtur expediens, quia vt plurimũ est perniciosa Reipublicæ, cum illi frequenter officia suscipiant, qui sunt ambitiosi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile est subditos opprimere. Vnde magis videtur expediens, vt bonos homines, & idoneos ad suscipiendum officia eligãt, quos etiam inuitos si necesse fuerit, compellant, & hoc consilium dedit Moysi eius cognatus: *Prouide*, *inquit*, *de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit charitas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore? De regim. Iud. opusc. 21.*

14. *Quando simoniacum est pecuniam aduersario dare pro beneficio Ecclesiastico?*

Antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel collationem, simoniacum esset aduersario pecuniam dare, vt desisteret; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui acquisitum est, potest aduersario pecuniam dare, non

non vt pretium prælationis, vel præbendæ, sed quasi redemptionem vexationis propriæ, *cap. dilectus. de sim. ead. q. art. 2. ad 5. & 4. sent. vbi sup. art. 2. ad 7.*

15. *Quando simoniacum est, beneficium Ecclesiasticum propter consanguinitatem conferre?*

Ille, qui præbendam alicui confert propter consanguinitatem principaliter, si intendat temporale bonum illius, cui datur, grauiter peccat, sed simoniam non committit, quia non vendit, cum nihil accipiat. Si autem intendat aliquid bonum in seipsum redundans, sicut quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit potentior, simoniam committit. Similiter etiam, si dat beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, vt exinde suis consanguineis prouideat, est manifesta simonia. *ead. q. art. 5. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 3. ad 7. & Quodl. 5. art. 23.*

16. *Quando aliquid accipere de fructibus beneficij conferendi est simonia?*

Licet Episcopo antequam beneficium alicui conferat, aliquid subtrahere de fructibus beneficij conferendi, & in pios vsus, conuertere. Sed si ab eo, cui beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem est hac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ. *ead. q. art. 4. ad 3. & 4 sentent. vbi sup. art. 3. ad 9.*

17. *Quæ est conueniens pœna simoniaci?*

Poena conueniens simoniaci est vt non possit retinere id, quod per simoniam acquisiuit, quia retinet illud contra voluntatem Domini, qui ordinauit, vt spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. 10. *gratis accipistis, gratis date.* Nullus autem potest licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisiuit. Insuper simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, alijs pœnis puniuntur, scilicet infamia, & depositione, si sint clerici, & excommunicatione, si sint laici, vt habetur 1. q. 1. si quis Episcopus, & in extrauag. cum detestabile. *de sim. ead. q. art. 6.*

Est autem aduertendum secundùm Caiet. quem sequitur Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 8. art. 1. quod aliquis propter simonaim conuentionalem tacitam, vel expressam non incurrit pœnam simoniaci si ex neutra parte fuit secuta, vt scilicet non sit datum pretium conuentum, nec spirituale, puta beneficium. Similiter si sit datum pretium, sed non beneficium, obligat tamen ad restitutionem pretij, quod reddi debet illi, qui dedit, quia non plenè ab eo abdicatum intelligitur pendente consummatione contractus simoniacæ emptionis, & venditionis Si autem sit datum beneficium, & non pretium, quidquid dicat Nauar. incurritur poena simoniaci, & patet cap. cum essent de vot. & cap. cum super. de cons.

conf. vbi Papa damnauit simonia quendam, qui vendidit alterius electionem quingentis aureis promissis, & non datis. In simonia autem reali certum est poenam incurri, cum scilicet ex vtraque parte est secuta.

18. *Quomodò beneficium simoniacè acceptum, est resignandum?*

SI aliquis scienter, & propria sponte simoniacè accepit beneficium Ecclesiasticum, tenetur resignare beneficium cum fructibus, non solùm perceptis, sed ijs qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum, & exceptis fructibus illis, qui aliàs expensi sunt in vtilitatem Ecclesiæ: si verò eo nesciente, nec volente, per alios sibi beneficium simoniacè fuerit procuratum, tenetur resignare beneficium cum fructibus extantibus, cap. ex insinuat. de sim. nisi ipse expresè contradixerit, vel postmodum pacto non consenserit, soluendo, quod fuit promissum; non tenetur autem restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit. *ead. q. art. 6. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 2.*

19. *Cui restitui debent fructus beneficij simoniacè accepti?*

FRuctus beneficij simoniacè accepti debent restitui Ecclesiæ, in cuius iniuriam dati fuerunt, non obstante, quod Prælatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa, quia eorum peccatum non debet alijs nocere; ita tamen, quod quantùm fieri potest, ipsi, qui peccarunt, inde commodum non consequantur. Si verò Prelatus, & totum collegium sunt in culpa, tunc debent cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari. *2. 2. q. 32. art. 7. & q. 100. art. 6. ad 4.*

20. *Quid de eo, qui recipit, vel confert ordinem simoniacè?*

SI aliquis recipit Ordinem simoniacè, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem. *1. q. 1. cap.* si quis Episcopus. *& cap.* gratiam, quia quasi furtiuè suscepit characterem contra principalis domini voluntatem: & ideo ipso iure est suspensus, & quoad se, vt scilicet careat ordinis executione, & quoad alios, vt scilicet nullus ei communicet in ordinis executione, siue sit peccatum eius publicum, siue occultum. Si verò sit simoniacus, quia contulit ordinem simoniacè, si est publicum, ipso iure est suspensus, & quoad se, & quoad alios; sed si est occultum, est suspensus quoad se tantùm. *2. 2. q. 100. ar. 5. ad 1. & 2. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 2.*

21. *Quid de ijs, qui sunt in monasterio simoniacè recepti?*

SI aliqui sunt monasterio simoniacè recepti, ipsis scientibus, debent renuntiare, & sine spe restitu-

cutionis de monasterio sunt repellendi, & ad agendam perpetuam pœnitentiam sunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco eiusdem ordinis, si arctior ordo non inueniretur. Et si hoc fieri non potest, per dispensationem sunt in eisdem monasterijs recipiendi, ne in sæculo euagentur, mutatis tamen prioribus locis, & inferioribus assignatis. Si verò ipsis ignorantibus sunt simoniacè recepti, postquam renuntiauerint, possunt denuo recipi locis mutatis, *vt dictum est. cap. quoniam de sim. ead. q. art. 6. ad 5.*

22. *Cur simoniacus mentalis non incurrit pœnam exteriorem?*

SImoniacus mentalis, qui habet voluntatem emendi, vel vendendi rem spiritualem, quoad Deum simoniam committit, sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur, vt simoniacus, vt abrenuntiare teneatur, quæ simoniacè acquisiuit, siue sint spiritualia, siue temporalia, sed debet de mala intentione pœnitere. Et habetur de simonia cap. de mandato, & rationem assignat Caietanus, quia quod datur simoniaco mentali, datur voluntariè; datur enim animo emendi, vel vendendi: constat autem quod tam emere, quàm vendere, sunt contractus voluntarij. Et in hoc differt ab vsurario mentali, qui ad restitutionem tenetur, quia dans vsurario mentali dat inuoluntariè, vt redimat vexationem suam. *ead. q. art. 6. ad 6. & 4. sent. vbi sup. art. 1. ad 1. Ex quibus patet, opinionem Soti lib. 9. de iust. & iur. q. 8. art. 1. non esse tenendam quod simonia etiam mentalis obligat ad restitutionem, cum Auctor hic expressè contrarium sentiat, & est textus irrefragabilis in dicto c. de mãdato, & tenent Nauar. cap. 23. nu. 103. Nec est verum quod dicit, quod obligat ad restitutionem de iure diuino, quia vt dicit Auctor, restitutio est pœna simoniaci Ecclesiastica, iuxta dictum cap. Et ideo Papa non incurrit pœnam cõtra simoniacos statutam, & potest facere, ne alius eam incurrat, quia talis pœna est inducta iure humano, cui ipse non subditur, & potest alios eximere.*

23. *Cum quibus simoniacis potest Papa dispensare?*

SOlus Papa potest dispensare cum eo, qui scienter beneficium, vel Ordinem simoniacè accepit. In alijs autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen, quod prius abrenuntiet, quod simoniacè acquisiuit, & tunc dispensationem consequatur, vel paruam, vt habeat communionem cum laicis; vel magnam, vt post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat; vel maiorem, vt remaneat in eadem Ecclesia, sed in minoribus Ordinibus; vel maximam, vt in eadem Ecclesia etiam maiores Ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. *ead. q. art. 6. ad 7. Nunc autem per extrauagantem, cum detestabile. de sim. in nullo casu licet Episcopo cum simoniaco dispensare, ex quo omnis simoniacus excommunicationem incurrit, à qua solus Papa potest absoluere.*

QV-

QVÆSTIO XCI.

De Pietate.

Quomodo ad pietatem pertinet honorē exhibere parentibus, & patriæ?

EX pietate parentibus, & patriæ per se debetur reuerentia, siue honor, inquantum sunt principia nostri esse, & gubernationis, à quibus, & in qua nati, & nutriti sumus. In reuerentia autem parentum includitur omnium consanguineorum reuerentia; & in reuerentia patriæ intelligitur reuerentia omnium conciuium, & omnium patriæ amicorum. Per accidens autem parentibus, & patriæ ex pietate debetur subuentio ratione alicuius instantis necessitatis, puta si sint infirmi, quod visitentur, & eorum curationi intendatur, & si sint pauperes, sustententur. 2.2.q.101.art.1.& 2.

QVÆSTIO XCII.

De Obseruantia.

1. *Quomodo honor exhibendus est ei, qui est in dignitate constitutus?*

DEbet subditus honorem exhibere ei, qui est in dignitate constitutus, ex debito legali, ratione excellentię, quia honor est quædam recognitio excellentiæ alicuius. Ratione autem officij gubernationis debet ei exhibere cultum, qui quodam obsequio consistit, dum scilicet eius imperio obedit, & vicem beneficijs eius pro suo modo rependit: ex debito autem morali etiam non subditus debet ei honorem & cultum exhibere. 2.2.q.102.art.2.& ad 2.

2. *Quare ei, qui est in dignitate constitutus, debetur honor, etiam si sit malus?*

ILle, qui est in dignitate constitutus, est honorandus, etiam si sit malus, non ratione suæ personæ, quia cum honor sit reuerentia alicui exibita in testimonium virtutis, falsum testimonium aliquis de eo proferret, si eum respectu propriæ personæ honoraret, sed est honorandus inquantum gerit vicem alterius, scilicet Christi in Ecclesia, vel Reipublicæ, vt dominus in sæcularibus dignitatibus. Vnde comparatur idolo, secundùm illud Zach. 2. *o pastor, & idolum, derelinquens gregem!* quia ei non exhibetur honor secundùm se, sed vt gerit vicem alterius. *Quodl. 8. art. 7.*

3. *Quare Principibus debentur pedagia?*

PEdagia, quæ sunt soluenda, vel pro transitu solùm personæ, vel pro rebus, quas defert, non tamen in proprios vsus, iura Principibus permittunt ratione officij gubernationis ipsorum, vt viæ in sua communitate sint liberæ, & transeuntibus securæ, vel ob aliam communem vtilitatem, caput super quibusdam. *de verb. signif. & l. vniuersi. C. de vectig.* Et ideo officiales Principum meritò ipsa possunt exigere, & proficiscentes tenentur soluere, *alioquin mortaliter peccant, & tenentur*

tur ad restitutionem, vt communiter tenent Doctores. Si autem sine fraude aliquis merces suas defert, ita scilicet, vt eas non abscondat, nec alio dolo vtatur, paratus soluere pedagium, siue gabellam, nec ab eo exigatur, non tenetur ad restitutionem, quod moderandum est, quando consuetudo est eam à custodibus exigendi ita habet Tab. ver. pedagium. §. 8. & Sot. lib. 3. de iust. & iur. in fine. Principes autem, qui pedagia possunt imponere, sunt Imperator, Rex, & Concilium generale, vt patet d. cap. super quibusdam. Sub Rege intelliguntur Duces Italiæ, qui mistum habent imperium, hoc est in temporalibus nulli subijciuntur; sicut Dux Venetorum, Florentiæ, Mantuæ, & similes. Sub Concilio generali comprehenditur Papa. lib. 2. de regim. princ. opusc. 20. cap. 12.

QVÆSTIO XCIII.

De Obedientia.

Quomodo homo tenetur Deo, & superioribus obedire?

TEnetur homo Deo in omnibus obedire, quia ei subijcitur quantùm ad omnia, & interiora, & exteriora. Superioribus autem tenetur obedire in omnibus, in quibus eis subijcitur, sicut miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum; seruus domino in his, quæ pertinent ad seruilia opera; filius patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam, & sic de alijs. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. & *ad* 2.

QVÆSTIO XCIV.

De Inobedientia.

Quando inobedientia est peccatum mortale?

INobedientia est peccatum mortale, non solùm quando aliquis inobediens est diuinis præceptis, qui a contrariatur diuinæ dilectioni, sed etiam quando est inobediens præceptis superiorum propter præcepti contemptum, quia contrariatur, tùm diuinæ dilectioni, in quantum in præceptis diuinis continetur, quod etiam superioribus obediatur, secundùm illud ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; tùm etiam dilectioni proximi, in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet. Cum autem facit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud est inobedientia materialiter tantùm, & sic non est peccatum mortale, sed veniale. 2. 2. *q.* 105. *ar.* 1. & *ad* 1.

QVÆSTIO XCV.

De Gratitudine.

Quomodo homo tenetur benefactori beneficium recompensare?

HOmo tenetur benefactori beneficium recompensare secundùm modum vtriusque; si enim benefactor in felicitate sit, potest fieri recompensatio reuerentiæ, & honoris;

noris; si verò indigeat, debet fieri subuentionis recompensatio. Si autem, qui beneficium suscepit, sit pauper, non est ingratus, si faciat, quod potest, quia recompensatio magis in affectu quàm in effectu consistit 2. 2. q. 106. art. 3. & ad 5.

QVÆSTIO XCVI.

De Ingratitudine.

1. *Quando ingratitudo est speciale peccatum?*

INgratitudo est speciale peccatum oppositum gratitudini: & ideo sicut gratitudo habet distinctos gradus, quorum Primus est, quod homo beneficium recognoscat; Secundus, quod gratias agat; Tertius, quod retribuat pro loco, & tempore secundùm suam facultatem, sic distincti sunt gradus ingratitudinis secundùm omissioné, & commissionem ipsius. Primus quidem gradus omissionis ingratitudinis est, quod homo beneficium non retribuat. Secundus est, quod dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse. Tertius est, quod non recognoscat, siue per obliuionem, siue quocumque alio modo. Primus autem gradus commissionis ingratitudinis est, quod homo retribuat mala pro bonis. Secundus, quod beneficium vituperet. Tertius, quod beneficium quasi maleficium reputet. Propter hæc tamen non sunt ingrato beneficia subtrahenda, tùm quia frequenter aliquis, qui non reddidit, gratus est, quia fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi; tùm quia beneficus debet attendere ad hoc, quod de ingrato gratum faciat, quia si primo beneficio non satisfecit, fortè satisfeciet secundò. Si autem ex beneficijs multiplicatis ingratitudinem augeat, & peior fiat, debet à beneficiorum exhibitione cessare. 2.2.q. 107. art. 1. 2. 3. & 4. & 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 2.

2. *Quando ingratitudo est peccatum mortale?*

INgratitudo formaliter propter interiorem contemptum beneficij est peccatum mortale, & hæc habet perfectam ingratitudinis rationem. *ead. q. art. 3. ad 1. & art. 3.*

QVÆSTIO XCVII.

De Veritate.

In quo virtus veritatis consistit?

AD virtutem veritatis pertinet, vt aliquis & vita, & sermone talem se demonstret, qualis est: si autem in minùs à veritate declinet, dicendo minùs de se ipso, non facit præiudicium veritati; sicut cum aliquis non manifestat totum bonum, quod in seipso est, puta scientiam, vel sanctitatem, vel aliquid huiusmodi. Sed si in minùs declinaret negando sibi inesse, quod inest hoc veritati repugnaret, quia per hoc incurreret falsum. 2.2.q.109. art. 1. ad 3. & art. 4.

QVÆ-

QVÆSTIO XCVIII.

De Mendacio.

1. In quo consistit formalis ratio mendacij?

MEndacium formaliter est, cum aliquis dicit falsum, habens intentionem falsum dicendi. Si autem aliquis falsum dicat, credens id esse verum, est mendacium materialiter: vnde non habet perfectam rationem mendacij 2. 2. q. 100. art. 1. & 3. sent. dist. 38. art. 1.

2. Quomodo mendacium diuiditur in officiosum, iocosum, & perniciosum?

MEndacium, vt habet rationem culpæ, diuiditur secundùm ea, quæ aggrauant, vel diminuunt culpã mendacij ratione finis intenti: aggrauatur autem culpa mendacij, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum. Diminuitur verò, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile: & sic est mendacium iocosum; vel vtile, & sic est mendacium officiosum. ead. q. art. 2.

3. Quomodo mendacium est peccatum?

MEndacium est malum ex suo genere, quia est actus cadens super indebitã materiam: cum enim ea, que sunt in voce, sint signa eorum, quæ sunt in anima, indebitum est, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente. ead. q. ar. 3. & 3. sent. vbi sup. art. 3. & Quodl. 8. art. 14.

4. Quando mendacium est peccatum mortale?

MEndacium est peccatum mortale, si contrarietur charitati. Potest autem mendacium contrariari charitati tripliciter: Primò quidem secundùm se ex ipsa falsa significatione, quæ, si sit circa res diuinas, contrariatur charitati Dei cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit. Si verò falsa significatio sit circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta, quæ pertinet ad perfectionem scientiæ, & informationem morum, tale mendacium inquantum infert damnum falsæ opinionis proximo, contrariatur charitati proximi. Secundò mendacium contrariatur charitati ratione finis intenti, inquantũ dicitur, aut in iniuriam Dei, aut in proximi nocumentum, quantùm ad personam, diuitias, vel famam, & sic mendacium perniciosum, est peccatum mortale. Si autem dicatur non animo nocendi, non est peccatum mortale, nisi fortè per accidens ratione materie, vel quia in doctrina fidei mentitur, vel quia notabiliter aliquis læditur. Mendacium autem iocosum, in quo intenditur aliqua leuis delectatio non est peccatum mortale, nec mendacium officiosum, quo intenditur etiam vtilitas proximi. Tertiò mendacium potest contrariari charitati per accidens ratione scandali, vel cuiuscumque damni

consequentis, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publicè mentiri. *ead. q. art. 4. & ad 5. & 3. sent. vbi sup. art. 4.*

QVÆSTIO XCIX.

De Hypocrisi.

1. *Quomodo hypocrisis est peccatum?*

OMnis hypocrisis, siue simulatio, est peccatum, quia est mendacium quoddam, consistens in signis exteriorum factorum. Omne autem mendacium est peccatum, vt dictum est. 2. 2. *q.* 111. *art.* 1.

2. *Quando hypocrisis est peccatum mortale?*

SI hypocrita dicatur ille, qui non curat sanctitatem habere, & intendit ipsam simulare, sic hypocrisis est peccatum mortale: nullus enim totaliter priuatur sanctitate, nisi per peccatum mortale. Si autem dicatur hypocrita ille, qui solùm intendit simulare sanctitatem, à qua deficit per peccatum mortale; tunc hypocrisis potest esse peccatum mortale ratione finis intenti, si contrarietur charitati, puta cum aliquis simulat sanctitatem in nocumentum fidei, vel Ecclesiæ, vt scilicet falsam doctrina disseminet, vel vt adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus; vel si simulat sanctitatem in nocumentum alterius personæ, vt scilicet alium defraudet re, quam habet, vel debet habere. Si verò finis intentus non contrarietur charitati, erit peccatum veniale; puta cum aliquis in ipsa simulatione delectatur. *ead. q. ar. 4. & 4. sent. dist. 16. q. 4. ar. 1. q. 2.*

QVESTIO C.

De Iactantia.

1. *Quæ propriè dicitur iactantia?*

IActantia propriè dicta est, quando aliquis per verba se extollit, loquens de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem: & sic opponitur veritati per modum excessus. Quamuis etiam iactantia dici possit, quando aliquis de se loquitur supra id, quod est in opinione aliorum, quod Apost. refugiens dicit 2. *ad Corinth.* 12. *Parco, ne quis existimet me supra id, quod videt, aut audit aliquid ex me.* 2. 2. *quæst.* 112. *art.* 1.

2. *Quando iactantia est peccatum mortale?*

IActantia secundùm se prout est mendacium quoddam, est peccatum mortale. Primò quidem, quando aliquis iactanter de se profert quod est contra gloriam Dei, sicut ex persona Regis Tyri dicitur Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum*; vel etiam contra charitatem proximi, sicut cum aliquis iactando seipsum prorumpit in contumelias aliorum, vt dicitur *Luc.* 18. *de Pharisæo. Non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, veluti hic Publicanus.* Secundò, cum homo se iactat ob aliquem finem

nem; qui sit peccatum mortale. Tertiò quando se iactat de peccato mortali, sic vt de adulterio, homicidio, & huiusmodi. Quartò, cum sequitur notabile nocumentum proximi, sicut cum aliquis se iactat doctorem vel medicum, & ex hoc disseminat falsam doctrinam, vel pecuniam exhaurit, vel corpora lædit. Si autem aliquis se iactet, quasi ex hoc delectatus, est peccatum veniale, nisi in hoc poneret vltimum finem, vt propter hoc Dei præcepta contemneret. *ead. q. art.* 2. *& ad* 3.

QVÆSTIO CI.

De Ironia.

Quomodo ironia est peccatum?

IRonia semper est peccatum, quia per ironiam aliquis minora de se dicit, à veritate declinans; sicut cum asserit de se aliquod vile, quod in se non recognoscit; aut cum negat de se aliquod magnum, quod tamen in se esse percipit. Et sic ironia est quoddam mendacium, quod opponitur veritati per modum defectus. Si autem aliquis minora de seipso dicat, salua veritate, maiora verò reticet, hoc non pertinet ad ironiam, nec est peccatum ex suo genere, nisi per alicuius circumstantiæ corruptionem. 2.2. *q.* 113. *art.* 1.

QVÆSTIO CII.

De Affabilitate.

In quo affabilitas consistit?

AD affabilitatem pertinet, quod aliquis in communi conuersatione, tam in factis, quàm in dictis decenter se habeat ad illos, cum quibus conuersatur 2. 2. *q.* 114. *art.* 1. *& ad* 1.

QVÆSTIO CIII.

De Adulatione.

1. *Quomodo adulatio est peccatum?*

ADulatio est peccatum, quando aliquis vult alicui verbis, vel factis placere in communi conuersatione propter inanem gloriam, vel propter lucrum consequendum, vel etiam in malo, secundùm illud Psalmi 52. *Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent.* 2. 2. *q.* 115. *art.* 1. *& ad* 1. *& q.* 7. *de malo art.* 1. *ad* 1.

2. *Quando adulatio est peccatum mortale?*

ADulatio est peccatum mortale, si contrarietur charitati, quod contingit tripliciter. Primò quidem ratione materiæ, cum aliquis laudat alicuius peccatum scilicet mortale, secundùm illud Psalm. 9. *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ*; hoc enim est contra dilectionem Dei contra cuius iustitiam loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fouet, *secundùm illud Isai.* 5. *Væ, qui dicitis malum bonum!* Secundò, ratione intentionis, quando quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter. Tertiò, ratione occasionis, quando laus adulatoris fit alteri occasio peccandi mortaliter, etiam præter adulatoris

intentionem, si sit occasio data, non accepta. Si autem aliquis alicui adulatur ex sola auiditate delectandi alium, est peccatum veniale *ead. q. art. 2. & q. 7. de malo art. 1. ad 2.*

QVÆSTIO CIV.

De Liberalitate.

In quo actus liberalitatis consistit?

AD liberalitatem pertinet conuenienter vti pecunia, & quodcumq; pecunia æstimari potest. Et quia vsus pecuniæ consistit in emissione ipsius; emissio autem alicuius rei quantò fit ad aliquid distantius, tantò à maiori virtute procedit, sicut patet in his, quæ proijciuntur, Ideo magis ad liberalitatem pertinet, quod aliquis emittat pecuniam, conuenienter dando eam alijs quàm expendendo circa seipsum. 2. 2. *q.* 117. *art.* 4. *& ad* 2.

QVÆSTIO CV.

De Auaritia.

1. *Quomodo auaritia est peccatum?*

AVaritia est peccatum, quia importat immoderantiam circa exteriores diuitias dupliciter. Vno modo immediatè circa ipsam acceptionem, & conseruationem diuitiarum, inquantum scilicet homo acquirit pecuniam vltra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo, & sic opponitur iustitiæ; & est directè peccatum in proximum. Alio modo importat immoderantiam circa interiores affectiones diuitiarum, puta cum quis nimis amat, vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi nolit rapere aliena: & hoc modo opponitur liberalitati, quæ moderatur huiusmodi affectiones, & est peccatum hominis in seipsum, quia per hoc deordinatur eius affectus. Ex consequenti autem est peccatum in Deum, sicut, & omnia peccata mortalia, inquantum homo propter bonum temporale contemnit æternum 2. 2. *q.* 118. *ar.* 1. *& ad* 2. *& art.* 3. *& q.* 13. *de malo. art.* 1.

2. *Quando auaritia est peccatum mortale?*

AVaritia, vt opponitur iustitiæ, ex suo genere est peccatum mortale; sic enim ad auaritiam pertinet, quod aliquis iniustè accipiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel furtum, quæ sunt peccata mortalia. Potest tamen esse peccatum veniale propter imperfectionem actus. Sed vt opponitur liberalitati, non est peccatum mortale, quia sic importat inordinatum amorem diuitiarum, nisi aliquis in eis vltimum finem constituat, vt scilicet propter amorem diuitiarum non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi. Sic enim auaritia erit peccatum mortale. *ead. q. art.* 4. *& q.* 13. *de malo. art.* 2.

Ex hoc elicit Caietanus, quod immoderatus appetitus lucri in infinitum, vt contingit negotiatoribus, absolutè, non est peccatum mortale ex suo genere.

QVÆ-

QVÆSTIO CVI.

De Prodigalitate.

1. *Quomodo prodigalitas est peccatum?*

PRodigalitas est peccatum, quia ad ipsam pertinet superflue dare. Vnde prodigus peccat in seipsum, dum bona sua consumit, ex quibus viuere deberet: peccat etiam in alterum consumendo bona, ex quibus alijs deberet prouidere, & præcipuè hoc apparet in clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodigè expendendo. *Et intelligit de bonis Ecclesiæ, quæ non sunt specialiter vsibus clericorum deputata, sed in communi possidentur, vt infra patebit. Est autem prodigalitas peccatum mortale, cum prodigus se impotentem facit ad soluenda debita, vel ad familiam sustentandam: vel cum scienter non subuenit patienti grauem, vel extremam necessitatem. 2. 2. q. 119. art. 2. & 3. ad 1. & 2.*

2. *Quare prodigalitas est minùs peccatum, quàm auaritia?*

PRodigalitas secundùm se considerata est minùs peccatũ, quàm auaritia, triplici ratione. Primò quidem, quia auaritia magis opponitur virtuti: magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo superabundat prodigus quàm accipere, & retinere, in quo superabundat auarus. Secũdò, quia prodigus multis prodest, quibus dat; auarus autem nulli, sed nec sibi ipsi, quia non audet vti etiam ad suam vtilitatem bonis suis. Tertiò, quia prodigalitas est facilè sanabilis; sed auarus non de facili sanatur. *eod. q. art. 3.*

QVÆSTIO CVII.

De Pietate, quæ est donum correspondens iustitiæ.

Quomodo pietas est donum Spiritus Sancti?

PIetas est donum Spiritus Sancti; quia secundùm eam, cultum, & officium exibemus Deo, vt Patri per instinctum Spiritus Sancti, *secundùm illud Roman. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. 2 2. quæst. 121. art. 1*

DE PRAECEPTIS IVSTITIAE.

QVÆSTIO CVIII.

De Præceptis legis naturalis.

Quæ sunt præcepta legis naturalis?

PRimum, & communissimum præceptum legis naturalis, quo homo naturali lumine ductus diuinitùs impresso, discernit quid sit bonum, & quid malum, secundùm illud Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, est hoc; Bonum est faciendum, & malum vitandum: Et super hoc fundantur omnia præcepta legis naturalis, quæ sunt tria. Primùm est de bono faciendo, quod homo habet commune cum omnibus substantijs, sicut

de conseruatione sui esse, & contrariò vitando: & ad hoc præceptum pertinent ea, quibus vita hominis conseruatur, sicut moderata comestio, & contrarium impeditur. Secundùm est de bono faciendo, quod habet commune cum ceteris animalibus, sicut est commistio maris, & feminæ, educatio liberorum & similia, & de contrariò vitando. Tertium est de bono faciendo, quod est sibi proprium, sicut est agere secundùm rationem, & contrariò vitando, ad quód reducitur tota materia moralis 1. 2. *q.* 91. *art.* 2. & *q.* 94. *art.* 2. & 6. & 4. *sent. dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1. & 2.

QVÆSTIO CIX.

De Præceptis Dacalogi.

1. *Quomodo præcepta Decalogi distinguuntur.*

TRia sunt pręcepta pertinentia ad Deum, quorum primùm est, *Non habebis deos alienos*. Secundùm, *Non assumes nomen Deì in vanum*. Tertiùm, *Memento vt diem sabbati sanctifices*. Septem autem sunt pertinentia ad Proximum. Primùm est, *Honora patrem, & matrem tuam*. Secundùm, *Non occides*. Tertiùm, *Non mæchaberis*. Quartùm, *Non furtum facies*. Quintùm, *non falsum testimonium dices*. Sextùm, *Non concupisces rem proximi tui*. Septimùm, *Non concupisces vxorem proximi tui*. Prohibetur autem in furto, & adulterio interior concupiscentia; non autem in homicidio, & falso testimonio cum etiam in his interior concupiscentia sit peccatum, quia delectatio adulterij, & vtilitas diuitiarum sunt propter se ipsa appetibilia, inquantum habent rationem boni delectabilis, vel vtilis. Sed homicidium, & falsitas sunt secundùm se ipsa horribilia, quia proximus, & veritas naturaliter amantur, & non desiderantur, nisi propter aliud. 1. 2. *q.* 100. *art.* 4. 5. *ad* 5.

2. *Quomodo præcepta Decalogi ordinantur?*

INter præcepta Decalogi oportuit primò ponere ea, quæ ordinant hominem ad Deum, & postea alia ordinantia hominem ad proximum. Inter præcepta autem ordinantia hominem ad DEVM primum occurrit, quod homo ei fideliter subdatur, nullam participationem cum inimicis habens, & quantum ad hoc, ponitur primum præceptum, *Non habebis deos alienos*. Secundum est, quod ei reuerentiam exhibeat, ita vt nihil iniuriosum in eum committat: & quantùm ad hoc, accipitur secundum præceptum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium est, quod obsequium impendat in recompensatione beneficiorum, quæ ab ipso percipit: & ad hoc pertinet tertium præceptum de santificatione sabbati in memoriam creationis rerum. Inter præcepta autem, quæ ordinant hominem ad proximum, primo datur præceptum pertinens ad parentes, quia grauius peccatum est, si homo non seruet ordinem debitum ad personas, quibus est ma-

magis debitor. Inter alia verò primò traduntur præcepta, quibus prohibentur peccata operis, *Non occides, Non mœchaberis. Non furtum facies*. Secundò ponitur præceptum, per quod prohibetur peccatum oris, *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium*. Tertiò datur præceptum, per quod prohibetur peccatum cordis, *Non concupisces*; quia grauius est peccatum operis, quam oris, & oris, quam cordis. Inter peccatum autem operis primò prohibetur homicidium, secundò adulterium, tertiò furtum: quia grauius est homicidium, per quod tollitur vita hominis iam existentis, quàm adulterium, per quod impeditur certitudo prolis nascituræ; & adulterium grauius est, quàm furtum, quod pertinet ad bona exteriora 1.2. *vbi sup. art. 5. & 6.*

8. *Quę in præceptis Decalogi præcipiuntur & quæ prohibentur?*

INter præcepta Decalogi, quæ ad iustitiam pertinent, tria ponuntur de actibus religionis, qua redditur debitum Deo, quæ sunt præcepta primæ tabulæ. Quartùm autem traditur de actibus pietatis, qua redditur parentibus debitum, in quo includitur omne debitum, quod ex aliqua ratione speciali debetur. Alia verò sex præcepta dantur de actibus iustitiæ propriæ dictæ, quæ indifferenter omnibus debitum reddit. Vt autem singula explicentur, in primo quidem præcipitur interior religionis cultus, vt Deus veneretur corde, hoc est voluntate ei homo subijciatur. Propter hoc tenetur homo Deum adorare, orationes fundere, sacrificia offerre, vota seruare. Opponitur autem huic præcepto, Infidelitas tàm Gentilium, quàm Iudeorum, & hæreticorum, idololatria, diuinatio, vana obseruatio, magia, & maleficium. Est etiam contra hoc præceptum superbia, per quam homo secundùm affectum non subditur Deo, & eius legi. Sub hac prohibetur inuidia, quæ oritur ex superbia. In secundo præcipitur diuina reuerentia, quæ exhibetur in ore, per diuini nominis inuocationem, tamquam infallibilis veritatis, ad dicti humani confirmationem, quod fit in iuramento. Prohibetur autem iuramentum sine veritate, iudicio, & iustitia. Item blasphemia, simonia, sacrilegium, & quidquid iniuriosum, & irreuerentiæ in Deum committitur. In tertio præcipitur diuinus cultus, qui consistit in opere. Hoc autem est diuinum seruitium, vt scilicet sit certus dies, quo homo Dei seruitio intendat, & propter hoc prohibetur opus seruile, hoc est corporale, à quo diuinus cultus impeditur. Huic etiam præcepto contrariatur Accidia, qui est tristitia de bono diuino, & per reductionem opponitur gula, quæ est appetitus delectationis ciborum, vt vltimi finis: datur enim hoc præceptum, vt mens quiescat in Deo, vt vltimo fine. In quarto præcipitur honor, qui ex pietate debetur parentibus, non solùm quantùm ad reuerentiam, sed etiam quantùm ad subuentionem, si sint in necessitate, quia sunt principia nostri esse,

& gubernationis. Eadem ratione honoranda est patria, in qua nati, & nutriti sumus, quantùm ad reuerentiam, & officia exhibenda. In honore autem parentum includitur omnium consanguineorum reuerentia, & subuentio: similiter, & pauperum subleuatio, & superiorum obseruantia, tùm spiritualem, tùm sæcularem publicam, vel priuatam potestatem habentium, sicut sunt Episcopi, Curati, Reges, Principes, Duces, Domini, Magistri, Tutores, vel alij huiusmodi. In honore verò patriæ, intelligitur reuerentia, & officiorum impensio erga omnes conciues, & patriæ amicos, secundùm propriam facultatem, & personarum decentiam. Contra hoc præceptum est impietas, irreuerentia, inobedientia, ingratitudo. In quinto prohibetur homicidium, quod iniustè fit vel opere, vel ore, hoc est, mandato, siue consilio; vel sit corde, hoc est consensu, sub quo continetur ira, odium, & similia; similiter membri mutilatio, & omnis iniuriosa percussio, siue personalis iniuria. In sexto omne male ablatum per furtum, rapinam, vsuram, & fraudulentiam in emptionibus, & venditionibus, & consequenter auaritia, vt opponitur iustitiæ. In septimo omnis species luxuriæ, fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, vitium contra naturam, & omnis tactus libidinosus. In octauo iniuria, quæ fit verbo contra proximum in iudicio, & in communi locutione, vt colligitur *Leu.* 10. In iudicio, quidem falsitas actoris in accusando, falsitas rei in sui defensione, falsitas testis in testificando, falsitas Aduocati in patrocinando, & falsitas Iudicis in iudicando. In communi autem locutione contumelia, detractio, susurratio, irrisio, rixa, contentio, maledictio; item omne mendacium. In nono interior concupiscentia rei alienæ, quæ est auaritia opposita liberalitati. In decimo concupiscentia omnis actus venerei. 1. 2. q. 100. *ar.* 4. & 6. & 2. 2. *qu.* 13. *ar.* 2. *ad* 2. & *q.* 3. 5. *art.* 3. *ad* 1. & *q.* 36. *art.* 4. *ad* 1. & *q.* 101. *art.* 1. & 2. & *ad* 1. & 3. & *q.* 105. *art.* 1. & *q.* 118. *ar.* 3. & 4. & *q.* 122. *art.* 1. 2. & *ad* 3. & *ar.* 3. & *ad* 2. & *art.* 4. & *ad* 3. & *art.* 6. & *q.* 148. *art.* 2. *ad* 1. & *q.* 162. *ar.* 5. & 3. *sent. dist.* 27. *ar.* 5. & 3. *sent. dist.* 27. *art.* 5. *quæst.* 1. & *opusc.* 4. *per totum* & *q.* 8. *de malo* *ar.* 2. & *q.* 12. *art.* 3. *ad* 2. & *Quodl.* 5. *art.* 20. *ad* 2.

4. *Quomodo in obseruantia sabbati præcipitur diuinus cultus?*

IN præcepto de sanctificatione sabbati præcipitur exterior Dei cultus sub signo sensibili communis beneficij creationis mundi, à quo Deus requieuisse dicitur die septima, in cuius signum septima dies mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo, *Exod.* 20. Non datur autem hoc præceptum de interiori cultu, qui cosistit in oratione, & deuotione, quia secundùm Caietanum, talis cultus secundùm se est finis huius præcepti, qui est quies mentis in Deo: finis autem præcepti non cadit sub præcepto.

Est tamen hic cultus in præcepto, vt est ratio exterioris cultus: tenetur enim homo attentè vacare exteriori cultui, ita vt aduertenter mentem notabiliter non auertat. *ead. q. art. 4. & 1. 2. q. 100. art. 9. ad 2.*

5. *Quomodo in obseruantia sabbati prohibetur opus seruile?*

IN obseruantia sabbati prohibetur opus seruile, vt dicitur *Leuit. 23.* Hoc autem propriè est opus corporale, in quo vnus homo alteri seruit, quod culti exteriori opponitur. Et ideo opus corporale, quod ad cultum Dei pertinet, non prohibetur in die sabbati, quia hoc esset contrarium fini obseruationis sabbati; homo enim ad hoc à corporalibus operibus abstinet in die sabbati, vt vacet operibus ad Dei seruitutem pertinentibus: & propter hoc, sicut dicitur *Matth. 12.* sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, id est, corporaliter in sabbato operantur, & sine crimine sunt. Sacerdotes etiam in sabbato circumferentes arcam, non trasgrediebantur præceptum de sabbati obseruatione. Similiter nullius spiritualis actus exercitium est contra obseruantiam sabbati, puta, si quis doceat verbo, vel scripto. Opera etiam corporalia, quæ non pertinent ad seruientes, sed sunt communia seruis, & liberis, possunt fieri in sabbato: & ideo opus corporale, quod pertinet ad conseruandam salutem proprij corporis, non est contra obseruantiam sabbati: & propter hoc Machabæi non polluerunt sabbatum, pugnantes ad sui defensionem die sabbati, vt legitur Machab. 2. *Nec etiam Elias fugiens à facie Iezabel in die sabbati. Dominus etiam* Matth. 12. *excusabat Discipulos suos, qui colligebant spicas in die sabbati propter necessitatem, quam patiebantur.* Similiter opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, potest fieri in sabbato, vt patet ex verbis Domini Ioann. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbato.* Vnde excusantur medici, & alij suam ad hoc operam exhibentes: excusantur etiam qui pro egeno laborant, dummodo in graui necessitate sit. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad euitandum imminens damnum rei exterioris, non violat sabbatum, secundùm illud Matth. 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habet vnam ouem, & si ceciderit sabbato in foueam, nonne tenebit, & leuabis eam?* & sic licet tempore messis metere, & tempore autumni vindemiare, & serere, cum timetur periculum temporis non opportuni: & ratio est iam dicta, quia opera corporalia, quæ ordinantur ad conseruationem propriæ salutis, vel alienę vel ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non sunt seruilia, sed communia, seruis, & liberis. Similiter potest fieri opus corporale in sabbato propter superioris auctoritatem: Vnde Dominus præcipit Iudæis, vt circumciderent in die sabbati, vt dicitur Ioan. 7. *Addit etiam Caiet. quod sunt licita multa opera corporalia ex probata consuetudine populi Christiani Prælatis scientibus, & non reprehendentibus,*

bus, vt coquere cibos, itinerare, & facere aliud opus corporale post tot horas diei; quia initium, & finis festorum attenditur iuxta consuetudinem regionum, vt patet de ferijs. cap. quoniam. Est etiam licita ex concessione Ecclesiæ piscatio piscium, qui non omni tempore capiuntur, vt haleeum, thynnorum, & similium. cap. licet. eod. tit. Prohibentur præterea de iure canonico opera non seruilia: Hæc autem sunt tria. Primùm est mercatus. cap. 1. de ferijs. qui fit bis, vel ter in anno, dicunturq. nundinæ, vel fit singulis hebdomadibus; vel fit quotidie, & dicuntur emptiones, & venditiones; nisi vendantur necessaria ad victum. Secundùm est iuramentum, nisi pro pace, vel alia necessitate præstetur. cap. 1. eodem. Tertiùm est strepitus iudicialis, nisi pietas suadeat, & necessitas vrgeat. cap. finali eodem. Hinc excusantur iudices in villis suis ius rusticis dicentes diebus festis, ne diurnum laborem perdant necessarium ad victum. Similiter ius alijs dicentes, si non potest testis, vel index postea haberi. Quod autem dictum est de obseruatione sabbati, intelligendum est de omnium festorum celebratione. ead. q. art. 4. ad 3. & 3. sent. dist. 37. art. 5. q. 1. ad 2. & opusc. 4.

6. *Quomodo præceptum de sanctificatione sabbati est morale?*

PRæceptum de sanctificatione sabbati est partim morale, partim cæremoniale: morale quidem quantùm ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum diuinis: cæremoniale verò, inquantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus ad vacandum diuinis in signum creationis. Ponitur autem inter præcepta Decalogi, inquantum est morale, non inquantum est cæremoniale. *ead. q. art. 4. ad 1. & 3. sent. dist. 37. art. 5. q. 1.*

7. *Quomodo obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ sabbati?*

OBseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ sabbati ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, in memoriā resurrectionis CHRISTI, qui resurrexit diluculo, illucescente iam die Dominico, quando claritas radiorum solis incepit apparere. Obligat autem ex præcepto Decalogi, quantùm ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus, quo Deo exhibeat exteriorem cultum. Determinatio verò diei, & exterioris cultus, qui est Missæ interesse, *habetur ex institutione Ecclesiæ, de celeb. Miss. cap. dolentes. de cons. dist. 1. cap. Missa & dist. 3. cap. 1.* Ex qua sunt etiam aliæ festiuitates celebrandæ, quæ enumerantur *d. cap. 1. de cons. dist. 3. & cap. conquestus. de fer.* Sunt autem istæ, *Natiuitatis Dom. S. Steph., S. Ioann. Euangel. SS. Innocent. S. Siluest. Circumciis. Epiphan. Pasch.* cum duobus sequentibus, *Ascens. Pentecost.* cum duobus sequentibus, *Natiuit. S. Ioan. Bapt. Natiuitatis. Annuntiat. Purification. & Assumpt. B. Mariæ, SS. duodecim, & S. Pauli Apost. S. Laurentij, Dedication. S. Michaelis Archang. S. Martini, omnium Sanctorum, aliorum*

rumque dierum, quos singuli Episcopi in suis dioecesibus cum Clero, & populo duxerint venerandos, *&* *Conc. Trid. decreuit sess. 25. cap. 12. Inuentio. S. Crucis, cap. crucis de cons. dist. 3. Corporis Christi, Clem. si dominum de reliq. & ven. sanct.* In festis tamen *S. Siluestri, & S. Martini* seruanda est consuetudo loci. Sunt etiam aliæ festiuitates celebrandæ ex particulari consuetudine loci, quæ est seruanda à degentibus in illo loco. *Cap. illa autem. dist. 12.* Ex præcepto etiam Ecclesiæ in die Dominico, sicut & in alijs festis prædictis cessandum est ab operibus seruilibus, quæ possent nos à diuino cultu impedire *cap. ieiunia de cons. dist. 3. & cap. licet de fer.* Non est autem ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut erat in die sabbati; sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi: & etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege, quia obseruatio Dominicæ non est figuralis, sicut fuit obseruatio sabbati; significabat enim quietem ab opere creationis: figura autem pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. *ead. q. art. 4. ad 1. & 4. & 3. sent. vbi sup. art. 5. q. 2. ad 3. & 4.*

8. *Quare in quarto præcepto longæuitas promittitur honorantibus parentes?*

LOngæuitas promittitur honorantibus parentes, non solùm quantùm ad futuram vitam, sed etiã quantùm ad præsentem, secundùm illud Apost. 1. ad. Timot. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*; & hoc rationabiliter; qui enim est gratus beneficio, meretur secundùm quamdam congruentiam, vt sibi beneficium conseruetur: beneficium autem vitæ corporalis, post Deum, à parentibus habemus: & ideo ille, qui honorat parentes, quasi beneficio gratus, meretur vitæ conseruationem. Quandoque tamen illi, qui sunt pij in parentes, citiùs vita priuantur; alij verò, qui sunt impij in parentes, diutiùs viuunt, quia bona temporalia, vel mala, cadunt sub merito, vel demerito, inquantum ordinantur ad vitam æternam. Et ideo tantùm dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, vel etiam de malis, quantùm eis expedit ad perueniendum, ad vitam æternam 1. 2. *q. 114. art. 10. & 2. 2. q. 122. ar. 5. ad 4.*

QVÆSTIO CX.

De Præceptis legis humanæ.

Quando præcepta legis humanæ vim habent obligandi?

PRæcepta legis humanæ, tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis, habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua lex humana deriuatur. Primò quidem, si lex sit iusta; Secundò, si sit promulgata; Tertiò, si sit vsu recepta; Quartò si non sit probabiliter ignorata, quando scilicet aliquis habet sufficiens impe-

impedimentum, propter quod scire non potuit; sicut si fuit in carcere, vel in terris extraneis, vel propter aliquod simile. Istæ conditiones colliguntur *dist*. 4. *erit*. Dicitur autem lex iusta, primò quidem ex fine, si ordinetur ad bonum commune *d.cap. erit*. Secundò ex agente, si instituatur ab eo, qui habet potestatem; ita vt non excedat limites suę potestatis. *dist*. 8. *quo iure*. Tertiò ex forma, si seruet æqualitatem proportionis in ordine ad bonum commune, vt non plus oneret subditum, qui minus est onerandus. Sunt tamen præcepta legis obseruanda propter scandalum vitandum, si lex sit iniusta per cótrarietatem ad prædicta, cum scilicet ordinatur ad proprium bonum, vel excedit limites potestatis, vel non seruat æqualitatem pro portionis, secundùm illud *Matth*. 5. *Qui angariauerit te mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium*. Si autem lex sit iniusta, quia est contra bonum diuinum, sicut si inducit ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod fit contra legem diuinam, nullo modo sunt eius præcepta obseruanda, & sic intelligitur illud Act. 4. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Obligant autem ad mortale, secundùm Caiet. primò ex intentione præcipientis, quando scitur talem fuisse eius intentionem, Secundò ex contemptu præcepti, vel præcipientis, quando quis non vult obedire. Tertiò ex pœna debita peccato mortali, sicut cum monitione præmissa præcipitur sub pœna excommunicationis, vel sub pœna maledictionis à Deo, vel indignationis Apostolorum, vel ex grauitate pœnę, vt pęnę capitis, vel amissionis omniū bonorū, vel perpetui exilij. Quartò ex grauitate materiæ, si sit grauis res, quæ præcipitur. Sunt autem ista præcepta à subditis, & Principe obseruanda. Quamuis enim Princeps sit à lege solutus quantùm ad vim coactiuam per pœnam, quæ inducit ad obseruantiam legis; quia lex non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate, qui non cogitur à seipso: subditur tamen legi quantùm ad vim directiuam*, de const. cap. *cum omnes per ipsam enim auctoritate legis æternæ diriguntur actus humani in debitum finem. Vnde stante lege, si Princeps facit contra eam, peccat contra legem humanam, & diuinam. Si autem Pprinceps dispensando, ad libitum eximit se, & subditum à lege, non peccat contra legem humanam, vt* dicit, Caiet. *quia potest eam à se, & alio tollere: sed peccat contra legem naturalem, quæ pars, & præcipuè caput consonare debet suo toti; cui etiam improperatur à Domino* Matt. 23. *Qui dicit, & non facit, & qui alijs onera grauia imponit, & ipse nec digito vult ea mouere. 1. 2. q. 90. art. 4. & q. 92. art. 2. & q. 96. art. 4. & 5. ad 3. & art. 6. & q. 97. art 1. & 3. & q. 99. art. 6. & 2. 2. q. 88 art. 10. ad 2. & q. 105. art. 1. & q. 186. art. 9. & ad 2. & 2. sent. dist. 41. q. 1. art. 1. ad 4. & Quodl. 1. art. 19. & Quodl. 8. art. 13.*

QVÆSTIO CXL.

De Fortitudine.

In quo fortitudinis actus consistit?

AD fortitudinem pertinet firmitatem animi habere contra gra-

grauia pericula, quæ sunt pericula mortis, maximè eius, quæ est in bello iusto, quod est duplex; generale, cum aliqui decertant in acie; & particulare, cum aliquis iudex, vel etiam priuata persona non recedit à iustitia timore gladij imminentis, vel cuiuscumque periculi, etiam mortiferi. 2. 2. *q.* 123. *art.* 1. 2. 4. & 5.

QVÆSTIO CXII.

De Martyrio.

1. *Quomodo martyrium est actus fortitudinis?*

MArtyrium est actus fortitudinis, quia in martyrio homo firmiter stat in fide, & iustitia, contra persequentium impetus; & propter hoc de Martyribus legitur: *Fortes facti sunt in bello*, 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1. & 2.

2. *Quomodo martyrium cadit sub præcepto?*

MArtyrium cadit sub præcepto secundùm præparationem animi, vt scilicet homo sit paratus mortem sustinere propter Christum. Non debet tamen occasionem dare Infidelibus, iniustè agendo eos irritando. *ead. q. art.* 1. *ad* 3. & *art.* 3. *ad* 1. & *Quodl.* 4. *art.* 20.

3. *Quis propriè dicitur Martyr?*

MArtir propriè dicitur, qui sustinet mortem propter Christum, quasi testis fidei Christianæ: & ideo, qui tolerat carcerem, vel exilium, vel vulnera propter fidem Christi, nisi ex his sequatur mors, non dicitur propriè Martyr. Dicitur etiam Martyr, qui sustinet mortem, non solùm pro confessione fidei, sed etiã pro quocumque bono faciendo, vel pro quocumque malo vitando propter Christum, quia hoc pertinet ad fidei protestationem. Vnde in Ecclesia celebratur martyrium S. Ioannis Baptistæ, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit. Non licet tamen aliquem pro Martyre, & consequenter pro sancto venerari absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate, etiam si per eum miracula fierent, *de reliq. & ven. Sanct. c.* 1. *ead. q. a.* 4. & *ad* 3. & 4. & *art.* 5. & *ad* 1. & 4. *sent. di.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 9. & 10.

QVÆSTIO CXIII.

De Timore.

1. *Quando timor est peccatum?*

TImor est peccatum, quando aliquis fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda propter aliquod bonum. 2. 2. *q.* 125. *art.* 1.

2. *Quando timor est peccatum mortale?*

TImor est peccatum mortale, quando aliquis ex consensu voluntatis ita refugit periculũ mortis, vel quodlibet aliud malum temporale, vt sit paratus facere aliquid, quod est prohibitum, vel prætermittere

tere aliquid, quod est præceptum in lege diuina. *eod. q. art. 5.*

QVÆSTIO CXIV.
De Inimiditate.

Quando inimiditas est peccatum mortale?

INimiditas est peccatum mortale, quando homo ex consensu deliberato non timet sibi malum notabiliter: quod contingit, vel ex defectu amoris, si aliquis minus, quàm debeat timeat mortem, & alia temporalia mala propter hoc, quod minus debito amet vitam, & alia temporalia bona, vel ex superbia animi de se præsumentis, & alios contemnentis, secundùm illud Iob. 41. *Factus est, vt nullum timeret, omne sublime videt*. Si autem prouenit ex stoliditate, est peccatum veniale: & si sit inuincibilis, excusat à peccato. 2. 2. *q.* 126. *art.* 1.

QVÆSTIO CXV.
De Magnanimitate.

Quod est proprium magnanimi?

MAgnanimi est magna operari in qualibet virtute, quæ sunt magno honore digna. Vnde magnanimitas est circa magnum honorem 2. 2. *q.* 129. *art.* 2. *&* 4. *ad* 1.

QVÆSTIO CXVI.
De Ambitione magnanimitati opposita.

Quomodo ambitio est peccatum.

AMbitio, quæ importat immoderatum appetitum honoris, est peccatum. Primò quidem per hoc, quod aliquis appetit honorem de excellentia, quam non habet, *vel absolutè secundùm Caietanum, si non sit dignus illo honore; vel relatiuè, si non sit dignus respectu dignioris*, quia honor importat quamdam reuerentiam alicui exhibitam in testimonium eius excellentiæ. Secundò est peccatum per hoc, quod honorem sibi cupit, non referendo ipsum in Deum actu, vel habitu: quia illud, in quo homo excellit, non habet à seipso; sed à Deo. Et ideo ex hoc non debetur sibi principaliter honor, sed Deo. Tertiò per hoc, quod appetitus eius in ipso honore quiescit, non referendo ipsum ad vtilitatem aliorum, quia illud, in quo homo excellit, datur homini à Deo, vt ex eo alijs prosit. *Est autem peccatum mortale, si aliquis in honore vt vltimo fine quiescat, puta si paratus est mortaliter peccare, vt honorem, vel dignitatem consequatur. Similiter si appetat honorem propter finem, qui sit peccatum mortale, sicut propter auaritiam, vindictam, luxuriam, & huiusmodi*. 2. 2. *q.* 132. *art.* 1. *& q.* 9. *de malo art.* 2.

QVÆSTIO CXVII.

De Inani gloria.

1. *Quomodo inanis gloria est peccatum?*

APpetitus gloriæ secundùm se non est peccatum, sed appetitus inanis, vel vanę glorię est peccatum, secundùm illud Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis*

men-

mendacium. Potest autem gloria dici vana tripliciter. Primò quidem ex parte rei, de qua quis gloriatur, puta cum quis gloriatur de bono, quod non habet, vel de bono, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, & caduca. Secundò ex parte eius, à quo quis gloriatur, puta hominis, cuius iudicium non est certum. Tertiò ex parte eius, qui gloriam appetit, qui appetitum gloriæ non refert ad honorem Dei, vel proximi vtilitatem. Dicitur autem gloria, clara notitia cum laude, idest, fama, coniuncta cum laude. 2.2. q. 132. art. 1. & q. 9. de malo art. 1.

2. *Quare inanis gloria est periculosum peccatum?*

INanis gloria est periculosum peccatum, non solùm propter grauitatem sui, sed etiam propter hoc, quod est dispositio ad grauia peccata, inquantum per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se confidens, & sic etiam paulatim disponit ad hoc, quod homo priuetur interioribus bonis. *ead. q. art. 3. ad 3. & q. 9. de malo art. 2. ad 4.*

3. *Quando inanis gloria est peccatum mortale?*

INanis gloria est peccatum mortale, si contrariatur dilectioni Dei, quòd dupliciter potest contingere. Primò quidem ex parte materiæ, de qua quis gloriatur, puta cum quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ, secundùm illud Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum. & 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* vel etiam cum quis testimonium hominis præfert testimonio Dei, sicut contra quosdam *dicitur Ioan.* 12. Qui dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei; vel etiam (*vt dicit Caietanus*) cum quis gloriatur de peccato mortali, secundùm illud Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia?* Secundò ex parte eius, qui gloriatur, sicut cum quærit humanam gloriam tamquam vltimum finem, pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt contra Deum; vel cum appetit gloriam propter finem, qui est peccatum mortale, sicut propter fornicationem, *ead. q. art. 3. & q. 9. de malo art. 2. & ad 1. & 5*

QVÆSTIO CXVIII.
De Dono, quod respondet fortitudini.

Quomodo fortitudo est donum Spiritus sancti?

FOrtitudo est donum Spiritus Sancti, in quantum infundit menti hominis quamdam fiduciam perueniendi ad finem cuiuslibet operis inchoati, scilicet vitam æternam, & euadendi quæcumque pericula imminentia 2. 2. q. 139. art. 5.

QVÆSTIO CXIX.
De Abstinentia.

Quomodo abstinentia est virtus?

ABstinentia est virtus, in quantum homo à cibis abstinet pro con-

congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate 2. 2. q. 146. art. 1.

QVÆSTIO CXX.

De Ieiunio.

1. Quomodo ieiunium est actus virtutis?

IEiunium est actus virtutis abstinentiæ, quia assumitur principaliter ad concupiscentias carnis reprimendas, & ad hoc, quod mens liberius eleuetur ad sublimia contemplanda, & ad satisfaciendum pro peccatis. Si autem aliquis tantum de cibo subtrahat, vt natura conseruari non possit, non est actus virtutis, quia *vt Hieronimus dicit, & refertur de consecr. distin. 5. cap.* non mediocriter, non differt, vtrum magno vel paruo tempore te interimas. Similiter etiam non est actus virtutis, si aliquis intantum virtutem naturæ debilitet per ieiunia, quod reddatur impotens ad debita opera peragenda, non solum liberalia, sicut ad prædicandum, docendum, & huiusmodi, sed etiam mechanica secundum Caietanum, puta ad fodiendum, ædificandum, & similia. 2. 2. q. 147. art. 1. & ad 2. & *Quodl. 5. art. 18.*

2. Quomodo ieiunium cadit sub præcepto?

IEiunium cadit sub præcepto iuris naturalis, inquantum est vtile ad deletionem culpæ præteritæ, & præseruationem à culpa futura, & ad eleuationem mentis ad spiritualia. Sed determinatio temporis ieiunandi secundum conuenientiam, & vtilitatem populi Christiani cadit sub præcepto iuris positiui: & hoc est ieiunium Ecclesiæ, *eadem q. art. 3 & 4. sent. dist. 15. q. 3. art. 1. q. 3 & art. 2. q. 1. ad 3.*

3. Quando trasgressio ieiunij est peccatum mortale?

FRangens ieiunium peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, si ex contemptu, vel sine rationabili causa ieiunium non seruat, quia sic obuiat intentioni præcipientis *cap. ieiunia, de cons. dist. 5.* Si autem ex aliqua rationabili causa ieiunium soluit, & præcipuè in casu, in quo etiam si præcipiens adesset, eum obligare non vellet, non peccat mortaliter. *Dicitur autem rationabilis causa [vt tradit Caietanus] simpliciter, & secundum æstimationem, sine fraude, puta si alicui videatur, quòd sit adeo debilis, vt non teneatur ieiunare licet in veritate non sit in eo debilitas sufficiens ad eximendum se à vinculo ieiunij: talis enim excusatur à peccato mortali, sed peccat venialiter, si hoc faciat absque licentia pastoris. Qui autem semel soluit ieiunium, non potest illo die ieiunare, nec nouum mortale committit, qui denuo comedit. Sed peccat mortaliter, quoties in die comedit cibos prohibitos, carnem, vel lacticinia, qui præceptum ieiunij est affirmatiuum, & semel fractum non potest illo die seruari: comedere autem cibos prohibitos, est præceptum negatiuum, quod*

quod obligat ad mortale, quoties comeduntur ead. q. art. 3. ad 2. & 4. sent. vt sup. art. 1. q. 3. ad 3.

4. *Qui tenentur ad ieiunia Ecclesiæ?*

OMnes communiter obligantur ad ieiunia ab Ecclesia instituta, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum. Vnde illi, in quibus est euidens causa non ieiunandi, possunt per se ipsos licitè ieiunium soluere, præsertim consuetudine interueniente, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi: in quibus verò causa est dubia, debent ad superiorem recurrere, qui habeat potestatem in talibus dispensandi. *ead. q. art. 4.*

5. *Quare pueri, senes, pragnantes, & lactentes excusantur à ieiunio?*

IN pueris maximè est euidens causa non ieiunandi, tùm quia indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto, propter debilitatem naturæ; tùm etiam, quia indigent multo nutrimento propter necessitatē augmenti. Et ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est, vt in pluribus, vsque ad finem tertij septennij, non tenentur ad ieiunia obseruanda. Conueniens tamen est, vt etiam in hoc tempore se ad ieiunium exerceant plus, vel minus, secundùm modum suæ ætatis: & quandoque magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris etiam pueris ieiunia inducuntur. *In senibus etiam est euidens causa non ieiunandi ex prima ratione. secundùm Caietanum, quia indigent frequenti cibo propter debilitatem naturæ, & non multo simul assumpto, quod contingere videtur communiter anno sexagesimo, quia sexagenarius prope interitum est*, secundùm illud Psalm. 89. Dies annorum nostrorum septuaginta anni. *In pragnantibus autem, & lactentibus est euidens causa non ieiunandi ex secunda ratione, quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti ipsius prolis, nisi sint ita robustæ, vt vna comestio sibi, & proli sufficeret ead. q. art. 4. ad 2. & 4. sent. vbi sup art. 2. q. 2. & ad 1.*

6. *Quando peregrinatio, & labor corporalis excusant à ieiunio?*

SI peregrinatio, & operis labor commodè differri possint, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conseruationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ ieiunia soluenda. Si autem immineat necessitas statim peregrinandi, vel etiā multùm laborandi, vel propter conseruationem vitæ corporalis, vel propter aliquod necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possint Ecclesiæ ieiunia obseruari, non obligatur homo ad ieiunandum, quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ ieiunia statuentis, vt per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris, vel sacerdotis sui dispensationem, nisi fortè vbi ita

est consuetum; quia ex hoc ipso quod Prælati dissimulant, videntur annuere. *ead. q. art. 4. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 3. ad 1. & 3.*

7. *Quando pauperes excusantur à ieiunio?*

PAuperes, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad vnam commestionem, non excusantur à ieiunijs Ecclesiæ propter paupertatem; à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat. *ead. q. art. 4. ad 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 3. ad 2.*

8. *Quæ sunt tempora ieiunij ab Ecclesia determinata?*

IN Quadragesima ante solemnitatem Paschalem Ecclesia statuit esse ieiunandum, cap. Quadragesima. *de consl. dist.* 5. quia ieiunium ordinatur ad deletionem culpæ, & eleuationem mentis in Deum. In Paschali autem solemnitate culpæ per baptismum relaxantur, qui solemniter in vigilia Paschæ celebrantur, quando recolitur Dominica sepultura, quia per baptismum consepelimur Christo in mortem, *vt dicitur Rom.* 6. In festo Paschæ oportet maximè mentem hominis per deuotionem eleuari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoauit. Eadem ratione in vigilijs præcipuarum festiuitatum est indictum ieiunium, quia in his oportet per mentis eleuationem nos præparari ad festa futura deuotè celebranda. *Sunt autem vigiliæ Apostolorum, præter vigilias sanctorum Philippi, & Iacobi, & S. Ioannis* Euan*gelistæ, quia ipsorum solemnitas tempore* Paschali, *istius infra octauam Nat. Domini celebratur, cap. 2. de obseru. ieiu. Similiter vigiliæ Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Mariæ, cap. 1. eodem. Vigiliæ autem omnium Sanctorum, S. Laurentij, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, & Pentecostes, sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ ex communi consuetudine.* Propter hoc etiam in quatuor anni temporibus ex institutione Ecclesiæ est ieiunandum, *dist.* 79. per multa cap. quia in eis sacri Ordines conferuntur, ad quorum susceptionem oportet per ieiunium præparari & eos, qui ordinant, & illos qui ordinandi sunt, ac etiam totum populum, pro cuius vtilitate ordinantur. Cum autem vigiliam in Dominica contigerit venire, in die sabbati præcedentis est ieiunandum *cap. 1. & 2. de obseru. ieiun., ead. q. art.* 5.

9. *Quomodo vnica comestio requiritur ad ieiunium?*

AD ieiunium requiritur vnica comestio; quia ieiunium est ab Ecclesia institutum ad concupiscentiam reprimendam; ita tamen, quod natura saluetur. Ad hoc autem sufficere videtur vnica comestio. Potest tamen vesperi sumi à ieiunantibus refectio panis, & fructus secundùm consuetudinem regionis, dummodo non sit multùm, ad sustentandam naturam, vt dicit Na-

uat. *cap.* 21. *num.* 13. Non licet autem sumere mane refectionem, vespere cœnare, secundùm ipsum, nisi ratione medicinæ vel debilitatis, vel necessitatis agendi aliqua, nec consuetudo excusat. *ead. q. art.* 6.

10. *Quare Ecclesiæ ieiunium non soluitur per potum, vel medicinas?*

DVplex est ieiunium: vnum naturæ, quod requiritur ad Eucharistiæ sumptionem, & hoc soluitur per quemlibet potum etiam aquæ: aliud est Ecclesiæ ieiunium, & hoc non soluitur per potum, quia potus secundùm se non sumitur ad nutrimentum, licet aliquo modo nutriat, sed magis ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, nisi in fraudem hoc fiat. Eadem ratione non soluitur ieiunium per electuaria, vel per aliarum medicinarum assumptionem, quia licet electuaria aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi, ad famem extinguendam. *ead. q. art.* 6. *ad* 2. & 3. & 4. *sent. vbi supra, art.* 4. *ad* 1. & 3. *Vnde elicit Silu. verbo ieiunium q.* 3. *quod non soluunt ieiunium, qui sumunt aliquid ad reparandum, ne potus noceat, vel ad sustentandam naturam, vel ad dormiendum, & huiusmodi, nec serui prægustantes, vel facientes credentiam, quia hæc non fiunt per modum cibi; nisi fierent in fraudem ad subleuandam famem.*

11. *Qua hora determinatur ieiunantibus ad comedendum?*

COnueniens hora comedendi determinatur ieiunantibus circa horam nonam, *de cons. dist.* 1. *cap. solent*, quia debita, & communis consuetudo comedendi hominibus est circa horam sextam, tùm quia iam videtur esse completa digestio, tùm etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget ne humores interiùs adurantur. Et ideo vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conueniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Quia tamen homines hodie communiter comedunt circa horam tertiam, vt notat Caietanus, conueniens hora comedendi est circa horã sextam. Si autem talis taxatio temporis alicui multùm noceret, vel propter infirmitatem, vel ætatem, vel aliquid huiusmodi, esset cum eo in ieiunio dispensandum, vt aliquantulum præueniret horam. *ead. q. art.* 7. & *ad* 3.

12. *Quare ieiunantibus inducitur abstinentia à carnibus, ouis, & lacticinijs?*

ECclesia ieiunantibus interdicit carnes, oua, & lacticinia, *dist.* 4. denique, quia ieiunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis: huiusmodi autem cibis concupiscentia fouetur, & roboratur. Et quia oua, & lacticinia ieiunantibus interdicuntur, inquantum sunt ex animalibus exorta carnes habentibus, principaliùs interdicuntur carnes, quàm oua, vel lacti-

cticinia. ead. q. art. 8. & ad 3. & 4. sent. vbi supr. art. 4. q. 1.

QVÆSTIO CXXII.

De Gula.

Quando gula est peccatum mortale?

GVla, quæ est inordinata concupiscentia ciborum, ex suo genere non est peccatũ mortale, quia secundùm se non contrariatur charitati, neque quantùm ad dilectionem Dei, neque quantùm ad dilectionem proximi, sed est peccatum mortale secundùm modum inordinationis. Si enim aliquis appetit delectationem ciborum, tamquam finem vltimum, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, puta furari, vt delectationes huiusmodi assequatur, ita est peccatum mortale; quia talis inordinatio repugnat charitati quantùm ad dilectionem Dei, qui debet diligi, vt vltimus finis. Si verò aliquis inordinatè appetit delectationem ciborum, vt id, quod est ad finem, puta si nimis appetit delectationem ciborum non tamen ita, quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, sic est peccatum veniale, *Est etiam peccatum mortale, si aliquis ex superfluitate cibi, & potus probabiliter timet aliquod peccatum mortale, puta luxuriam, ad quam scit se pronum esse. Similiter, quando aliquis ex tali superfluitate infert sibi notabile nocumentum corporis, puta febrem, & huiusmodi, si hoc aduertat: sic enim contrariatur charitati, qua quis tenetur se ipsum diligere. 2. 2. q. 148. art. 2. & q. 14. de malo art. 2.*

QVÆSTIO CXXIII.

De Sobrietate.

1. In quo attenditur sobrietas?

SObrietas specialiter attenditur circa potum, qui sua fumositate natus est cerebrum perturbare, sicut vinum, & omne quod inebriare potest. 2. 2. q. 149. art. 1.

2. In quibus sobrietas requiritur?

SObrietas requiritur in ijs, in quibus est maior pronitas ad concupiscentias, quas oportet per virtutem refrænari, & ideo requiritur in iuuenibus, in quibus viget concupiscentia propter feruorem ætatis, & in mulieribus, in quibus non est sufficiens robur mentis ad hoc, quod concupiscentijs resistant. Requiritur etiam in eis, quibus est magis necessaria ad operationem ipsorum; quia vinum immoderatum impedit vsum rationis. Et ideo Episcopis, & alijs Ecclesiæ Ministris, qui mente deuota debent spiritualibus officijs insistere, & Principibus sæcularibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur, *ead. q. art. 4.*

QVÆ-

QVÆSTIO CXXIII.

De Ebrietate.

1. Quando ebrietas est peccatum mortale?

EBrietas potest esse sine peccato, si aliquis nesciat potum esse immoderatum, & inebriantem. Si verò percipiat potum esse immoderatum, non tamen inebriantem, est peccatum veniale. Si autem aliquis aduertat potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult inebriari, quàm à potu abstinere, ebrietas est peccatum mortale, quia sic homo volens, & sciens priuat se vsu rationis, per quam in Deum ordinatur, & multa peccata occurrentia vitat. 1. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. *&* 2. 2. *q.* 150. *art.* 2.

2. Quare assiduitas ebrietatis est circumstantia constituens speciem peccati mortalis?

ASsiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, vt dicit *August. in sermone 4. de Purgatorio*, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse, quod homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, dum sæpe experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem. Vnde reddit peccatum ad suam naturam. 1. 2. *vbi supra*, *&* 2. 2. *quæst.* 150. *art.* 2. *ad* 1.

3. Quando ebrietas excusat à peccato sequenti?

SI ebrietas fuit sine peccato totaliter, aliquis excusatur à peccato ex ebrietate sequenti; sicut fortè accidit Lot, qui excusatur ab incestu propter ebrietatem, *secundùm August. contra Faust. lib.* 22. *cap.* 44. Si autem ebrietas fuit culpabilis; sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti; quia dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Vnde, vt dicit *Arist. in 3. Eth. cap.* 5. ebrijs duplices pœnæ institutæ sunt propter duo peccata, quæ committunt, scilicet ebrietatem, & peccatum, quod ex ebrietate sequitur: diminuitur tamen peccatum sequens ratione ignorantiæ adiunctæ. 1. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 4. *&* 2. 2. *vbi sup. art.* 4. *& q.* 15. *de malo, art.* 2. *ad* 9.

QVÆSTIO CXXIV.

De Castitate.

Quomodo castitas est virtus?

CAstitas, quæ à castigatione nominatur, est virtus ex hoc, quod cōcupiscentia delectationis venereorum castigatur, quæ ad modum pueri est refrænanda. 2. 2. *qu.* 151. *art.* 1.

QVÆSTIO CXXV.

De Virginitate.

In quo virginitatis consistit formalis ratio?

TRia requiruntur ad virginitatem. Primùm est integritas signaculi corporalis, quod per accidens se habet ad virginitatem;

Secundùm est abstinentia à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, quod se habet materialiter. Tertiùm est propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione, quod se habet formaliter in virginitate; & in hoc secundum Caietanum, status virginitatis differt à statu castitatis, ad quam non requiritur propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione, sed vsque ad statum coniugalem. 2. 2. q. 152. art. 1. & 4. *sent. dist.* 34. q. 3. art. 1. & *Quodl.* 6. art. 18.

QVÆSTIO CXXVI.

De Vitio luxuriæ.

1. *Quomodo luxuria est peccatum mortale?*

OMnis luxuriæ actus præter legem matrimonij, siue exterior, siue interioris concupiscentiæ, dummodo ei ratio consentiat, est peccatum mortale ex suo genere, secundùm diuersas species actus venerei, vt infra patebit. Est autem hoc peccatum ita incentiuum, quod non nisi fugiendo vincitur, secundùm illud 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem.* Vincitur autem quatuor modis. Primò quidem occasiones exteriores fugiendo, puta societatem, & omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum. Secundò turpibus cogitationibus aditum non præbendo; quia sunt occasio excitandæ concupiscentiæ. Tertiò orationibus insistendo, quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Quartò licitis occupationibus vacando, quarum melior est studium Scripturarũ. *Vnde 1. ad Tim. 4. dicit Apostolus: Dum venio, attende lectioni q. 15. de malo. art. 1. & 2. & opusc. 4. & 18. c. 9.*

2. *Quomodo species luxuriæ distinguuntur?*

DIuersæ species luxuriæ assignantur secundùm diuersitatem obiecti, quod est materia actus venerei, & quia in actu venereo femina se habet sicut patiens, & materia, vir autem sicut agens; ideo diuersificantur istę species magis ex parte feminæ, quàm viri. Vnde si vir habet vxorem, & ad aliam accedit, semper ex parte sua est adulterium, quia contra fidem matrimonij agit; ex parte verò mulieris, ad quam accedit, quandoque est adulterium, quandoque habet rationem stupri, vel alicuius alterius, secundùm diuersas conditiones mulierum ad quas accedit. 2. 2. q. 154. art. 1. & 8. ad 1.

3. *Quomodo fornicatio est peccatum mortale?*

FOrnicatio simplex, quæ est soluti cum soluta, est peccatum mortale, quia est vagus concubitus contra certitudinem prolis, & per consequens contra eius educationem, quia solicitudo patris circa prolis educationem est propter eius certitudinem. Vnde hoc peccatum repugnat humanæ naturæ; quia na-

tura-

turaliter homines sunt soliciti de prolis certitudine, & educatione. Nec obstat si aliquis fornicando sufficienter prouideat proli de educatione; quia iudicandum est secundùm id, quod communiter accidit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere. Esse autem peccatum mortale adeo certa res est, vt contrarium pertinaciter asserere sit hæreticum, *vt definitum est in Clemen. ad nostrum de hæret. & habetur Eph. 5. Omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Christi. ead. q. art. 2. & opusc. 4. & 3. cont. gent. cap. 122.*

4. *Quare fornicatio est grauiùs peccatum, quàm furtum?*

Fornicatio est grauiùs peccatum quàm furtum, secundùm suam speciem, quia grauiùs peccatum ex ratione suæ speciei est, quod opponitur maiori bono: fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri: furtum verò est contra bona exteriora, *ead. q. art. 3.*

5. *Quare sola fornicatio dicitur peccatum carnale?*

Sola fornicatio dicitur peccatum carnale, secundùm illud *1. Cor. 6.* Omne peccatum quodcumq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, quia in hoc peccato fit etiam iniuria corpori propter eius immunditiam. *1. 2. q. 72. art. 2. ad 4.*

6. *Quando oscula, amplexus, & tactus sunt peccata mortalia?*

Oscula, amplexus, & tactus, secundùm suam speciem, non sunt peccata mortalia; possunt enim absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, vel rationabilem causam. Sed sunt peccata mortalia ex sua causa, secundùm quod libidinosa sunt, quia fiunt propter delectationem fornicationis, vel alterius luxuriæ speciei. Non solùm enim consensus in actum fornicationis est peccatum mortale, sed etiam in delectationem talis peccati. Vnde non sunt peccata mortalia secundùm suam speciem, sicut fornicatio, & adulterium, sed solùm secundùm quod ordinantur ad consensum delectationis fornicationis. *1. 2. q. 74. art. 8. & 2. 2. q. 154. art. 4. & q. 15. de malo, art. 2. ad 18.*

7. *Quando nocturna pollutio est peccatum?*

Nocturna pollutio secundùm se non est peccatum, quia in dormiendo aliquis non habet liberum iudicium rationis, quod est ratio peccati, sed ex sua causa est peccatum, quæ potest esse triplex. Prima quidem est corporalis exterior, puta cum causatur ex superfluitate cibi, vel potus. Si autem contingit ex debilitate, vel superfluitate naturæ, est sine peccato. Alia est animalis interior sicut cum prouenit ex turpibus cogitationibus

præcedentibus, quæ sunt ex concupiscentia, & delectatione, circa quas frequentius accidit peccatum mortale propter facilitatem consensus. Sed si sunt sine concupiscentia, & delectatione, puta cum aliquis causa disputationis, vel lectionis cogitat de peccatis carnalibus, tunc nocturna pollutio, quæ ex hoc sequitur, non habet rationem culpæ. Tertia est spiritualis exterior, puta cum in ordine ad talem effectum, ex operatione dæmonis commouentur phantasmata dormientis, qui ex negligentia non se præparat contra dæmonis illusiones. Vnde in sero cantatur: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*. Quandoque autem est absque omni culpa hominis ex sola nequitia dæmonis, sicut in collationibus Patrum legitur, *collat.* 22. *cap.* 6. de quodam, qui semper in diebus festiuis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, vt impediretur à sacra communione. Quouis autem modo nocturna pollutio sequatur, si sit complacentia deliberata in delectatione pollutionis factæ, est peccatum mortale. 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. & 3. *p. quæst.* 80. *art.* 7.

8. *Quomodo stuprum est species luxuriæ?*

Stuprum, quod est defloratio virginis extra coniugium, est determinata species luxuriæ, quia addit specialem deformitatem ex parte puellæ violatæ, scilicet eius damnificationem, quæ in se redditur minus habilis ad coniugium, quia si sciretur, non inueniret suæ conditionis virum, & ponitur in via meretricandi, à qua retrahebatur, ne signaculum virginitatis amittere: habet etiam deformitatem, scilicet iniuriam ex parte patris, vel alterius, qui est loco patris, qui de eius custodia solicitudinem gerit, secundum illud, *Eccl.* 42. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quãdo faciat te in opprobriũ venire inimicis*, & *Eccl.* 7. *Filiæ tibi sunt, custodi corpus earum. ead. quæst. art.* 6. & 4. *sent. dist* 41. *art.* 4.

9. *Ad quid tenetur virginem deflorans?*

Deflorans virginem, si eam seducit sub specie matrimonij, vel importunis precibus, vt declarat Nauar. *cap.* 16. *num.* 17. tenetur eam ducere in vxorem antequam aliam duxerit, si sint æqualis conditionis, vel si mulier sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, vel pater virginis dare noluerit, debet eam dotare, ita scilicet secundum *Nauar. vbi supra*, quod accipiat talem virum, qualem virgo accepisset ad arbitrium boni viri, & aliquid amplius ob verecundiam, quam tota vita passura est, & ob contumelias, quas per hoc à suo viro est acceptura. Tenetur etiam patri satisfacere pro iniuria illata, & habetur *Exod.* 22. & *Deut.* 22. & *cap.* 1. & 2. *de adult.* Si autem vir sit multo melioris conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad diuitias, vel aliud signum euidens fraudis appareat, ad hoc non tenetur, quia pec-

præsumi potest probabiliter, quod mulier non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. Si autem mulier sponte, vel leuiter rogata se obtulit, vt dicit idem Nauar. ad nihil tenetur in foro conscientiæ. *ead. q. art. 6. ad 3. & 4. sent. dist. 28. art. 2. ad 3. & 4.*

10. *Quomodo raptus est species luxuriæ?*

RAptus est species luxuriæ, ratione specialis deformitatis, scilicet violentiæ. Committitur autem raptus, cum virgo violenter abducitur à domo patris, & violenter corrumpitur, vel cum violenter abducitur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, siue corrumpatur fornicario concubitu, siue matrimoniali, qualitercumque enim violentia adsit, saluatur ratio raptus. Et quandoque quidem raptus in idem concurrit cum stupro, quando scilicet aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam: quandoque autem inuenitur raptus sine stupro, puta si aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam: quandoque inuenitur stuprum sine raptu, sicut si aliquis absque violentiæ illatione virginem illicitè deflorat. *ead. q. art. 7. & 4. sent. dist. 41. art. 4.*

11. *Quomodo adulterium est species luxuriæ?*

ADulterium est determinata species luxuriæ propter specialem deformitatem, quæ est ex vsu rei alienæ illicito, quod ad iniustitiam pertinet, & committitur ex parte viri, cum accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatam: & sic facit contra bonum propriæ prolis educandæ: vel cum accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & sic impedit bonum alienæ prolis. Committitur etiam ex parte mulieris coniugatæ, quæ per adulterium corrumpitur, cum virum suum derelinquit, in quo facit contra certitudinem prolis eius; vel cum adulterio fornicata est, & ex alio viro filios sibi statuit, quod est contra bonum propriæ prolis; quia non possunt in bonis viri succedere, & ideo si adultera non habet aliqua bona propria, quibus possit satisfacere filijs legitimis, vel heredibus, si filij non sint, debet studere, quod filij adulterij intrent religionem, *vel tenetur id manifestare, si probabiliter præsumat se profuturam, quia ei crederetur à filijs adulterij, vel à marito, & nullum timeat vitæ, vel infamiæ periculum, aliàs non tenetur: nec ei est pœnitentia deneganda, vt patet de pœnit. & remiss. cap. officij. Adulter autem non tenetur se prodere: sed tenetur tantum ad restitutionem. Similiter si ipsi filios exponant hospitali ad euitandam infamiam, vel vitæ periculum, tenentur omnes expensas hospitali restituere, si habent facultatem. Si verò sunt pauperes, non tenentur, quia talia loca sunt pro pauperibus instituta. ead. quæst. art. 8. & 4. sent. vbi sup. & opusc. 4.*

12. *Quomodo incestus est species luxuriæ?*

INcestus est determinata species luxuriæ, quia in commixtione con-

consanguineorum, vel affinium inuenitur specialis deformitas indecentiæ triplici ratione. Primò quidem, quia est contra naturalem reuerentiam, quam homo personis coniunctis debet. Secundò, quia necesse est personas sanguine coniunctas ad inuicem simul conuersari, & ideo commixtio venerea est eis prohibita, alioquin animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Tertiò quia fieret nimiùs ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, cum personæ coniunctæ naturaliter diligantur. Commixtio autem parentum, & filiorum, qui sunt per se, & immediatè coniuncti, est secundùm se indecens. Commixtio verò aliarum personarum, quæ non sunt secundùm se, & immediatè coniunctæ, sed per ordinem ad parentes, non habet ita ex se ipsa indecentiam: sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundùm consuetudinem, & legem humanam, vel diuinam. Vnde *Aug. 15. de Ciuit. Dei cap. 16. dicit: Commixtio sororum, & fratrum quantò fuit antiquior, Compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior, religione prohibente. ead. q. art. 9. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. & 3. cont. gent. cap. 125.*

13. *Quomodo sacrilegium est species luxuriæ?*

SAcrilegium est species luxuriæ, inquantum luxuria violat personam sacram, hoc est, diuino cultui dedicatam, vel locum sacrum, & sic habet specialem deformitatem. *Vnde clericus in sacris, vel minoribus constitutus, vel religiosus, vel monialis, qui copulam habet, sacrilegium committit. Similiter qui copulam habet in loco sacro. ead. q. art. 10. & ad 3.*

14. *Quomodo vitium contra naturam est species luxuriæ?*

VItium contra naturam est species luxuriæ, quia habet specialem rationem deformitatis, scilicet repugnantiam ad finem actus venerei, inquantum ex eo generatio sequi non potest: & hoc quidem potest quinque modis contingere, qui specie differunt. Primò quidem si absque concubitu, causa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod mollities dicitur. *Si autem pollutio non procuretur: sed tantùm desideretur non ob delectationem carnis, sed propter sanitatem, vel continentiam, non est peccatum luxuriæ, dummodo desiderium non sit causa pollutionis, secundùm Nauar. cap. 16. num. 6.* Secundò, si actus venereus fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Tertiò, si fiat per concubitum, ad sexum non debitum, puta masculi ad masculum, vel feminę ad feminam, vt Apost. dicit ad Rom. 1. *quod dicitur Sodomia.* Quartò, si aliquis abutetur instrumento, puta si non sit debitum vas. Quintò, si quis vtatur monstruoso, & bestiali concubendi modo. *ead. q. art. 1. & 11. & 12. ad 4. & 4. sent. dist. 31. in exposit. l.*

15. Quod

15. *Quod est grauius peccatum inter species luxuriæ?*

INter species luxuriæ grauius peccatum est vitium contra naturam, quia repugnat ordini naturali actus venerei. Inter vitia autem, quæ sunt contra naturam, mollities tenet infimum locum, quia consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Grauissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non seruatur debita species; & de hoc intelligitur *Genes.* 37. *Accusauit fratres suos crimine pessimo*. Post hoc autem est Sodomia, quia non seruatur debitus sexus. Et post hoc est abusus instrumenti, si non sit debitum vas. Vltimò autem est inordinatio quantùm ad alios concumbendi modos, quæ in actu matrimoniali non semper est peccatum mortale, sed quando est periculum effundendi semen extra vas: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando scilicet dispositio corporis alium modum non patitur: aliàs tantò peccatum est grauius, quantò magis à naturali modo receditur. Post vitium autem contra naturam est raptus, & post raptum incestus, deinde adulterium, & post hoc est stuprum; maior enim iniuria infertur, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsum generationis, quàm ad solam custodiam. Minus autem peccatum inter hæc est fornicatio simplex, & hæc omnia aggrauantur secundùm rationem sacrilegij. *ead. q. art.* 11. *&* 12. *ad* 4. *&* 4. *sent. dist.* 31. *in expositione L. & dist.* 41. *art.* 4. *q.* 2.

QVÆSTIO CXXVII.

De Continentia.

Quomodo continentia est virtus?

COntinentia habet aliquid de ratione virtutis, inquantum ratio firmata est contra concupiscentias prauas, quibus resistit 2. 2. *q.* 155. *art.* 1.

QVÆSTIO CXXVIII.

De Incontinentia.

Quando incontinentia est peccatum mortale?

INcontinentia est peccatum mortale, cum aliquis ex consensu voluntatis se ingerit prauis concupiscentijs delectationum tactus. Est tamen minus peccatum, quàm intemperantia, quia in eo, qui est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito. In eo autem, qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio cito transit, habitus autem est qualitas difficilè mobilis ideo incontinens statim pœnitet transeunte passione, quod non accidit intemperato; immo gaudet se peccasse. Vnde de his dicitur prouerb. 2. *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. 2. 2. *q.* 156. *art.* 2. *&* 3.

QVÆ-

QVÆSTIO CXXIX.

De Mansuetudine.

Quomodo mansuetudo est virtus?

MAnsuetudo est virtus, quia ratio virtutis moralis consistit in hoc, quod appetitus rationi subdatur: mansuetudo autem secundùm rectam rationem moderatur iras, 2. 2. q. 157. art. 21.

QVÆSTIO CXXX.

De Ira.

1. *Quomodo ira est peccatum?*

IRA, quæ est appetitus vindictæ quantùm ad appetibile, scilicet vindictam, est laudabilis, si aliquis appetat vindictam secundùm ordinem rationis, quæ vocatur ira per zelum, puta si eam appetat propter aliquod bonum principaliter, sicut propter emendationem, vel saltem cohibitionem peccantis, & quietem aliorum, & propter bonum iustitiæ conseruandum, & Dei honorem. Si verò aliquis desideret vindictam contra ordinem rationis, puta propter malum eius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat; vel si appetat puniri eum, qui non meruit, vel vltra quàm meruit; vel si cupiat se vindicare propria auctoritate, tunc ira est vitiosa, nec excusatur, si malum intendat illius, qui sibi iniustè intulit malum; hoc enim est vinci à malo, quod Apost. prohibet ad Rom. 13. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Quantùm autem ad modum irascendi, si motus iræ sit immoderatus, vel interiùs, vel exteriùs, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam. 2. 2. q. 108. *art.* 1. *&* q. 158. *art.* 1. *ad* 3. *&* q. 12. *de malo art.* 2.

2. *Quando ira est peccatum mortale?*

IRA ex parte appetibilis est peccatum mortale, si aliquis appetat iniustam vindictam, quia contrariatur charitati, & iustitiæ. Potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ præuenit iudicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, sicut cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita etiam, quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit puerum per capillos, vel cum aliquis in hoc irascitur contra aliquem, quod vult ei dicere aliquod verbum leue, & iocosum, quod modicùm ipsum contristet, nisi fortè ex hoc graue scandalum oriatur; quia tunc esset peccatum mortale. Ira autem quantùm ad modum irascendi, si aliquis nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ, non est peccatũ mortale, nisi ex vehementia iræ dilabatur in aliqua peccata mortalia, puta in blasphemiam Dei, vel iniuriam proximi 1. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. *&* 2. 2. *quæ.* 158. *art.* 3. *& ad* 1. *& q.* 12. *de malo art.* 3.

QVÆ-

QVÆSTIO CXXXI.

De Modestia.
Quomodo modestia est virtus?

MOdestia est virtus moderans omnia, quæ moderanda relinquuntur: hæc autem videntur esse quatuor. Primùm quidem est motus animi ad aliquam excellentiam, quam moderatur humilitas. Secundùm est desiderium eorum, quæ pertinent ad cognitionem, quod moderatur studiositas, quæ opponitur curiositati. Tertiùm, quod pertinet ad corporales motus, & actiones, vt scilicet decenter & honeste fiant, tam in his, quæ seriò, quam in ijs, quæ ludo aguntur. Quartùm est, quod pertinet ad exteriorem ornatum. 2.2. *q.* 160. *art.* 2.

QVÆSTIO CXXXII.

De Humilitate.
Quomodo humilitas est virtus?

HVmilitas est virtus, inquantum per eam aliquis reprimit appetitum, ne tendat in ea, quæ sunt supra se, cognoscendo proprios defectus. Vnde ad hanc virtutem pertinet, quod aliquis credat, & pronunciet se omnibus viliorem secundùm defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in alijs latent. Vel confiteatur, & credat ad omnia se inutilem esse, & indignum per proprias vires, vt sufficientiam suam totam in Deum referat, 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. 2. *& 6. ad* 1.

QVÆSTIO CXXXIII.

De Superbia.

1. *Quomodo superbia est speciale peccatum?*

SVperbia est speciale peccatum, quia habet speciale obiectum: est enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & præcipuè in dignitate, vel honore. Potest etiam superbia in alijs materijs inueniri. Vnde dicit *Gregorius* 34. *Moral. cap.* 18. *Alter intumescit auro, alter eloquio, alter infimis, & terrenis rebus, alter summis, cælestibusque virtutibus. Differt autem superbia ab inani gloria, & iactantia, quæ ex superbia procedunt: quia superbia est appetitus propriæ excellentiæ, sed inanis gloria est appetitus manifestationis excellentiæ: iactantia autem est ipsa manifestatio excellentiæ* 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 2. *& ad* 4. *&* 2. *sent. dist.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *& q.* 8. *de malo art.* 2.

2. *Quot sunt species superbiæ?*

QVatuor sunt species superbiæ, *quæ à Gregorio assignantur* 23. *Moral. cap.* 7. Prima est, cum aliquis æstimat, aut vult ab alijs æstimari se habere bonum à se ipso, & non à Deo. Secunda est, cum æstimat, aut desiderat æstimari se habere bonum à Deo ex proprijs meritis, & sic conqueritur de bonis perditis. Tertia est, cum æstimat, aut appetit æstimari se habere bonum, quod habet, alijs despectis; & ad

hanc

hanc speciem pertinet, si aliquis vult alijs præferri, vel si est pronus ad considerandum aliorum defectus, & ad sua mala excusanda. Quarta est, cum aliquis attribuit sibi bonum, quod non habet, vel vult, vt sic ab alijs æstimetur. *ead. q. art. 3. ad 2. & art. 4. & ad 3. & 4. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 4. & q. 8. de malo art. 4.*

3. Quando superbia est peccatum mortale?

SVperbia ex suo genere est peccatum mortale grauissimum, quia per superbiam homo non auertitur à Deo propter ignorantiam, vel infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscumque alterius boni, vt in alijs peccatis, sed ex hoc, quod non vult Deo, & eius regulæ subijci. Propter imperfectionem tamen actus, motus superbiæ sunt peccata venialia, quia præueniunt iudicium rationis. *ead. q. 5. art. & 6.*

QVÆSTIO CXXXIV.

De Curiositate.

Quare inspectio spectaculorum est peccatum?

INspectio spectaculorum est peccatum, quia per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis per ea, quæ ibi repræsentantur: & quandoque est peccatum mortale, tanta potest libido adhiberi. *2. 2. q. 167. art. 2. ad 2. & 4. sent. dist. 16. q. 4. art. 2. q. 1.*

QVÆSTIO CXXXV.

De Ludis.

1. Quomodo in ludis potest esse virtus?

IN ludis potest esse aliqua virtus, quam Arist. in 4. *Eth. cap.* 18 faceciam nominat, inquantum remedium adhibetur contra fatigationem animalem per animæ quietem, quæ est delectatio: circa quam tamen tria sunt attendenda. Primum & principale est, quod ipsa delectatio non quæratur in factis, vel dictis turpibus, vel nociuis. Aliud est, ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Tertium est, vt congruat personæ, tempori, & loco. *Vnde B. Ioannes Euangelista, sicut legitur in collationibus Patrum, cum quidam scandalizarentur, quod eum cum discipulis suis ludentem inuenerant, dicitur mandasse vni eorum, qui arcum gerebat, vt sagittam traheret, quod cum pluries fecisset, quæsiuit vtrum hoc continuè facere posset, qui respondit, quod si hoc continuè faceret, arcus frangeretur:* Et B. Ioannes subintulit, quod sic animus hominis frangeretur, si numquam à sua intentione relaxaretur. 2. 2. *qu.* 168. *art.* 2.

2. Quando excessus in ludo est peccatum mortale?

EXcessus in ludo est peccatum mortale, quando aliquis causa ludi vtitur turpibus verbis, vel factis, vel etiam nociuis, quæ de se

sunt

sunt peccata mortalia. Similiter si in eo aliquis ponat vltimum finem, vt scilicet propter affectũ ad ludum non vereatur facere contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ, puta furari, vel non audire Missam. *ead. q. art. 3.*

QVÆSTIO CXXXVI.

De Exteriori ornatu.

1. *Quomodo circa exteriorem ornatum potest esse virtus, & vitium?*

Circa exteriorem ornatum vestiũ potest esse virtus, inquantum in eo consideratur quædam honestas, ita vt nitor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus, non pretiosis, & albentibus ab intus vestimentis, sed communibus, vt honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. Potest autem esse vitium quantùm ad superfluitatem, vel ex parte ornatus dissoni à consuetudine hominum, cum quibus aliquis viuit, vel ex parte finis inanis gloriæ, vel deliciarum, vel ex parte agentis, secundùm quòd nimiam solicitudinem apponit ad exteriorem vestium cultum. In illis autem, qui sunt in dignitate constituti, vel etiam in ministris Altaris non est vitiosum, quòd pretiosioribus vestibus, quàm ceteri induantur, quia eis non vtuntur propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerij, vel cultus diuini. Quantùm autem ad defectum, potest esse peccatum, vel ex parte agentis, inquantum non adhibet studium ad hoc, quòd exteriori cultu vtatur, secundùm quòd oportet; vel ex parte finis inanis gloriæ. *Vnde Augustin. in libro secundo de sermone Domini in monte, capite decimo dicit, quòd non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus, & luctuosis esse potest iactantia, & eo periculosior, quo sub nomine seruitutis Dei decipit 2. 2. q. 169. art. 1. & ad 2. & Quodl. 10. art. 14.*

2. *Quando mulieres peccant mortaliter in superfluo ornatu?*

Mulieres coniugatæ licitè se possunt ornare, vel etiam aliquid superaddere, vt viris suis placeant, ne detur eis occasio peccandi cum alijs; vel vt conferuent decentiam sui status, dummodo sit sobriùs, & verecundus ornatus, non autem superfluus, & impudicus, vt in tortis crinibus se pingant, sicut dicit *Paul. 1. ad Tim. 2.* Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus per superfluum ornatum, quia hoc est dare eis incentiuum peccandi; & si quidem hac intentione se ornent, vt alios prouocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque est veniale, & eadem ratio est de virorum ornatu. *ead. q. art. 2. & ad 1. & 4. opusc. 40. de erud. Principum, lib. 5. cap. 60.*

3. Quo-

3. Quare mulieres peccant vtentes veste virili?

DE se vitiosum est, quod mulier vtatur veste virili, aut è conuerso, & præcipuè quia hoc potest esse causa lasciuiæ, & specialiter prohibetur in Lege, vt dicitur Deuter. 22. *Non induatur mulier veste virili, nec vir veste muliebri*, quia Gentiles tali mutatione vtebātur ad idolatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato, propter aliquam necessitatem, vel causam se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel aliquid aliud huiusmodi. *ead. q. art. 2. ad 3.*

4. *Quando fucatio mulierum est peccatum mortale?*

FVcatio mulierum, qua fingunt pulchritudinem non habitam, non est sine peccato, *cap. fucare. de cons. dist. 5.* & si fiat propter lasciuiam, vel in Dei contemptum, est peccatum mortale. Si autem fiat ad occultandam turpitudinem ex aliqua causa prouenientem, puta infirmitate, vel aliquo huiusmodi, est licita. *ead. q. art. 2. ad 2.*

5. *Quando artifices ornamentorum mulierum peccant?*

SI est aliqua ars ad facienda aliqua opera quibus homines vti non possunt absque peccato, artifices talia faciendo peccant, præbentes directè alijs occasionem peccandi, puta, si quis fabricaret idola, vel alia ad cultum idolatriæ pertinētia. Si verò est ars ad facienda opera, quibus homines possunt bene, & male vti, sicut sunt gladij, sagittæ, & alia huiusmodi, vsus talis artis non est peccatum. Vnde cum mulieres licitè possint se ornare, vel vt conseruent statum suum, vel vt placeant viris, vt dictum est, artifices talium ornamentorum in vsu talis artis non peccant, nisi fortè inueniendo aliqua superflua, & curiosa. *ead. q. art. 2. ad 4.*

QVÆSTIO CXXXVII.

De Prophetia.

1. *Quomodo ad prophetiam requiritur inspiratio, & reuelatio?*

AD prophetiam requiritur, quòd intentio mentis eleuetur ad percipienda diuina, secundùm illud Ezech. 2. *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum*. Hæc autem mentis eleuatio fit Spiritu Sancto mouente. Vnde ibidem subditur: *Et ingressus est in me Spiritus, & statuit me super pedes meos*. Postquam autem intentio mentis eleuata est ad superna percipit diuina, & ideo subditur: *Et audiui loquentem ad me*. Et sic ad prophetiam requiritur inspiratio quantùm ad mentis eleuationem; reuelatio autem quantùm ad ipsam perceptionē diuinorum, in quo perficitur prophetia. 2. 2. *q.* 171. *art.* 1. *ad* 4.

2. *Quomodo fit prophetica inspiratio?*

PRophetica inspiratio fit per supernaturalis luminis influxum, quod

quod intellectui Prophetæ infunditur ad hoc, vt ad diuina percipienda eleuetur. Hoc autem lumen non inest intellectui Prophetæ per modũ formæ permanentis, sicut lumen corporale est in sole, quia sic semper Prophetæ adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. *Vnde Helisæus dixit de muliere Sunamitide* 4. Reg. 4. *Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*: sed inest intellectui Prophetæ lumen supernaturale per modum cuiusdam passionis, vel impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere, quod significatur *Exod.* 33. *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ. Et* 3. *Reg.* 14. *dicitur ad Eliam: Egredere, & sta in monte coram Domino; & ecce Dominus transit*. Et ideo sicut aer semper indiget noua illuminatione, ita etiam mens Prophetæ semper indiget noua reuelatione. *ead. qu. art.* 2. *& qu.* 173. *art.* 3.

3. *Quomodo fit prophetica reuelatio?*

PRophetica reuelatio quandoque fit per sólum luminis influxum, quod diuinitùs imprimitur menti humanæ ad iudicandum ea, quæ ab alijs visa sunt, sicut patet de Apostolis, quibus Dominus aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas, *vt dicitur Luc.* 27. Quandoque verò fit per species intelligibiles, vt patet de his, qui accipiunt scientiam, vel sapientiam infusam, sicut Salomon, & Apostoli. Quandoque autem fit per species imaginarias, siue omninò diuinitùs impressas, siue per sensum acceptas, sicut Hieremias vidit ollam succensam, *vt habetur Hierem.* 1. Quandoque etiam per sensibiles species, sicut Daniel vidit scripturam parietis, vt legitur Daniel. 5. Et Moyses vidit rubum. Quando autem fit secundùm formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem à sensibus; similiter etiam quando fit per intelligibiles species: cum enim mens intenditur in suo actu circa absentia, quæ sunt à sensibus remota, tunc propter vehementiam intentionis sequitur alienatio à sensibus. *sicut de Petro legitur* Act. 10. *quod cum oraret in cœnaculo, factus est, in excessu mentis*. 2. 2. *q.* 173. *art.* 2. *&* 3. *& ad.* 2. *&* 3. *& q.* 12. *de verit. art.* 7. *&* 9.

4. *Quomodo prophetia est de futuris, præteritis, & præsentibus?*

PRophetia est proprijssimè de futuris euentibus, qui in seipsis cognosci non possunt. Potest etiam esse de præteritis, sicut id quod dicitur Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram. Et sic Helisæus cognouit quæ Giezi in absentia fecerat, vt habetur* 4. Reg. 5. Potest esse etiam de præsenti, sicut de cognitionibus cordis, vt dicitur 1. Cor. 14. 2. 2. *q.* 171. *art.* 3.

5. *Quando Propheta discernit quid dicat per Spiritum prophetiæ?*

MEns Prophetę dupliciter à Deo instruitur: vno modo per expressam reuelationem, & sic certitudinem habet de his, quæ dicit per

præcedentibus, quæ sunt ex concupiscentia, & delectatione, circa quas frequentius accidit peccatum mortale propter facilitatem consensus. Sed si sunt sine concupiscentia, & delectatione, puta cum aliquis causa disputationis, vel lectionis cogitat de peccatis carnalibus, tunc nocturna pollutio, quæ ex hoc sequitur, non habet rationem culpæ. Tertia est spiritualis exterior, puta cum in ordine ad talem effectum, ex operatione dæmonis commouentur phantasmata dormientis, qui ex negligentia non se præparat contra dæmonis illusiones. Vnde in sero cantatur: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*. Quandoque autem est absque omni culpa hominis ex sola nequitia dæmonis, sicut in collationibus Patrum legitur, *collat.* 22. *cap.* 6. de quodam, qui semper in diebus festiuis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, vt impediretur à sacra communione. Quouis autem modo nocturna pollutio sequatur, si sit complacentia deliberata in delectatione pollutionis factæ, est peccatum mortale. 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. & 3. *p. quæst.* 80. *art.* 7.

8. Quomodo stuprum est species luxuriæ?

STuprum, quod est defloratio virginis extra coniugium, est determinata species luxuriæ, quia addit specialem deformitatem ex parte puellæ violatæ, scilicet eius damnificationem, quæ in se redditur minus habilis ad coniugium, quia si sciretur, non inueniret suæ conditionis virum, & ponitur in via meretricandi, à qua retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret: habet etiam deformitatem, scilicet iniuriam ex parte patris, vel alterius, qui est loco patris, qui de eius custodia solicitudinem gerit, secundum illud *Eccl.* 42. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quãdo faciat te in opprobriũ venire inimicis*, & *Eccl.* 7. *Filiæ tibi sunt, custodi corpus earum. ead. quæst. art.* 6. & 4. *sent. dist.* 41. *art.* 4.

9. Ad quid tenetur virginem deflorans?

DEflorans virginem, si eam seducit sub specie matrimonij, vel importunis præcibus, vt declarat Nauar. *cap.* 16. *num.* 17. tenetur eam ducere in vxorem antequam aliam duxerit, si sint æqualis conditionis, vel si mulier sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, vel pater virginis dare noluerit, debet eam dotare, ita scilicet secundum *Nauar. vbi supra*, quod accipiat talem virum, qualem virgo accepisset ad arbitrium boni viri, & aliquid amplius ob verecundiam, quam tota vita passura est, & ob contumelias, quas per hoc à suo viro est acceptura. Tenetur etiam patri satisfacere pro iniuria illata, & habetur *Exod.* 22. & *Deut.* 22. & *cap.* 1. & 2. *de adult.* Si autem vir sit multo melioris conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad diuitias, vel aliud signum euidens fraudis appareat, ad hoc non tenetur, quia

pec-

præsumi potest probabiliter, quod mulier non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. Si autem mulier sponte, vel leuiter rogata se obtulit, vt dicit idem Nauar. ad nihil tenetur in foro conscientiæ. *ead. q. art.6. ad 3. & 4. sent. dist. 28. art. 2. ad 3. & 4.*

10. *Quomodo raptus est species luxuriæ?*

RAptus est species luxuriæ, ratione specialis deformitatis, scilicet violentiæ. Committitur autem raptus, cum virgo violenter abducitur à domo patris, & violenter corrumpitur, vel cum violenter abducitur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, siue corrumpatur fornicatio concubitu, siue matrimoniali, qualitercumque enim violentia adsit, saluatur ratio raptus. Et quandoque quidem raptus in idem concurrit cum stupro, quando scilicet aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam: quandoque autem inuenitur raptus sine stupro, puta si aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam: quandoque inuenitur stuprum sine raptu, sicut si aliquis absque violentiæ illatione virginem illicitè deflorat. *ead. q. art. 7. & 4. sent. dist. 41. art. 4.*

11. *Quomodo adulterium est species luxuriæ?*

ADulterium est determinata species luxuriæ propter specialem deformitatem, quæ est ex vsu rei alienæ illicito, quod ad iniustitiam pertinet, & committitur ex parte viri, cum accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatam: & sic facit contra bonum propriæ prolis educandæ: vel cum accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & sic impedit bonum alienæ prolis. Committitur etiam ex parte mulieris coniugatæ, quæ per adulterium corrumpitur, cum virum suum derelinquit, in quo facit contra certitudinem prolis eius; vel cum adulterio fornicata est, & ex alio viro filios sibi statuit, quod est contra bonum propriæ prolis; quia non possunt in bonis viri succedere, & ideo si adultera non habet aliqua bona propria, quibus possit satisfacere filijs legitimis, vel heredibus, si filij non sint, debet studere, quod filij adulterij intrent religionem, *vel tenetur id manifestare, si probabiliter præsumat se profuturam, quia ei crederetur à filijs adulterij, vel à marito, & nullum timeat vitæ, vel infamiæ periculum, aliàs non tenetur: nec ei est pœnitentia deneganda, vt patet de pœnit. & remiss. cap. officij. Adulter autem non tenetur se prodere: sed tenetur tantum ad restitutionem. Similiter si ipsi filios exponant hospitali ad euitandam infamiam, vel vitæ periculum, tenentur omnes expensas hospitali restituere, si habent facultatem. Si verò sunt pauperes, non tenentur, quia talia loca sunt pro pauperibus instituta. ead. quæst. art. 8. & 4. sent. vbi sup. & opusc. 4.*

12. *Quomodo incestus est species luxuriæ?*

INcestus est determinata species luxuriæ, quia in commixtione con-

consanguineorum, vel affinium inuenitur specialis deformitas indecentiæ triplici ratione. Primò quidem, quia est contra naturalem reuerentiam, quam homo personis coniunctis debet. Secundò, quia necesse est personas sanguine coniunctas ad inuicem simul conuersari, & ideo commixtio venerea est eis prohibita, alioquin animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Tertiò quia fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, cum personæ coniunctæ naturaliter diligantur. Commixtio autem parentum, & filiorum, qui sunt per se, & immediatè coniuncti, est secundùm se indecens. Commixtio verò aliarum personarum, quæ non sunt secundùm se, & immediatè coniunctæ, sed per ordinem ad parentes, non habet ita ex se ipsa indecentiam: sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundùm consuetudinem, & legem humanam, vel diuinam. Vnde *Aug. 15. de Ciuit. Dei cap. 16. dicit: Commixtio sororum, & fratrum quantò fuit antiquior, Compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior, religione prohibente. ead. q. art. 9. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. & 3. cont. gent. cap. 125.*

13. *Quomodo sacrilegium est species luxuriæ?*

Sacrilegium est species luxuriæ, inquantum luxuria violat personam sacram, hoc est, diuino cultui dedicatam, vel locum sacrum, & sic habet speciale'm deformitatem. *Vnde clericus in sacris, vel minoribus constitutus, vel religiosus, vel monialis, qui copulam habet, sacrilegium committit. Similiter qui copulam habet in loco sacro. ead. q. art. 10. & ad 3.*

14. *Quomodo vitium contra naturam est species luxuriæ?*

Vitium contra naturam est species luxuriæ, quia habet specialem rationem deformitatis, scilicet repugnantiam ad finem actus venerei, inquantum ex eo generatio sequi non potest: & hoc quidem potest quinque modis contingere, qui specie differunt. Primò quidem si absque concubitu, causa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod mollities dicitur. *Si autem pollutio non procuretur: sed tantùm desideretur non ob delectationem carnis, sed propter sanitatem, vel continentiam, non est peccatum luxuriæ; dummodo desiderium non sit causa pollutionis, secundùm Nauar. cap. 16. num. 6.* Secundò, si actus venereus fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Tertiò, si fiat per concubitum, ad sexum non debitum, puta masculi ad masculum, vel feminę ad feminam, vt Apost. dicit ad Rom. 1. *quod dicitur Sodomia.* Quartò, si aliquis abutetur instrumento, puta si non sit debitum vas. Quintò, si quis vtatur monstruoso, & bestiali concubendi modo. *ead. q. art. 1. & 11. & 12. ad 4. & 4. sent. dist. 31. in exposit. l.*

15. *Quod est grauiùs peccatum inter species luxuriæ?*

INter species luxuriæ grauiùs peccatum est vitium contra naturam, quia repugnat ordini naturali actus venerei. Inter vitia autem, quæ sunt contra naturam, mollities tenet infimum locum, quia consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Grauissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non seruatur debita species; & de hoc intelligitur *Genes. 37. Accusauit fratres suos crimine pessimo.* Post hoc autem est Sodomia, quia non seruatur debitus sexus. Et post hoc est abusus instrumenti, si non sit debitum vas. Vltimò autem est inordinatio quantùm ad alios concumbendi modos, quæ in actu matrimoniali non semper est peccatum mortale, sed quando est periculum effundendi semen extra vas: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando scilicet dispositio corporis alium modum non patitur: aliàs tantò peccatum est grauiùs, quantò magis à naturali modo receditur. Post vitium autem contra naturam est raptus, & post raptum incestus, deinde adulterium, & post hoc est stuprum; maior enim iniuria infertur, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsum generationis, quàm ad solam custodiam. Minùs autem peccatum inter hæc est fornicatio simplex, & hæc omnia aggrauantur secundùm rationem sacrilegij. *ead. q. art. 11. & 12. ad 4. & 4. sent. dist. 31. in expositione L. & dist. 41. art. 4. q. 2.*

QVÆSTIO CXXVII.

De Continentia.

Quomodo continentia est virtus?

COntinentia habet aliquid de ratione virtutis, inquantum ratio firmata est contra concupiscentias prauas, quibus resistit 2. 2. *q.* 155. *art.* 1.

QVÆSTIO CXXVIII.

De Incontinentia.

Quando incontinentia est peccatum mortale?

INcontinentia est peccatum mortale, cum aliquis ex consensu voluntatis se ingerit prauis concupiscentijs delectationum tactus. Est tamen minùs peccatum, quàm intemperantia, quia in eo, qui est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito. In eo autem, qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio cito transit, habitus autem est qualitas difficilè mobilis ideo incontinens statim pœnitet transeunte passione, quod non accidit intemperato; immo gaudet se peccasse. Vnde de his dicitur prouerb. 2. *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* 2. 2. *q.* 156. *art.* 2. & 3.

QVÆ-

QVÆSTIO CXXIX.

De Mansuetudine.

Quomodo mansuetudo est virtus?

MAnsuetudo est virtus, quia ratio virtutis moralis consistit in hoc, quod appetitus rationi subdatur: mansuetudo autem secundùm rectam rationem moderatur iras, 2. 2. *q.* 157. *art.* 21.

QVÆSTIO CXXX.

De Ira.

1. *Quomodo ira est peccatum?*

IRA, quæ est appetitus vindictæ quantùm ad appetibile, scilicet vindictam, est laudabilis, si aliquis appetat vindictam secundùm ordinem rationis, quæ vocatur ira per zelum, puta si eam appetat propter aliquod bonum principaliter, sicut propter emendationem, vel saltem cohibitionem peccantis, & quietem aliorum, & propter bonum iustitiæ conseruandum, & Dei honorem. Si verò aliquis desideret vindictam contra ordinem rationis, puta propter malum eius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat; vel si appetat puniri eum, qui non meruit, vel vltra quàm meruit; vel si cupiat se vindicare propria auctoritate, tunc ira est vitiosa, nec excusatur, si malum intendat illius, qui sibi iniustè intulit malum; hoc enim est vinci à malo, quod Apost. prohibet ad Rom. 13. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Quantùm autem ad modum irascendi, si motus iræ sit immoderatus, vel interiùs, vel exteriùs, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. & *q.* 158. *art.* 1. *ad* 3. & *q.* 12. *de malo art.* 2.

2. *Quando ira est peccatum mortale?*

IRA ex parte appetibilis est peccatum mortale, si aliquis appetat iniustam vindictam, quia contrariatur charitati, & iustitiæ. Potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ præuenit iudicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, sicut cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita etiam, quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit puerum per capillos, vel cum aliquis in hoc irascitur contra aliquem, quod vult ei dicere aliquod verbum leue, & iocosum, quod modicùm ipsum contristet, nisi fortè ex hoc graue scandalum oriatur, quia tunc esset peccatum mortale. Ira autem quantùm ad modum irascendi, si aliquis nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ, non est peccatũ mortale, nisi ex vehementia iræ dilabatur in aliqua peccata mortalia, puta in blasphemiam Dei, vel iniuriam proximi 1. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. & 2. 2. *qua.* 158. *art.* 3. & *ad* 1. & *q.* 12. *de malo art.* 3.

QVÆ-

QVÆSTIO CXXXI.

De Modestia.

Quomodo modestia est virtus?

MOdestia est virtus moderans omnia, quæ moderanda relinquuntur: hæc autem videntur esse quatuor. Primum quidem est motus animi ad aliquam excellentiam, quam moderatur humilitas. Secundum est desiderium eorum, quæ pertinent ad cognitionem, quod moderatur studiositas, quæ opponitur curiositati. Tertium, quod pertinet ad corporales motus, & actiones, vt scilicet decenter & honeste fiant, tam in his, quæ serio, quam in ijs, quæ ludo aguntur. Quartum est, quod pertinet ad exteriorem ornatum. 2.2. q. 160. art. 2.

QVÆSTIO CXXXII.

De Humilitate.

Quomodo humilitas est virtus?

HVmilitas est virtus, inquantum per eam aliquis reprimit appetitum, ne tendat in ea, quæ sunt supra se, cognoscendo proprios defectus. Vnde ad hanc virtutem pertinet, quod aliquis credat, & pronunciet se omnibus viliorem secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in alijs latent. Vel confiteatur, & credat ad omnia se inutilem esse, & indignum per proprias vires, vt sufficientiam suam totam in Deum referat, 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. 2. *& 6. ad* 1.

QVÆSTIO CXXXIII.

De Superbia.

1. *Quomodo superbia est speciale peccatum?*

SVperbia est speciale peccatum, quia habet speciale obiectum: est enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & præcipuè in dignitate, vel honore. Potest etiam superbia in alijs materijs inueniri. Vnde dicit *Gregorius 34. Moral. cap. 18. Alter intumescit auro, alter eloquio, alter infimis, & terrenis rebus, alter summis, cælestibusque virtutibus. Differt autem superbia ab inani gloria, & iactantia, quæ ex superbia procedunt: quia superbia est appetitus propriæ excellentiæ, sed inanis gloria est appetitus manifestationis excellentiæ: iactantia autem est ipsa manifestatio excellentiæ* 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 2. *& ad* 4. *&* 2. *sent. dist.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *& q.* 8. *de malo art.* 2.

2. *Quot sunt species superbiæ?*

QVatuor sunt species superbiæ, *quæ à Gregorio assignantur* 23. *Moral. cap.* 7. Prima est, cum aliquis æstimat, aut vult ab alijs æstimari se habere bonum à se ipso, & non à Deo. Secunda est, cum æstimat, aut desiderat æstimari se habere bonum à Deo ex proprijs meritis, & sic conqueritur de bonis perditis. Tertia est, cum æstimat, aut appetit æstimari se habere bonum, quod habet, alijs despectis; & ad hanc

hanc speciem pertinet, si aliquis vult alijs præferri, vel si est pronus ad considerandum aliorum defectus, & ad sua mala excusanda. Quarta est, cum aliquis attribuit sibi bonum, quod non habet, vel vult, ve sic ab alijs estimetur. *ead. q. art. 3. ad 2. & art. 4. & ad 3. & 4. sent. dist. 42. quæst. 2. art. 4. & q. 8. de malo art. 4.*

3. Quando superbia est peccatum mortale?

SVperbia ex suo genere est peccatum mortale grauissimum, quia per superbiam homo non auertitur à Deo propter ignorantiam, vel infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscumque alterius boni, vt in alijs peccatis, sed ex hoc, quod non vult Deo, & eius regulæ subijci. Propter imperfectionem tamen actus, motus superbiæ sunt peccata venialia, quia præueniunt iudicium rationis. *ead. q. 5. art. & 6.*

QVÆSTIO CXXXIV.

De Curiositate.

Quare inspectio spectaculorum est peccatum?

INspectio spectaculorum est peccatum, quia per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis per ea, quæ ibi repræsentantur: & quandoque est peccatum mortale, tanta potest libido adhiberi. 2. 2. *q.* 167. *art.* 2. *ad* 2. & 4. *sent. dist.* 16. *q.* 4. *art.* 2. *q.* 1.

QVÆSTIO CXXXV.

De Ludis.

1. Quomodo in ludis potest esse virtus?

IN ludis potest esse aliqua virtus, quam Arist. in 4. *Eth. cap.* 18 facetiam nominat, inquantum remedium adhibetur contra fatigationem animalem per animæ quietem, quæ est delectatio: circa quam tamen tria sunt attendenda. Primùm & principale est, quod ipsa delectatio non quæratur in factis, vel dictis turpibus, vel nociuis. Aliud est, ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Tertiùm est, vt congruat personæ, tempori, & loco. *Vnde B. Ioannes Euangelista, sicut legitur in collationibus Patrum, cum quidam scandalizarentur, quod eum cum discipulis suis ludentem inuenerant, dicitur mandasse vni eorum, qui arcum gerebat, vt sagittam traheret, quod cum pluries fecisset, quæsiuit vtrum hoc continuè facere posset, qui respondit, quod si hoc continuè faceret, arcus frangeretur:* Et B. Ioannes subintulit, quod sic animus hominis frangeretur, si numquam à sua intentione relaxaretur. 2. 2. *qu.* 168. *art.* 2.

2. Quando excessus in ludo est peccatum mortale?

EXcessus in ludo est peccatum mortale, quando aliquis causa ludi vtitur turpibus verbis, vel factis, vel etiam nociuis, quæ de se sunt

sunt peccata mortalia. Similiter si in eo aliquis ponat vltimum finem, vt scilicet propter affectũ ad ludum non vereatur facere contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ, puta furari, vel non audire Missam. *ead. q. art. 3.*

QVÆSTIO CXXXVI.

De Exteriori ornatu.

1. *Quomodo circa exteriorem ornatum potest esse virtus, & vitium?*

Circa exteriorem ornatum vestiũ potest esse virtus, inquantum in eo consideratur quędam honestas, ita vt nitor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus, non pretiosis, & albentibus ab intus vestimentis, sed communibus, vt honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. Potest autem esse vitium quantùm ad superfluitatem, vel ex parte ornatus dissoni à consuetudine hominum, cum quibus aliquis viuit, vel ex parte finis inanis gloriæ, vel deliciarum, vel ex parte agentis, secundùm quòd nimiam solicitudinem apponit ad exteriorem vestium cultum. In illis autem, qui sunt in dignitate constituti, vel etiam in ministris Altaris non est vitiosum, quòd pretiosioribus vestibus, quàm ceteri induantur, quia eis non vtuntur propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerij, vel cultus diuini. Quantùm autem ad defectum, potest esse peccatum, vel ex parte agentis, inquantum non adhibet studium ad hoc, quòd exteriori cultu vtatur, secundùm quòd oportet; vel ex parte finis inanis gloriæ. *Vnde Augustin. in libro secundo de sermone Domini in monte, capite decimo dicit, quòd non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus, & luctuosis esse potest iactantia, & eo periculosior, quo sub nomine seruitutis Dei decipit 2. 2. q. 169. art. 1. & ad 2. & Quodl. 10. art. 14.*

2. *Quando mulieres peccant mortaliter in superfluo ornatu?*

Mulieres coniugatæ licitè se possunt ornare, vel etiam aliquid superaddere, vt viris suis placeant, ne detur eis occasio peccandi cum alijs; vel vt conseruent decentiam sui status, dummodo sit sobriùs, & verecundus ornatus, non autem superfluus, & impudicus, vt in tortis crinibus se pingant, sicut dicit *Paul. 1. ad Tim* 2. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus per superfluum ornatum, quia hoc est dare eis incentiuum peccandi; & si quidem hac intentione se ornent, vt alios prouocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque est veniale, & eadem ratio est de virorum ornatu. *ead. q. art. 2. & ad 1. & 4. opusc. 40. de erud. Principum, lib. 5. cap. 60.*

3. Quo-

quod intellectui Prophetæ infunditur ad hoc, vt ad diuina percipienda eleuetur. Hoc autem lumen non inest intellectui Prophetæ per modũ formæ permanentis, sicut lumen corporale est in sole, quia sic semper Prophetæ adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. *Vnde Helisæus dixit de muliere Sunamitide* 4. Reg. 4. *Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*: sed inest intellectui Prophetæ lumen supernaturale per modum cuiusdam passionis, vel impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere, quod significatur *Exod. 33. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ. Et 3. Reg. 14. dicitur ad Eliam: Egredere, & sta in monte coram Domino; & ecce Dominus transit*. Et ideo sicut aer semper indiget noua illuminatione, ita etiam mens Prophetæ semper indiget noua reuelatione. *ead. qu. art. 2. & qu. 173. art. 3.*

3. *Quomodo fit prophetica reuelatio?*

PRophetica reuelatio quandoque fit per solum luminis influxum, quod diuinitùs imprimitur menti humanæ ad iudicandum ea, quæ ab alijs visa sunt, sicut patet de Apostolis, quibus Dominus aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas, *vt dicitur Luc.* 27. Quandoque verò fit per species intelligibiles, vt patet de his, qui accipiunt scientiam, vel sapientiam infusam, sicut Salomon, & Apostoli. Quandoque autem fit per species imaginarias, siue omninò diuinitùs impressas, siue per sensum acceptas, sicut Hieremias vidit ollam succensam, *vt habetur Hierem.* 1. Quandoque etiam per sensibiles species, sicut Daniel vidit scripturam parietis, vt legitur Daniel. 5. Et Moyses vidit rubum. Quando autem fit secundùm formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem à sensibus; similiter etiam quando fit per intelligibiles species: cum enim mens intenditur in suo actu circa absentia, quæ sunt à sensibus remota, tunc propter vehementiam intentionis sequitur alienatio à sensibus. *sicut de Petro legitur* Act. 10. *quod cum oraret in cœnaculo, factus est, in excessu mentis. 2. 2. q. 173. art. 2. & 3. & ad. 2. & 3. & q. 12. de verit. art. 7. & 9.*

4. *Quomodo prophetia est de futuris, præteritis, & præsentibus?*

PRophetia est proprijssimè de futuris euentibus, qui in seipsis cognosci non possunt. Potest etiam esse de præteritis, sicut id quod dicitur Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram. Et sic Helisæus cognouit quæ Giezi in absentia fecerat, vt habetur* 4. Reg. 5. Potest esse etiam de præsenti, sicut de cognitionibus cordis, vt dicitur 1. Cor. 14. 2. 2. q. 171. *art.* 3.

5. *Quando Propheta discernit quid dica per Spiritum prophetiæ?*

MEns Prophetæ dupliciter à Deo instruitur: vno modo per expressam reuelationem, & sic certitudinem habet de his, quæ dicit per

spiritum prophetiæ, & per consequens ea ex proprio sensu loquitur, non mente perturbata, sicut arrepticij, sed mente quieta. Alio modo: mens Prophetæ instruitur à Deo per quemdam instinctum: & sic aliquando non potest plene discernere quid dicat per spiritum prophetiæ. *ead. q. art. 5. & q. 173. art. 3. ad 4.*

Hinc patet secundum Caiet. quod personæ in ecstasi positæ loquentes, & postea nescientes, quæ viderint, siue loquentes in persona Christi, vel alterius Sancti, & non ex proprio sensu, non sunt Prophetæ; sed vel seducuntur, vel seducunt.

QVÆSTIO CXXXVIII.

De Raptu.

1. Quis dicitur raptus?

RAptus dicitur propriè, quando mens spiritu diuino propter vehementiam intentionis eleuatur ad contemplanda aliqua supernaturalia cum abstractione à sensibus, secundùm illud Ezech. 8: *Spiritus eleuauit me inter cælum, & terram, & adduxit me in Ierusalem visione Dei*: ita tamen, quòd talis alienatio à sensibus non sit cum aliqua ordinatione naturæ, sicut in arrepticijs, vel furiosis. *2. 2. q. 173. art. 3. & 175. art. 1. & quæst. 13. de verit. art. 1.*

Ex hoc colligit Caiet. quòd abstractio à sensibus, cum cordis saltu vehementi, vel cum denudatione pudendorum, nisi adessent operientes, & similibus non est à Spiritu Sancto, qui non est auctor inordinationis naturæ, vel moris: sed causatur ex infirmitate, vel illusione diabolica, vel fictione, vel est animalis ex nimia meditatione.

2. Quomodo Paulus in raptu vidit diuinam essentiam?

PAulus in raptu vidit diuinam essentiam per lumen gloriæ, sicut etiam Moyses, non per modum formæ immanentis, quia sic lumen gloriæ beatos facit Sanctos in patria, sed per modum cuiusdam passionis transeuntis, & hoc satis congruenter: quia sicut Moyses fuit primus doctor Iudeorum, ita Paulus fuit primus doctor Gentium; & hoc verba Apost. designant, 2. ad Corinth. 12. *dixit enim se audiuisse arcana Dei, quæ non licet homini loqui, vt exponit August. in lib. 2. de videndo Deum, cap. 13. & epist. 112. & 12. super Genesim ad litteram, cap. 27. Dicit autem se raptum vsque ad tertium cælum*, scilicet ad cælum empyreum, vbi Angeli, & animæ Sanctorum fruuntur Dei contemplatione, quod dicitur tertium cælum respectu cæli siderei, quod partim est luminosum, partim diaphanum, & respectu cæli crystallini, quod totum est diaphanum: cælum enim empyreum est totum luminosum. 2. 2. *qu. 175. art. 3. & ad 1. 2. & 4. & qu. 13. de verit. art. 2.*

QVÆSTIO CXXXIX.

De Statu perfectionis in communi.

1. In quibus consistit perfectio Christiana?

PErfectio Christianæ vitæ essentialiter consistit in præceptis, sci-

scilicet in dilectione Dei, & proximi. Et ideo cum Dominus præcepta charitatis posuisset Matth. 5. subiungit: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Implet autem hæc præcepta, qui Deum præfert omnibus, vt vltimum finem; & ad subueniendum necessitatibus proximi corporalibus ita se habet, sicut ad subueniendum necessitatibus proprijs. Instrumentaliter autem perfectio consistit in consilijs, quia consilia sunt quasi quædam instrumenta, per quæ faciliùs ad perfectionem peruenitur. Vnde in collationibus Patrum *Abbas Moyses dicit: Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt*, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur *ad finem*. 2. 2. *quæst*. 184. *art*. 3. & *Quodl*. 4. *art*. 24. & *ad* 2. & *opusc*. 17. *cap*. 6.

2. Quomodo Religiosi, & Episcopi sunt in statu perfectionis?

Religiosi, & Episcopi sunt in statu perfectionis, quia ille propriè est in statu perfectionis, non qui habet perfectionem interiorem, quæ est secundùm charitatem, sed qui perpetuò cum aliqua solemnitate se obligat ad ea, quæ sunt perfectionis exterioris, & ideo aliqui sunt perfecti, qui non sunt in statu perfectionis: & aliqui sunt in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti, sed peccatores. Religiosi autem, & Episcopi perpetuò, & cum solemnitate se obligant ad ea, quæ sunt exterioris perfectionis. Religiosi quidem se obligant perpetuo voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ cum quadam solemnitate professionis, & benedictionis. Episcopi verò perpetuò se obligant ad pastorale officium cum solemnitate consecrationis, ad quod tria requiruntur. Primò quidem Episcopi ex officio sibi commisso tenentur inimicorum, & persequentium salutem procurare, cuius exemplum in Apostolis apparet, quorum sunt Episcopi successores, secundùm illud 1. Cor. 4. *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus*; quia nihil innocentius est eo, qui est in virtute perfectus. Secundò tenentur pro salute suorum subditorum animam ponere, vel exponendo se periculis mortis, vel vitam suam totaliter ordinando in vtilitatem subditorum, secundùm illud Ioannis 10. *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis*. Tertiò obligantur ad hoc, quod bona spiritualia proximis administrent, quasi mediatores Dei, & hominum constituti, vicem eius gerentes, qui est mediator Dei, & hominum Iesus Christus; vt dicitur 1. Tim. 2. *cad. q. art*. 4. & 5. & *Quodl*. 1. *art*. 14. *ad* 2. & 3. *Quodl*. 3. *art*. 17. & *opusc*. 18. *cap*. 15. & 16. & 20.

3. Quare presbyteri Curati non sunt in statu perfectionis?

Presbyteri curam animarum habentes non sunt in statu perfe-

ctionis, nec ratione Ordinis, nec ratione curæ. Non quidem ratione Ordinis, quamuis enim suscipiens sacrum Ordinem apud Occidentalē Ecclesiam expressè emittat continentiæ votum, quod est vnum eorum, quę ad perfectionem pertinent; ex ipso tamen Ordine non obligatur ad id, quod est perfectionis, sed accipit potestatē quosdam sacros actus perficiendi, vnde ex hoc non ponitur simpliciter in statu perfectionis. Neque sunt in statu perfectionis ex parte curæ, quia non perpetuò obligantur ad curam animarum, sicut Episcopi: & ideo Curati possunt eam dimittere etiam absque licentia Episcopi, si transeant ad religionem, 19. q. 1. *dua*, & cum licentia Episcopi possunt parochiam dimittere, & simplicem præbendam accipere sine cura. Episcopi autem, non possunt curam dimittere, nisi auctoritate Papæ, & ex certis causis, *de renunt. nisi iam pridem*, & 7. q. 1. *sicut*. Nec presbyteri Curati obligantur ad curam animarum cum aliqua solemnitate, sed cum simplici iniunctione. *ead. q. art. 6. & ad 2. & 4. sent. dist. 37. q. 1. art. 1. & Quodl. 3. art. 17. & opusc.* 18. *cap.* 20. & 23.

4. *Quare status Episcoporum est perfectior statu Religiosorum?*

STatus Episcoporum est perfectior, quàm status Religiosorum, quia semper agens perfectius est patiente. Episcopi autem se habent vt perfectiores; Religiosi verò vt perfecti, quorum vnum pertinet ad actionem; alterum autem ad passionem: & ideo licet transire à statu religionis ad statum Episcopalem, *ead. q. art.* 7. & *opusc.* 18. *cap.* 17.

QVÆSTIO CXXXX.

De Statu perfectionis Episcoporum.

1. *Quomodo appetere Episcopatum est præsumptuosum?*

IN Episcopatu tria possunt considerari, quorum vnum est principale, & finale, scilicet operatio Episcopalis, quæ est prodesse subditis, secundùm illud *Ioan. vltimo: Pasce oues meas*. Aliud est celsitudo gradus, siue dignitas, quia Episcopus super alios constituitur, secundùm illud *Matt.* 25. *Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Tertiùm est honor, & sufficientia temporalium, quæ consequenter se habent ad ista, secundùm illud 1. *ad Tim.* 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Appetere quidem Episcopatum ratione honoris, & sufficientiæ temporalium, est ambitiosum: & similiter appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus, quia dignitas Episcopalis præexigit charitatis perfectionem. Vnde Dominus à Petro quæsiuit, si plus eum ceteris diligeret; antequam ei prælationis officium committeret. Præsumptuosum autem est, vt quis perfectum se reputet, secundùm illud Apostoli Philip. 3. *Non quod iam acceperim: aut iam perfectus sim. Et si appetatur propter honorem, & celsitudinem gradus,*

dus, ut ultimum finem, secundùm Caietanum est peccatum mortale, sed ut id, quod est ad finem, scilicet ad curam animarum, est peccatum veniale, sicut si quis mouetur ad appetitum Episcopatus ratione honoris, & celsitudinis gradus, & cum hoc intendit facere debitum suũ circa curam animarum. Appetere autem operationem Episcopalem, est secundùm se laudabile, & virtuosum; sed quia habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat, ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente: quòd quidem contingit, vel quando imponitur à superiore, vel quando non inuenitur aliquis, qui velit onus prælationis subire, & appetens est dignus, ad quod sufficit, si nihil in se inueniat per quod ei illicitum reddatur assumere prælationis officium. Vnde *Esai. 6. videns se purgatum per altaris calculum cum dixisset Dominus, Quem mittam? & quis ibit nobis respondit? Ecce ego mitte me 8. q. 1. in scripturis*. Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quòd opus bonum cadat sub desiderio; non autem primatus dignitatis. *Vnde Chrysost. dicit super Matth. 35. Opus quidem desiderare bonum, bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret*. Non obstat, quod dicitur. *1. ad Tim. 3. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quia, ut exponit Greg. in Pastorali cap 8 hoc dixit Apost.* illo tempore, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur: & sic nihil aliud erat, quod in Episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. *2. 2. qu. 185. art. 1. & ad 1. & art. 3. & Quodl. 2. art. 11. & Quodl. 3. art. 9. & Quodl. 5. art. 22. & Quodl. 12. art. 18. & opusc. 18. cap. 9.*

2. Quare præsumptuosum est appetere Episcopatum, non autem statum religionis?

APpetere Episcopatum est præsumptuosum, quia ad statum Episcopalem præexigitur charitatis perfectio, ad hoc, quod alios possit ad perfectionem adducere. Sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. Vnde Dominus Matth. 19. non dixit, *Si es perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes; sed si vis perfectus esse*. Est autem præsumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet, non autem quod perfectionem desideret, & eam assequi velit. *ead. q. art. 1. ad 2. & Quodl. 3. art. 9. & opusc. 18. cap. 19.*

3. Quare non licet Episcopatum iniunctum recusare?

NOn potest aliquis absque peccato Episcopatum iniunctum recusare. Primò quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum vtilitati se aliquis debet exponere pro loco, & tempore. *Vnde Aug. dicit 19. de Ciuit. Dei cap. 19. Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quàm sarcinam si nullus imponit,*

ponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, sustinenda est propter charitatis necessitatem. Et in epist. 81. ad Eudosium, dicit Negotium vestrum necessitatibus Ecclesiæ non præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis. Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis, se subijcit superiorum mandatis. Potest tamen aliquis laudabiliter considerans proprium defectum, ex humilitate prælationis officium recusare, non tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. *ead. q. art. 2. & Quodl. 5. art. 22. & Quodl. 8. art. 6.*

4. *Quis assumendus est ad Episcopatum?*

EX parte eius, qui assumit, non requiritur quod eligat meliorem secundùm charitatem, sed meliorem ad regimen Ecclesiæ, qui, scilicet possit Ecclesiam instruere, defendere, & pacificè gubernare. Ex parte autem eius, qui assumitur, non requiritur quòd se reputet aliis meliorem, hoc enim esset præsumptuosum; sed sufficit, quòd nihil in se inueniat, per quòd illicitum ei reddatur assumere prælationis officium, quod est peccatum mortale, ignorantia, irregularitas, simonia, *quæ habentur de renunciatione, cap. nisi cum pridem*. Si autem inueniatur homo idoneus ad regimen Ecclesiæ, præcipuè attendi debet in ipso eminentia diuinæ dilectionis. Vnde Dominus committens Petro pastorale officium, quæsiuit ab eo ampliorem dilectionem, quia sciebat in Petro ex suo munere esse idoneitatem, etiam quoad alia gubernandi Ecclesiam. *ead. q. art. 3. & ad 1. & art. 4.*

5. *Quando licet Episcopo curam Episcopalem deserere?*

EPiscopus potest licitè deserere curam Episcopalem, & si vult, potest ad religionem transire, si non potest subditorum salutem procurare: quòd multipliciter contingit. Quandoque quidem propter defectum proprium, vel conscientiæ, si sit homicida, vel simoniacus; vel corporis, si sit senex, vel infirmus; vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam regiminis: vel etiam irregularitatis, si sit bigamus, & statuit *Conc. Trident. sess. 22. cap. 2. de reform.* Quandoque autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere. Quandoque autem contingit ex parte aliorum, puta cum de prælatione alicuius graue scandalum suscitatur, dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem, aut iustitiam Ecclesiæ conculcare. Huiusmodi autem causæ habentur *de renunt. nisi cum pridem*. Non potest autem Episcopus curam pastoralem deserere, & religionem intrare, vt solùm suæ saluti insistat, quandiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem, quia se obligauit ad hoc, quòd non solùm suam salutem, sed etiam aliorum procuraret. Licet etiam Episcopo corporaliter gregem deserere propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel imminens periculum personæ,

sonæ, si subditorum saluti possit sufficienter in eius absentia per alium prouideri. Vnde Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, mandauit Dominus Matth. 10. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Si autem subditorum salus exigat personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus pastor animã suam ponere teneatur pro ouibus suis. *ead. q. art. 4. & ad 1. & art. 5.*

6. *Quomodo tenetur Episcopus proprijs abrenuntiare?*

Episcopi non tenentur abrenuntiare proprijs in actu, quia in hoc non cosistit essentialiter perfectio, sed est quoddam perfectionis instrumentũ, vt dictũ est; sed tenentur abrenuntiare proprijs secundùm præparationem animi, quod directè pertinet ad perfectionem. Tenentur enim ad hoc, quòd omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam suorum bonorum cum gaudio sustinendo. Non obstat, quod dixit Dominus Apostolis Matth. 10. quorum successores sunt Episcopi: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*; quia non dixit hoc præcipiendo, sed permittendo, vt exponit *Augustinus de cons. Euang. cap. 30. Permisit enim eis, vt absque Proprijs sumptibus prædicarent Euangelium, accepturi sumptus vita ab his, quibus prædicabunt. 2. 2. q. 184. art. 7. ad 1. & q. 185. art. 6. & ad 2.*

7. *Quomodo Episcopus peccat, si fructus bonorum Ecclesiæ, qui ei supersunt, pauperibus non largiatur? & similiter clericus?*

Si bona Ecclesiæ, quæ debent in vsum Episcopi cedere, sunt ab his distincta, quæ pauperibus, & ministris, ac fabricæ Ecclesiæ sunt eroganda iuxta diuisionem, *cap. de reditibus.* 12. q. 2. & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ pauperibus debentur, vel sunt in vsum ministrorum, vel diuinum cultum exponenda, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. Si verò bona Ecclesiæ, quæ vsui Episcopi deseruire debent, non sunt ab his distincta, sed in communi possidentur, debet Episcopus accipere, quod sibi conuenit secundùm decentiam sui status: & alia ministris, & cultui Ecclesiæ, siue fabricæ, ac pauperibus dispensare. *cap. Episcopus. eadem causa. q. 1.* & si in modico excedat, aliquid plus sibi retinens, quàm oportet, excusatur à peccato, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet, si verò sit multus excessus, peccat mortaliter contra fidem dispensatoris. Et de his bonis loquuntur Canones. *eadem q. & Concil. Rom. sub Silu. Papa*, quod bona Ecclesiæ, vt communia, sunt in præfatos vsus fideliter dispensanda; respiciunt enim prædicti Canones ad antiquum sta-

rum, in quo communis vita inter clericos vigebat. Nunc etiam per Ecclesiæ determinationem in Conc. Lateranen. *sub Leone X. in bulla, quæ incipit*, Supernæ dispositionis. Monasteria Commendatariorum, quibus ea commendata sunt, se habent, vt bona communia, ita quòd si Commendatarij mensam habent separatam à mensa Conuentuali, quartam suæ mensæ partem pro fabricæ instauratione, siue pro ornamentis, vestibus, ac paramentis Ecclesiæ, aut pauperum alimonia; si verò mensa sit communis, tertiam partem omnium fructuum ipsorum monasteriorum pro prædictis oneribus supportandis, ac Monachorum sustentatione, omnibus alijs deductis oneribus, impartire teneantur. Si autem bona Ecclesiæ sunt specialiter vsui Episcopi deputata, eiusdem rationis sunt, ac bona propria, vt scilicet peccet ex inordinato modo vtendi, vel per excessum, si ea inutiliter consumat, vel per defectum, si immoderata sibi, vel suis retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis: non tamen tenetur ad restitutionem. Similiter Clericus si habet bona Ecclesiæ, quæ sunt specialiter suo vsui attributa, sicut sunt præbendæ, & alia huiusmodi, peccat per abusum: sed non tenetur ad restitutionem, sicut abutens bonis patrimonialibus. Et loquitur quoad fructus, etiam si sint multùm abundantes. Quod patet per gloss. communiter receptam in cap. præsenti de offic. ord. lib. 6. *quam sequitur* Rota *per Put. in dec.* 322. si Clericus habet beneficium cum administratione in vita, & prospera valetudine, assimilatur vsufructuario, facienti fructus suos, quos dare potest. In infirmitate verò, & morte comparatur vsuario, & ita habet vsum tantùm; & de talibus fructibus non potest testari, *cap. relatum*, 2. *de test.* Si autem Clericus est simpliciter, & personaliter beneficiatus, non habens administrationem, cui certa portio assignatur, non ratione beneficij, sed ratione personæ: tunc in vita, & morte facit fructus suos, de quibus potest testari; dummodo sint recollecti, ita colligitur *eodem tit. cap. requisisti* §. *illud*. Dicitur autem personaliter beneficiatus absque administratione, quantùm ad quotidianas distributiones, quæ dantur pro stipendio personali tantùm. Tales etiam sunt habentes Capellanias in certis Ecclesijs ad nutum amouibiles, & non in titulum, & pro labore annuatim suscipiunt certum stipendium. Similiter Clerici, qui in certis Ecclesijs conueniunt ad celebrandum, & locant operas suas; isti enim poterunt de talibus testari. *Gem. & Franc. de mai. & min. in d. cap. præsenti*. Eadem ratio est de fructibus Episcopo obuenientibus, vt scilicet viuens faciat eos suos; quod generalis consuetudo approbat, Ecclesia sciente, & non reclamante. Et sic intelligitur *cap. sint manifesta*, quod habetur ex Canonibus Apostolorum 12. *q.* 1. quod res propriæ, & res Ecclesiæ debent esse distinctæ, vt Episcopus moriens possit de proprijs, sicut voluerit, & quibus voluerit, sine interdictione derelinquere, quia de fructibus Ecclesiæ Episcopus non potest testari, sicut de bonis proprijs;

quamuis

quamuis in vita possit donare. *de test. cap.* 1. Vnde Episcopus, vel clericus, si de eo, quod suo vsui est deputatum, velit sibi subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud moderatè faciat, id est vt non indigeant; non autem ditiores inde fiant, & statuit *Conc. Trid. sess.* 25. *de refor. cap.* 1. sic enim peccaret contra charitatem, ex qua tenetur superflua pauperibus erogare: & ad hoc magis tenetur Episcopus, & curatus, quam qui aliorum curam non habet; huic enim sicut laico sufficit, si indigentibus qui sibi occurrunt, subueniat. Illi autem tenentur subditos inquirere egentes, quibus succurrant. Similiter Episcopus, vel clericus non peccat, si de rebus Ecclesiæ viuat, & patrimonialia bona consanguineis largiatur. In casu tamen necessitatis debet bona Ecclesiæ erogationi pauperum ministrare, & de patrimonialibus viuere. *cap. clericos* 1. *q.* 2. 2. 2. *q.* 33 *art.* 2. *ad* 4. *& q.* 185. *art.* 7. *& ad* 2. *&* 3. *& Quodl.* 6. *art.* 12. *& ad* 3. *& Quodl.* 8. *art.* 12.

8. Quomodo religiosus, qui promouetur in Episcopum, tenetur ad obseruantias regulares?

Religiosus, qui in Episcopum promouetur, tenetur ad obseruantias regulares, quæ non impediunt pontificale officium sed magis valent ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, ieiunia, habitus religionis, qui est obligationis signum, & alia huiusmodi. Sed non tenetur ad obseruantias regulares, quæ pontificali officio repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium. In alijs tamen potest secum dispensare, sicut Prælatus religionis, secundum quod requirit necessitas personæ, vel officii, vel conditio hominum, cum quibus viuit. *ead. q. art.* 8.

9. Cur religiosus, qui in Episcopum promouetur, non absoluitur à voto paupertatis, & obedientiæ?

Religiosus, qui fit Episcopus, sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tamquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ. Similiter etiam non absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat, sicut nec Abbas monasterij; qui tamen non est absolutus à voto obedientiæ. Et ideo si ei ligitimè aliquid precipiatur, obedire tenetur. *Et sic intelligitur ca. per tuas de voto, vbi consulitur Episcopo, qui post simplex votum religionis Episcopatum assumpserat, voto non impleto, vt si suam saluare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua, quia per votum simplex religionis Episcopus non est obligatus ad essentialia vota, sicut per votum solemne: & ideo oportet, vt profiteatur solemniter per ingressum religionis, quod per votum simplex præmisit.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4. *& ad*

vbi sup. art. 8. ad 3. & q. 189. art. 3. ad 1. & 4. sent. dist. 18. q. 1. art. 4. ad 5.

QVÆSTIO CXLI.

De statu perfectionis religionis.

1 *Quomodo paupertas requiritur ad perfectionem religionis?*

VOluntaria paupertas requiritur ad perfectionem religionis, quia status religionis est quoddam exercitium, per quod peruenitur ad perfectionem charitatis, ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis; qui enim res mundanas possidet, allicitur animus eius ad earum amorem 2. 2. q. 186. *art. 3. & opusc.* 18. *cap.* 7.

2. *Quomodo perpetua continentia requiritur ad perfectionem religionis?*

PErpetua continentia requiritur ad perfectionem religionis, quia ad statum religionis requiritur abstractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei seruitium. Vsus autem carnalis copulæ retrahit animum, ne totaliter feratur in Dei obsequium, vel propter vehementiam delectationis, vel propter solicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione vxoris, filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorū sustentationem sufficiant. *ead. q. art. 4. & opusc.* 18. *cap.* 9.

3. *Quomodo obedientia requiritur ad perfectionem religionis?*

OBedientia pertinet ad religionis perfectionem; quia oportet, quod religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicuius imperio, & instructioni subdantur: imperio autem, & instructioni alterius subijcitur homo per obedientiā. Ea autem, quæ ad vitam religiosam pertinent, sunt in triplici differentia, quædam pertinent ad ea, quæ in statutis regulę continentur: quædā verò pertinent, ad mutua obsequia, sine quibus status religionis seruari non posset: quædam pertinent ad pœnam transgressionis contra ista duo, in quibus omnibus tenetur religiosus superiori obedire. *ead. q. ar.* 5. *&* 2. *sent. dist.* 44 *q.* 2. *art.* 3. *& Quodl.* 10. *art.* 10. *& opusc.* 18. *cap.* 10.

4. *Quare votum obedientiæ est potissimum inter tria religionis vota?*

VOtum obedientiæ est præcipuum inter tria vota religionis, quia per votum obedientiæ homo offert Deo voluntatem, quę potior est, quàm corpus proprium, quod offert Deo per continentiam, & quàm res exteriores, quas offert per votum paupertatis. *Sunt autem hæc tria vota contra tria peccata, quæ sunt in mundo, secundùm illud* 1. *Io.* 2. *Omne quod est in mundo est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, scilicet diuitiæ, & superbia vitæ. Contra concupiscentiam carnis ordinatur votum continentiæ, contra concupiscentiam oculorum votum paupertatis, & contra superbiam vitæ votum obedientiæ, & ratio est, quia religiosus moritur mundo, & viuit Deo. ead. q. art.* 8.

5. Quando

5. *Quando transgressio obseruantiarum regularium obligat ad mortale?*

TRansgressio exteriorum obseruantiarum regularium, ad quas obligatur Religiosus ex voto professionis, sicut est paupertas, continentia, & obedientia, obligat ad mortale, quia se habent vt præcepta: Transgressio verò aliarum obseruantiarum, quæ se habent, vt statuta, sicut abstinentia à carnibus, quæ continetur in regula S. Benedicti, silentium post Completorium, & similia, non obligant ad mortale, nisi propter contemptum regulæ, vel propter præceptum oretenus à Prælato factum de ijs, quæ sunt in regula, vel quocumque modo ad regulam reducuntur; quia hoc esset facere contra obedientiæ votum: non enim Religiosus profitendo promittit se regulam seruaturum, quia sic se voto obligaret ad singula, quæ continentur in regula, & contra quodlibet eorum agendo, peccaret mortaliter; sed promittit obedientiam secundùm regulam. Tunc autem aliquis transgreditur ex contemptu regulæ, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi regulæ, & ex hoc inducitur ad faciendum contra regulam. Quando autem propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. Frequentia tamen peccati dispositiuè inducit ad contemptum, secundùm illud Prouer. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. & q. 186. art. 9. & ad 3. & *Quodl.* 1. art. 20. & *Quodl.* 10. art. 10.

6. *Quare religiosus eodem genere peccati grauiùs peccat, quàm secularis?*

PEccatum, quod à religiosis committitur, potest esse grauius peccato sæcularium eiusdem speciei. Primò quidem si sit contra votum religionis, puta si religiosus fornicetur, vel furetur, quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra votum paupertatis, & non solùm contra præceptum diuinæ legis. Vnde dicitur Hier. 23. *Contritum est cor meum in medio mei: Propheta namque & Sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum*. Secundò peccatum religiosi potest esse grauius propter scandalum, quia ad vitam eius plures respiciunt. Vnde dicitur Hier. 10. *In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij, & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua*. 2. 2. q. 186. art. 10.

QVÆSTIO CXXXXIII.

De His, quæ competunt religiosis.

1. *Quomodo religiosis est prohibitum sæcularia negotia tractare?*

REligiosis interdicitur sæcularia negotia tractare, sicut, & clericis, propter cupiditatem, siue

siue lucrum, non autem, propter charitatem cum debita moderatione secundùm Superioris licentiam, in ministrando, & dirigendo. Similiter religiosis non conuenit frequentare palatia Principum propter delitias, vel gloriam, vel cupiditatem: sed licet eis illa adire propter pias causas, vel ad Principes arguendos, & dirigendos, *sicut Ioannes Baptista arguebat Herodem, vt dicitur Matth. 14. 2. 2. q. 178. art. 2. & ad 3. & opusc. 19. cap. 19.*

2. *Quando religiosi tenentur ad opera manualia?*

Religiosi non tenentur manibus operari nisi in casu, quando aliunde victum habere non possunt sine peccato, vel furti, vel concupiscentiæ rei alienæ, vel turpis curæ iuxta præceptum Apost. *ad Eph. 4. 1. ad Thess. 4 & 2. ad Thess. 3.* Vel nisi ad laborem manuum per statuta sui ordinis obligentur. *ead. q. art. 3. & ad 2. & opusc. 19 cap. 5. & Quodl. 7. art. 17. & 18.*

3. *Quando religiosis licet de eleemosynis viuere?*

Religiosi licitè possunt de eleemosynis viuere, si necessitatem patiantur, vel propter corporis infirmitatem, ex qua non possunt sibi labore manuum victum quærere; vel propter insufficientiam eius, quod ex opere manuali conquirunt, vel propter pristinam conuersationem eorum, qui non consueuerunt manibus laborare. Possunt etiam de eleemosynis viuere, si exhibent aliquod spirituale, vel temporale. Primò quidem, si prædicent auctoritate Prælatorum. Secundò, si sint ministri altaris, & horis canonicis intersint. Tertiò, si instant studio sacræ Scripturæ ad communem vtilitatem totius Ecclesiæ. Quartò, si bona temporalia, quæ habent, monasterio largiuntur. Si verò aliqui sunt religiosi, qui absq; necessitate, & vtilitate, quam afferant, velint otiosi de eleemosynis, quæ dantur pauperibus, viuere, hoc est eis illicitum. *ead. quæst. art. 4. & Quodl. 7. art. 18. & opusc. 19. cap. 7. & decreuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 3.*

4. *Quare religiosis conuenit mendicare?*

Conueniens est religiosis mendicare. Primò quidem ex parte ipsius actus mendicationis, qui habet sibi quamdam abiectionem coniunctam, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam. Vnde & in pœnitentiam pro grauibus culpis iniungitur aliquibus, vt peregrinentur mendicantes. Secundò ex parte eius, quod mendicando acquirunt, si propter necessitatem mendicent, non habentes, vnde viuere possint, vel propter communem vtilitatem, sicut si intendunt ad aliquod vtile perficiendum, puta ad constructionem Ecclesiæ, & huiusmodi. *ead. q. art. 5. & opusc. 19. c. 7.*

5. *Quando religiosis licet eleemosynam facere?*

Religiosi, quibus aliquarum rerum dispensatio commissa est, vel

vel de fructibus possessionem communium, vel de eleemosynis particulariter eis collatis, possunt meritoriè de eis eleemosynam facere, secundùm quòd eis committitur, & huiusmodi eleemosyna est etiam meritoria eis, qui minime ministerium exequuntur, quorum vsibus tales res deputatæ noscuntur. Si verò aliquis religiosus sit, cui non sit huiusmodi rerum dispensatio commissa, ei non licet eleemosynam facere sine licentia Superioris, vel expressa, vel probabiliter præsumpta, nisi in articulo extremæ necessitatis, vel Superiore absente, aliquam modicam sub spe ratihabitionis, & statuit *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 2. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. *&* 4 *sent. dist.* 15. *q.* 2. *art.* 5. *q.* 3. *& Quodl.* 3. *art.* 15.

6. *Quare licet religiosis vilibus vestibus vti?*

Religiosis licet vilibus vestibus vti in signum pœnitentiæ, & contemptus mundanæ gloriæ ad sui humiliationem, & exemplum aliorum. Si autem eas deferunt propter inanem gloriam, est eis illicitum. 2. 2. *q.* 187. *art.* 6. *& opusc.* 19. *cap.* 8. *& Quodl.* 10 *art.* 14.

QVÆSTIO CXXXXIII.

De Diuersitate religionum.

1. *Quomodo religiones distinguuntur?*

Diuersitas religionum vel est secundùm diuersos fines, ad quos religiones ordinantur, sic vt vna religio ordinetur ad docendum, & prædicandum, & ad confessiones audiendum, alia ad contemplandum, alia ad militandum propter defensionem diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, alia ad peregrinos hospitio suscipiendos, alia ad visitandos, vel redimendos captiuos: Vel est secundùm diuersitatem exercitiorum, puta quòd in vna religione castigatur corpus per abstinentiam ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, vel aliquid aliud huiusmodi. 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. 3. 4. *&* 6. *& opusc.* 19. *cap.* 2. *&* 4.

2. *Quæ religio præeminet alijs?*

Primum gradum in religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quia sunt propinquissimæ perfectioni Episcoporum. Secundum autem tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones; & inter has non est potior religio ex hoc, quod habet arctiores obseruantias; sed ex hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem religionis, sicut ad continentiam efficaciùs ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim, quàm per subtractionem vestium, quæ pertinent ad frigus, & nuditatem, & per corporalem laborem. *ead. q. art.* 6. *& ad* 3.

QVÆ-

QVÆSTIO CXXXXIV.

De Religionis ingressu.

§. 1. Quomodo tenetur aliquis implere votum, quo se ad religionis ingressum obligauit?

TEnetur quis votum implere, quo se ad religionis ingressum obligauit; quia votum est promissio Deo facta de his, quæ ad Deum pertinent, vt dictum est: Ingressus autem religionis maximè ad Deum pertinet, quia per hoc homo totaliter mancipatur diuinis obsequijs. Vnde qui se obligat ad religionis ingressum, tenetur religionem intrare secundùm quod se voto obligare intendit; ita scilicet, quod si intendit se absolutè obligare, tenetur quàm citius poterit ingredi, legitimo cessante impedimento. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, tenetur religionem ingredi tempore adueniente, vel conditione existente. Si autem intendit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem: si non potest ibi recipi, tenetur aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, si non recipitur in ipsa, non tenetur aliam religionem intrare, *nec tenetur secundùm Sot. prouinciam peragrare, sed sufficit, si adeat plures conuentus religionis, qui sunt in illa ciuitate, aut prope.* Similiter si intendit se ad hoc monasterium obligare propter specialem complacentiam huius monasterij, non tenetur aliud intrare, si ibi recipi non potest. *Nec in eo casu tenetur seruare castitatem, sicut nec paupertatem, secundùm Caietanum in Summa, verb. matrim. Quia votum castitatis non includitur principaliter in voto religionis, sed per consequens ad statum religionis; quamdiu scilicet aliquis est in tali statu. Similiter si publicè constet, quod in aliquo monasterio non seruatur regularis disciplina, sed quilibet viuit ad placitum, & reputantur mala conscientiæ fere omnes, ille qui vouit, non tenetur tale monasterium intrare, scriptum est enim: Cum peruerso peruerteris, & tenet Nauar. cap. 12. num. 46.* Si autem dubitet quomodo se in vouendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne discrimini se committat, *de sponf. cap. iuuenis.* Si quis autem est in religione professus, non est expellendus, nisi post contumaciam, siue incorrigibilitatem, & tunc manet tutus in sæculo, si seipsum correxit, & petijt, vt in religionem reciperetur, secundùm Sot. *lib. 7. de iust. & iur. q. 2. art. 1. quidquid dicit Nauar. de regul. cons.* 80. Non est autem absolutus à voto paupertatis, quia nihil debet habere, vt proprium, vt auctor habet. Neque ex eodem auctore est absolutus à voto obedientiæ sui Prælati, vt etiam S. Bonau. aduertit super regulam S. Benedicti *cap.* 29. & expressè colligitur *de regul. cap. fin.* ibi, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Quòd non solùm intelligendum est de voto essentiali obedientiæ, quòd quidem est de iure diuino, sed etiam de actibus obedientiæ, quoad

quoad vim directiuam, ad quos eiectus tenetur, quousque aliam profiteatur religionem, vt magister Humbertus tenet super regulam *S. Augustini cap. 99. Vnde dicit Silu. verb. apostasia qu.* 10. si sit spes emendationis, tenetur Prælatus eiectum repetere, & cogere ad redeundum, *& Anton. 3. par. tit.* 16. *cap.* 5. dicit, quod eiecti non sunt in derelicto habendi, sed reuerti volentes sunt ad religionem admittendi, nisi regula contradicat. Est nihilominus, excepto voto continentiæ, ab alijs obseruantijs regularibus absolutus, quia ad eas non tenebatur nisi ratione religionis, à qua est exclusus, vt tenet Sot. loco citato. Si autem propter rationabilem causam in religionem non recipitur, potest in sæculo remanere sub Episcopi obedientia quoad vim coactiuam, quia regulares extra monasterium degentes coram locorum ordinarijs conueniri, & compelli possunt ex Conc. Trid. *sess.* 7. *cap.* 14. *de refor.* 2. 2. q. 88. *art.* 2. *ad* 4. *& art.* 3. *ad* 2. *& qu.* 185. *art.* 8. *ad* 3. *& qu.* 189. *art.* 3. *& ad* 2. *&* 4. *sent. dist.* 38. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 6. *& art.* 4. *ad* 5. *& Quodl.* 3. *art.* 12.

2. Quando aliquis, vouens ingredi religionem, tenetur in ea perpetuò manere?

SI vouens intendit se obligare non solùm ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuò remanendum; tenetur perpetuò remanere, *de regul. cap. statuimus.* Si autem intendit se obligare ad religionis ingressum causâ experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, non tenetur remanere. Si verò in vouendo simpliciter de ingressu religionis cogitauit, videtur obligari ad ingressum religionis secundùm formam iuris communis, quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis, *cap. ad nostram. eodem tit. & statuit Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. & sic non tenetur perpetuò in religione remanere. Tenetur tamen intrare animo probandi, an ei expediat remanere; & ideo si intrat, vt statim exeat, non videtur satisfacere suo voto. 2. 2. *q.* 189. *art.* 4. *& ad* 3.

Ex his reijcitur opinio Sot. lib. 7. de iust. & iur. q. 2. art. 1. circa finem quòd si aliquis vouet ingredi religionem, & perseuerare, obligatur secundùm formam iuris vt experiatur, an sibi expediat remanere.

3. Quomodo aliquis remanens in religione post tempus probationis absq; expressa professione; obligatur ad votum seruandum?

SI aliquis post tempus probationis in religione remaneat, & ore non profiteatur votum, obligatur ex voto interpretatiuo in omni casu ad tria vota religionis principalia, scilicet obedientiæ, paupertatis, & continentiæ: ad alias autem obseruantias non videtur obligari, si earum transgressio dissimuletur à Prælato, & præcipuè si sit simplex, qui talia discernere sufficienter nesciat, nisi fortè propter aliquam causam fuerit sibi annus probationis protelatus, vel consueuerit alijs protelari;

telari; quia tunc non facit votum interpretatiuum vltra annum stans 4. *sent. dist.* 38. *art.* 3. *ad* 5.

4. *Quando licitum est parentibus vel filio religionem intrare?*

PArentibus non licet ingredi religionem, nisi prouideant filijs, qualiter educari possint; quia per se eis conuenit, vt filiorum curam habeant. Filius autem si timet, se non posse sine periculo peccati mortalis in sæculo conuersari, licitum est ei religionem intrare, non obstante parentum necessitate, quia magis tenetur saluti propriæ spirituali prouidere, quàm corporali necessitati parentum. Si autem videt se posse in sæculo remanere sine peccato mortali, tunc si sine eius obsequio parentes sustentari non possunt, non est licitum ei religionem ingredi; & si intraret, teneretur egredi; quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum. Si verò sine eius obsequio parentes aliqualiter sustentari possunt, licitum est ei, desertis parentibus, ad religionem transire; quia filius tenetur ad sustentationem parentum per accidens, inquantum scilicet sunt in aliqua necessitate. Si autem filius est in religione professus, parentibus postea indigentibus, non peccat contra præceptum Dei, si in claustro remaneat sub præcepto Prælati sui, parentum obsequio prætermisso, quia reputatur mortuus mundo: & ideo à mundanis obsequijs deobligatur. Debet tamen quantùm potest, salua sui Prælati obedientia, & suæ religionis statu, pium studium adhibere, vt per se, vel per alium suis parentibus subueniatur. 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. & *q.* 189. *art.* 6. & 4. *sent. dist.* 38. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 2. & *Quodl.* 3. *art.* 16. *Quodl.* 10. *art.* 9.

5. *Quando debitor potest religionem intrare?*

SI aliquis sit obligatus, vt certum debitum reddat, facultate existente, non potest illud debitum licitè prætermittere, vt religionem ingrediatur: si autem non habeat vnde reddat, tenetur facere quod potest, vt scilicet cedat bonis suis creditori; quia propter pecuniam secundùm iura ciuilia persona hominis liberi non obligatur, quæ superat omnem æstimationem pecuniæ, sed obligatur solùm res; & tunc licitè potest religionem intrare; alias autem recipiens obligatum ad debita, tenetur ea soluere. 2. 2. *q.* 189. *art.* 6. *ad* 3. & 4. *sent. dist.* 38. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 7.

6. *Quare ingrediens religionem, non tenetur vota seruare, quæ fecit in sæculo?*

INgrediens religionem, non tenetur seruare vota, vel ieiuniorum, vel orationum, vel peregrinationis etiam Terræ sanctæ, vel aliorum huiusmodi, quæ existens in sæculo fecit, quia moritur priori vitæ: & etiam singulares obseruantiæ religioni non competunt; & religionis onus satis hominem onerat, vt alia superaddere non oporteat. Similiter

militer professus in minori religione, non tenetur implere votum simplex, quòd emisit de intrando maiorem religionem, quia votum solemne est fortius, quàm votum simplex. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. *& q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. *& art.* 8. *ad* 3. *&* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 3. *ad* 2.

7. *In quibus casibus licitum est de vna religione transire ad aliam?*

IN tribus casibus potest aliquis laudabiliter de vna religione ad aliá transire. Primò quidem zelo perfectioris religionis, in quo debet propter humilitatem licentiam petere, quæ ei negari non potest. *cap. licet de regul.* Secundò propter declinationem religionis à debita perfectione, puta si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius viuere, tunc enim laudabiliter transit ad religionem etiam minorem, si melius obseruetur: & in hoc casu est superioris iudicium inquirendū. Tertiò propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum non potest aliquis arctioris religionis statuta seruare; posset autem seruare statuta religionis laxioris: & in hoc est necessaria dispensatio. 2. 2. *q.* 189. *art.* 8 *& statuit Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 19.

Finis Secundi Libri.



O DE

DE CVRA ANIMARVM LIBER TERTIVS.

Post Decisionem Quæstionum de gratia, virtutibus, & vitijs, de Sacramentis, quæ gratiam conferunt, virtutes restituunt, & peccata remittunt, quæstiones subsequantur.

QVÆSTIO I.

De Sacramentis in communi.

1. *Quid est Sacramentum?*



ACRAMENTVM est signum sensibile rei sacræ, hoc est sanctificationis actiuæ, inquantum est sanctificans homines per ministerium humanum, & docet *Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. Vnde in primitiua Ecclesia missio Spiritus Sancti, vt doni sanctificationis, per visibile signum, non erat Sacramentum, quia illa sanctificatio non fuit hominibus exhibita per ministerium humanum, sed diuinum.* Dicitur autem signum nostræ sanctificationis tripliciter, vel quantum ad primam causam sanctificationis, quæ est Passio Christi; & quantum ad hoc, est signum rememoratiuum: vel quantum ad effectum sanctificationis, scilicet gratiam; & sic est signum demonstratiuum: vel quantum ad vltimum finem sanctificationis, qui est æterna gloria: & sic est signum prognosticum, siue prænuntiatiuum. *3. p. q. 60. art. 1. 2. 3. & 4. & 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. & ad 3. & 4. & dist. 14. q. 1. art. 1.*

2. *Quomodo in Sacramentis nouæ legis requiruntur determinata res, & determinata verba?*

IN Sacramentis nouæ legis requiruntur determinatæ res sensibiles ex diuina institutione, quæ se habent per modum materiæ: & determinata verba, quæ se habent per modum formæ: & hoc congruit eis. Primò quidem ex parte causæ sanctificationis, quæ est Verbum Incarnatum, quia in Sacramento rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei vnitum. Secundò conuenit Sacramento, quod verba rebus sensibilibus adiungantur ex parte hominis, qui sanctificatur, qui

qui componitur ex anima, & corpore, quia sacramentalis medicina per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. *Vnde August. dicit super illud Ioannis 15. Iam vos mundi estis*. Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, scilicet secundùm exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, scilicet secundùm sensum verborum, qui fide tenetur. Tertiò ex parte significationis sacramentalis, quia ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinetur: aqua enim potest significare, & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: *Ego te baptizo*, manifestatur, quòd aqua vtimur in baptismo ad significandam spiritualem emundationem. *ead. q. art. 5. 6. 7. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 3.*

3. Quando per corruptionem verborum, siue per additionem, vel diminutionem, siue per interruptionem, vel transpositionem tollitur veritas Sacramenti?

PEr corruptionem verborum, siue per additionem, vel diminutionem potest tolli veritas Sacramenti dupliciter: Vno modo ex parte eius, qui profert verba, si ea ex industria corruptè proferat, quia non videtur intendere facere, quòd facit Ecclesia. Et eadem ratione si ex intentione addat, vel diminuat verba, intendens nouum ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, quia sic non videtur quòd intendat facere, quòd facit Ecclesia. Alio modo potest tolli veritas Sacramenti ex parte significationis verborum, si sit tamen magna corruptio, quæ omnino tollat sensum verborũ, & hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis, puta si loco eius, quòd est in nomine Patris, dicat in nomine Matris. Si autem sit tàm pauca corruptio, quòd non tollat sensum verborum, perficitur Sacramentum, & hoc, cum fit corruptio in fine dictionis; puta si aliquis dicat in nomine patria, & filia. *cap. retulerunt de cons. dist. 4.* Similiter si sit tàm magna additio, quæ tollat sensum verborum, non perficitur Sacramentũ, puta si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, sicut Arriani baptizabant. Si autem sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur veritas Sacramenti, sicut si quis dicat: Ego te baptizo: in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracliti. Similiter per diminutionem tollitur veritas Sacramenti, si tollatur sensus verborum, quòd contingit, si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ; puta si quis ita baptizet, vt prætermittat aliquam personam Trinitatis. Si autem subtrahatur aliquid, quòd non sit de substantia formæ, sicut si in forma Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim corpus meum, auferatur illud [enim] talis diminutio non tollit debitum

O 2 sen-

sensum verborum. Per interruptionem etiam verborum tollitur sensus, & per consequens tollitur veritas Sacramenti, si sit tanta, quòd intercipiatur intentio pronuntiantis, sicut si dicatur in nomine Patris, & interponatur longa fabula, & postea dicatur, & Filij. Si autem sit parua interruptio verbi, sicut si dicatur in nomine Patris omnipotentis, vel sit interruptio tussis, vel alicuius huiusmodi, quod intentionem proferentis non auferat, non tollitur debitus sensus. Et idem etiam est dicendum de transpositione verborum; quia si tollit sensum verborum, non perficitur Sacramentum. *ead. q. art. 7. ad 3. & art. 8. ad 2. & 3. & 4. sent. dist. 3. art. 2. ad 6. & q. 2. & 3. ad 1. & 2.*

QVÆSTIO II.

De Necessitate Sacramentorum.

1. *Cur ante peccatum non fuerunt homini necessaria Sacramenta?*

Homo ante peccatum in statu innocentię non indigebat Sacramentis, nec pro remedio peccati, nec pro perfectione animæ; quia in illo statu superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis, sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc ordinem esset, si anima à Sacramentis perficeretur, vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam, per aliquid corporale, quòd fit in Sacramentis. *3. p. q. 61. art. 2.*

2. *Quomodo Sacramenta fuerunt necessaria post peccatum ante Christi aduentum?*

Post peccatum ante Christi aduentum fuerunt necessaria Sacramenta, quia post peccatum nullus potest saluari, nisi per fidem Christi, secundùm illud Paul. *ad Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.* Et ideo ante Christi aduentum, scilicet in lege naturæ, & in lege scripta, oportuit esse quædam signa visibilia, quæ dicuntur Sacramenta, quibus homo fidem Christi venturi protestaretur. Diuersimodè tamen, quia in lege scripta erant Sacramenta magis determinata, quàm in lege naturæ. In lege enim naturæ erant quædam Sacramenta necessitatis, sicut circumcisio, quæ ordinabatur ad deletionem Originalis peccati, & pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem a ualis; & similiter matrimonium, quòd ordinabatur ad multiplicationem generis humani. In lege autem scripta erant determinata matrimonia, & pœnitentiæ satisfactiones distinctæ, & hoc erat necessarium, quia per incrementa temporum peccatum cœpit in homine magis dominari, in tantùm, quòd ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad rectè viuendum præcepta legis naturæ, & aliqua Sacramenta, indeterminata, sed necesse fuit in lege scripta determinari præcepta, & cum his quædam fidei Sacramenta. *ead. q. art. 3. & ad 2. & 4. sent. dist. 1. art. 2. q. 2. ad 2. & q. 3.*

3. *Quomodo Sacramenta fuerunt necessaria post Christi aduentum?*

POst Christi aduentum debuerunt esse aliqua Sacramenta, quia sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & etiam nos saluamur per fidem Christi iam nati, & passi. Et ideo oportet quædam alia Sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo. *ead. q. art. 4. & 4. sent. dist. 1. art. 2. q. 4.*

QVÆSTIO III.

De Principali effectu Sacramentorum?

1. *Quomodo Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ?*

SAcramenta nouæ legis non solùm significant, sed etiam causant gratiam, non quidem principaliter ex propria virtute; quia sic non potest causare gratiam nisi Deus; sed instrumentaliter ex virtute passionis Christi, quæ per ipsa operatur. *Vnde ad Tit. 3. dicitur. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & docet Conc. Trid. sess. 7. can. 6. de Sacramentis.* Et quia instrumentum non facit operationem instrumentalem ex virtute principalis agentis, nisi exercendo propriam operationem secundùm propriam virtutem, sicut securis non facit lectum, quæ est operatio instrumentalis, nisi scindendo per propriam operationem, quam habet ratione suæ actiuitatis: Ideò Sacramenta conferunt gratiam instrumentaliter ex virtute diuina, exercendo circa corpus, quòd tangunt, propriam operationem secundùm propriam virtutem, sicut aqua abluendo corpus secundùm propriã virtutem, abluit animam, inquantum est instrumentum diuinæ virtutis. *3. par. q. 62. art. 1. & ad 2. & art. 6. & 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 4. & q. 1. & 4. cont. gent. cap. 57. & q. 27. de ver. art. 4. & Quodl. 12. art. 15.*

2. *Quomodo gratia sacramentalis aliquid addit super gratiam virtutum, & donorum?*

GRatia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, virtutum, & donorum quoddam diuinum auxilium ad consequendum specialem effectum cuiuslibet Sacramenti. *ead. q. art. 2. & ad 1. & 3. & q. 72. art. 7. ad 3. & 4. sent. vbi supra, art. 4. q. 3.*

3. *Quomodo in Sacramentis est aliqua virtus ad causandam gratiam?*

IN Sacramentis est aliqua virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Hæc autem virtus non habet esse permanens, sed transiens in hominem, qui sanctificatur. *ead. q. art. 4. & 4. sent. vbi sup. art. 4. quæst. 1. & q. 27. de verit. art. 7.*

4. *Quomodo sacramenta habent virtutem ex passione Christi?*

SAcramenta habent virtutem ex passione Christi, quia humanitas

tas Christi est instrumentum coniunctum eius diuinitati: sacramenta autem sunt instrumenta separata. Instrumentum autem separatum mouetur per coniunctum, sicut baculus per manum, & ideo oportet, quòd sacramenta specialiter habeant virtutem à diuinitate Christi per eius humanitatem in cuius signum de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & sanguis, quorum vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta, *ead. q. art.* 5. *&* q. 64. *art.* 3. *&* 4. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 4. q. 2.

5. *Quomodo sacramenta veteris legis conferebant gratiam?*

SAcramenta veteris legis conferebant gratiam, inquantum significabant fidem Passionis Christi futuræ. Non tamen habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam, sicut habent sacramenta nouæ legis. *ead. q. art.* 6. *& ad* 3. *&* 4 *sent. vbi sup. art.* 3.

QVÆSTIO IV.

De secundario effectu sacramentorum.

1. *Quomodo sacramenta noua legis imprimunt characterem in anima?*

SAcramenta nouæ legis imprimunt characterem, inquantum per ea homines accipiunt potestatem recipiendi diuina, quæ est potestas passiua, vel alijs tradendi; quæ est potestas actiua: quia per ea deputantur homines ad diuinum cultum, secundùm ritum Christianæ religionis. Cultus autem diuinus consistit, vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs 3. *part. quæ.* 63. *art.* 1. *&* 2. *&* 4. *sent. dist.* 4. *q.* 1. *art.* 1.

2. *Quomodo character est in potentia animæ?*

CHaracter non est in essentia animæ, sed in potentia, scilicet in intellectu, sicut in subiecto, quia character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad recipiendum, vel alijs tradendum ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, qui consistit in quibusdam actibus; ad actus autem ordinatur potentia animæ; sicut essentia ordinatur ad esse. *ead. q. art.* 4. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3.

3. *Quomodo character est in potentia animæ indebiliter?*

CHaracter est in potentia animæ indelebiliter ex parte causæ, quia est quædam participatio sacerdotij Christi, à quo deriuatur character, sicut quædam instrumentalis virtus actiua, vel passiua, ad tradendum, vel recipiendum ea, quæ pertinent ad diuinum cultum; à sacerdotio enim deriuatur totus ritus Christianæ religionis; sacerdotium autem Christi est æternum, secundùm illud Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum*. Et ideo omnis sanctificatio,

ratio, quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente, quod patet etiam in rebus inanimatis. Nam Ecclesiæ, vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. *de cons. Eccl. cap. quod in dubijs, ead. q. art. 3. & 5. & ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 3. ad 1.*

4. *Qua sacramenta imprimunt characterem?*

NOn omnia sacramenta imprimunt characterem, sed tria tantum, *Baptismus, confirmatio, & Ordo*; quia per baptismum homo accipit potestatem passiuam recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta, vnde dicitur esse ianua omnium sacramentorum. Per sacramentum autem Ordinis homo accipit potestatem actiuam ad sacramentorum dispensationem. Per confirmatiōnē vero accipit potestatē ad aliquas sacras actiones, scilicet confitendi nomen Christi publicè, *ead. q. art. 6. & q. 72. art. 5. & ad 2. & 4. sent. vbi supra, art. 4. q. 2. & declarat Concil. Trident. sess. 7. de sacram. can. 9.*

QVÆSTIO V.

De Causa sacramentorum?

1. *Quare sacramentorum institutor est Christus?*

SAcramenta sunt à Christo instituta, quia ille potuit sacramenta instituere, qui dedit eis virtutem: Christus autem, vt Deus, dedit virtutem sacramentis. Vnde solus Christus potuit sacramenta instituere, & statuit Concil. *Trid. sess. 7. de sacramen. can. 1. 3. par. q. 64. art. 2. & 3. & 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 4. q. 4.*

2. *Quomodo Christus operatur in Sacramentis?*

CHristus, secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem: sed secundum quod est homo, operatur meritoriè, & efficienter per modum instrumenti, inquantum humanitas Christi est instrumentum coniunctum eius diuinitati in persona. Et ideo inquantum homo, habet potestatem ministerii principalis, siue potestatem excellentiæ respectu ministrorum Ecclesiæ, quæ quidem consistit in quatuor. Primò, quod meritum, & virtus passionis eius operatur in sacramentis. Secundò, quod in nomine eius sacramenta sanctificantur. Tertiò, quòd ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit ea instituere. Quartò, quòd potuit effectum sacramentorum, scilicet gratiam, sine exteriori Sacramento conferre: *ead. q. art. 3. & 4. sent. dist. 5. q. 1. art. 1.*

3. *Quare possunt sacramenta conferri per malos ministros?*

SAcramenta possunt conferri per malos ministros, quia non agunt in virtute propria, sed in virtute Christi. Et docet Conc. Trid. *sess. 7. de sacramentis can. 12.* Peccat tamen mortaliter ministrans sacramenta in peccato mortali ex officio

absque contritione, propter irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantùm est ex parte ipsius peccatoris, nisi baptizaret in casu necessitatis, in quo posset etiam laicus baptizare, quia sic non gereret ministrum Ecclesiæ, sed subueniret necessitatem patienti. Secus autem est in alijs sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. *ead. q. art.* 5. *& 6. & ad 3. & art. 9. &* 4. *sent. dist.* 5. *q.* 2. *art.* 2. *& q.* 1. 2. *&* 3. *ad* 4.

4. *Quare intentio ministri requiritur ad perfectionem sacramenti?*

INtentio ministri requiritur in quolibet sacramento non solùm ad effectum sacramenti, consequendum, sed ad sacramenti perceptionem, quia ea, quæ in sacramentis aguntur, possunt ad multa ordinari, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & alia huiusmodi, & ideo oportet, quòd determinentur ad vnum, scilicet ad sacramentalem effectum, per intentionem ministri. *ead. q. art.* 8. *&* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2.

5. *Quomodo intentio ministri requiritur ad perfectionem sacramenti?*

AD perfectionē sacramenti sufficit intentio virtualis ministri, quæ est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & declarat Conc. Trid. *sess.* 7. *cap.* 11. Vnde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum, dummodo contraria intentio non interuenerit, quamuis studiosè curare debeat sacramenti minister, vt etiam actualem intentionem adhibeat. *ead. q. art.* 8. *ad* 1. *&* 3. *&* 4. *sent. vbi sup. ad* 4.

6. *Quomodo suscipiens sacramentum est certus de intentione ministri?*

SVscipiens sacramentum est certus de intentione ministri per verba, quæ ipse minister profert, in quibus exprimitur intentio Ecclesiæ, cuius est minister, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti ex parte suscipientis sacramentum, vt scilicet certus sit ministrum habuisse interiorem intentionem, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum. *ead.* q. *art.* 8. *ad* 2. *& art.* 10. *&* 4. *sent. vbi sup. ad* 2.

7. *Quare infidelis potest esse minister sacramenti?*

INfidelis potest esse minister sacramenti, dummodo alia adsint, quæ sunt de necessitate sacramenti scilicet materia, forma, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia; quia minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cuius fide suppletur id, quod deest fidei ministri. Et ideo talis Infidelis confert quidem sacramentum, sed non confert rem sacramenti, si sit manifestè ab Ecclesia præcisus, quia ex hoc, quod aliquis ab eo sacramentum

tum

rum accipit, peccat, & per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. *ead. q. art. 9. & ad 1. & 2. & 4. sent. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. & statuit Conc. Trid. sess. 7. can. 4. de baptism.*

QVÆSTIO VI.

De Numero sacramentorum.

1. *Quot sunt Ecclesiæ sacramenta?*

SAcramenta nouæ legis sunt septem, *Baptismus, confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.* Quorum prima quinque ordinantur ad perfectionem vnius hominis in seipso: Alia verò duo, scilicet *Ordo, & Matrimonium*, ordinantur ad perfectionem, & multiplicationem totius Ecclesiæ. Et hoc facile ostenditur ex conformitate, quam spiritualis vita habet ad corporalem; in vita enim corporali perficitur homo in seipso. Primò quidem per generationem, qua incipit esse, & viuere, loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intreire in regnum Dei.* Secundo perficitur homo per augmentum, quod perducitur ad quantitatem, & virtutem perfectam, & secundùm hoc in spirituali vita est Confirmatio. Vnde dicitur discipulis iam baptizatis *Luc. vltimo: Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Tertio perficitur homo per nutritionem, qua conseruatur vita, & virtus, & sic in spirituali vita est Eucharistia secundùm illud Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et quia frequenter homo infirmatur, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate, quæ quidẽ est duplex. Vna est, quæ restituit sanitatem, & loco huius in vita spirituali est Pœnitentia, secundùm illud Psalm. 4. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Alia est, quæ restituit pristinam valetudinem per conuenientem dietam, & exercitium, & sic in spirituali vita est extrema vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias. Perficitur etiam homo in vita corporali in ordine ad totam communitatem. Primò quidem per hoc, quòd accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos, & loco huius in spirituali vita est Ordo, secundum illud Heb. 7. *Sacerdotes hostias offerunt, non solùm pro se, sed etiam pro populo.* Secundò quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium *3. par. q. 65. art. 1. & 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 2. & opusc. 5.*

2. *Quæ sacramenta sunt de necessitate salutis*

TRia sacramenta sunt de necessitatis salutis: Duo quidem sunt necessaria singulari personæ: Baptismi quidem simpliciter, & absolutè. Pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ; quia vbi non est

est gubernator, populus corruet, vt dicitur Prou. 2. Alia autem Sacramenta sunt ad bene esse spiritualis vitæ: nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, & Extrema vnctio pœnitentiam. Matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem conseruat per propagationem. *ead. q. art.4. & 4. sent. dist. 7. q. 1. art. 1. q. 1.*

QVÆSTIO VII.

De Sacramento Baptismi ?

1. *Quid est Baptismus ?*

BAptismus est ablutio corporis exterior facta sub certa forma verborum; quia perficitur in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio, & hæc est Sacramentum. *3. par. q. 66. art. 1. & 4. sent. dist. 3. art. 1.*

2. *Quando baptismus fuit à Christo institutus ?*

BAptismus fuit institutus quantùm ad ipsum Sacramentum, quando Christus est baptizatus, quia tunc accepit virtutem conferendi gratiam: sed quantùm ad vsum, habuit vim obligandi post Passionem, & Resurrectionem. *Matt. vltimo:* quia per Baptismū configuratur homo Passioni, & Resurrectioni Christi, inquantùm moritur peccato, & incipit nouam vitam iustitiæ. *ead. q. art. 2. & 4. sent. vbi sup. art. 5. q. 1.*

3. *Quomodo aqua est conueniens materia baptismi ?*

AQua est conueniens materia baptismi, secundùm illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Primò quidem, quia proprietates aquæ competunt effectibus Baptismi. Nam sua humiditate lauat, ex quo conueniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum: Sua frigiditate temperat superfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam cōcupiscentiam fomitis: Sua diaphaneitate est luminis susceptiua; vnde competit Baptismo, inquantum est fidei Sacramentum. Secundò aqua est conueniens materia necessitati huius Sacramenti ratione suæ communitatis, & abundantiæ; potest enim vbique de facili haberi. *ead. q. art. 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3. & decreuit Conc. Trid. sess. 7. can. 2. de bap.*

4. *Quomodo aqua simplex requiritur ad baptismum ?*

IN qualibet aqua transmutata per artem, siue per alterationem, siue per mixtionem, potest fieri baptismus, si non soluatur species aquæ, sicut in lixiuio, quod ab alia aqua non differt, nisi in hoc, quòd per cineres transiuit; si verò soluatur species aquæ, sicut vinum lymphatum, quòd magis habet speciem vini, quàm aquæ, non potest fieri baptismus. Similiter etiam in aqua transmutata per naturam, tàm per alterationem, quàm etiam permixtionem, potest fieri baptismus, si non soluatur species aquæ, sicut est aqua calefacta à Sole, vel aqua Fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium, vel aqua sulphureorum balneorum, quæ alterationem recipit ex hoc, quòd transit per mine-

ras sulphureas. Si verò soluatur species aquæ, sicut lutum, quòd magis est terra, quàm aqua, vel aqua rosacea, quæ est liquor rosæ resolutus, vel aqua alchimica, non est debita materia baptismi. *ead. q. art. 4. & ad 4 & 5. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1. & ad 5.*

5. *Quæ est conueniens forma baptismi?*

COnueniens forma baptismi est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quia oportet, quòd in forma baptismi exprimatur causa baptismi, quæ est duplex. Vna quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas: Alia instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exteriùs Sacramentum, Minister quidem significatur, cum dicitur: *Ego te baptizo*; causa autem principalis, cum dicitur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Græci tamen attribuentes ministris actum baptismi, dicunt, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & cetera, ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi ministris attribuebant, dicentes: *Ego sum Pauli, & ego Cephæ*. Est autem verus baptismus, quia exprimitur actus baptismi per ministrum cum inuocatione Trinitatis: grauiter tamen peccaret aliquis, si in Ecclesia Latina baptizaret in forma Græcorum. *ead. q. art. 5. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. & q. 1. ad 1.*

6. *Cur non valet baptismus in nomine genitoris, geniti, & procedentis?*

AD significandum tres personas, in forma baptismi assumi debent illa nomina, quibus communiùs consueuerunt nominari personæ in illa lingua, nec in alijs nominibus perficitur Sacramentum, sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius vsus communior ad abluendum. Et ideo baptismus in nomine genitoris, geniti, & procedentis non est validus, *ead. q. art. 5. ad 7.*

7. *Cur non valet baptismus in nomine vnius personæ cum intellectu, & fide Trinitatis, nec in nomine Trinitatis implicitè?*

AD perfectionem baptismi non sufficit intellectus, & fides Trinitatis, quòd scilicet in nomine vnius personę intelligatur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius; aut quòd ille, qui nominat vnam solam personam, habeat rectam fidem de tribus: sed oportet, quòd omnes tres personæ exprimantur, *de cons. dist. 4. cap. in Synodo*; quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis. Si autem nominata tantùm vna persona puer moreretur, creditur quòd inuisibilis Sacerdos suppleret defectum. Similiter non sufficit dicere in nomine Trinitatis: nec esset baptismus, si diceretur, quia in nomine Trinitatis non exprimuntur ipsæ personæ, sed solus numerus personarum, & ideo oportet dicere: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vt mandauit Dominus *Matth. vltimo*. Vnde & in baptismo Christi affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet *Pater* in voce, *Filius* in humana natura, & *Spiritus Sanctus*

ctus in columba. *ead. q. art.* 6. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. *&* *q.* 2. *ad* 4. *& tenet Sotus ead. dist. art.* 6.

Ex quibus patet, quòd opinio Caiet. eadem q. art. 5. *non potest stare, quòd valet baptismus in nomine Trinitatis implicitè, ex eo, quòd idem significatur per Trinitatem implicitè, quòd per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum explicitè.*

8. *Quare in primitiua Ecclesia poterat dari baptismus in nomine Christi?*

Apostoli in primitiua Ecclesia baptizabant in nomine Christi, *vt dicitur Act.* 8. *&* 10. ex speciali Christi reuelatione, vt nomen Christi, quòd erat odiosum Iudæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quòd ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo; & assignat rationem Ambrosius, quare conuenienter talis dispensatio fieri potuit, *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 3. Quia in nomine Christi tota Trinitas intelligitur, ipse vnctus, Pater à quo vnctus est, & Spiritus Sanctus, quo vnctus est. Et ideo forma, quam Christus tradidit *Matth. vltimo*, seruabatur ad minùs integritate intelligibili. Post tempus autem Apostolorum baptismus in nomine Christi non erat validus, vt patet auctoritate Pelagij Papæ, & refertur *de cons. dist.* 4. *cap. si re vera*, vbi dicitur: Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiuscumque dubitationis ambiguo, eos ad Fidem Catholicam venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Contrarium tamen dicit Nicolaus Papa eadem *dist. cap. à quodam Iudæo*. Qui in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi baptizati sunt, sicut in Actis legitur Apostolorum [vnum quippe, idemque est, *vt S. ait Ambrosius*) rebaptizari non debent: Ad quòd respondetur secundùm Sot. vbi supra, quòd hoc non decreuit tamquam articulum fidei, sed tamquam opinionem, quam putauit esse Ambrosij. *ead. q. art.* 6. *& ad* 1. 2. *&* 3. *et* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 1. *ad* 3.

9. *Cur immersio in aquam non est de necessitate huius Sacramenti?*

Qvamuis sit tutiùs baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior vsus; potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel effusionis, secundùm illud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam*: & hoc præcipuè propter necessitatem, quæ potest imminere propter paucitatem aquæ; vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustinere baptizandum; vel propter periculum pueri, de cuius morte timetur ex immersione; & rationem assignat Auctor, quare modus baptizandi per immersionem est communior, & laudabilior; quia in immersione expressiùs repræsentatur figura sepulturæ Christi; in alijs autem modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, sed non ita exprssè. Et ideo per eos potest fieri baptismus, quia

quia

quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. *ead. q. art. 7. & ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 4.*

10. *Cur trina immersio non est de necessitate baptismi?*

POtest fieri baptismus per vnam immersionem, qua significatur vnitas mortis Christi, & vnitas diuinitatis: Et per trinam immersionem, qua significatur triduum sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarum, *cap. de trina. de consf. dist.* 4. Communiter tamen obseruatur in baptismo trina immersio. Et ideo grauiter peccaret aliter baptizans contra ritum Ecclesiæ. *eadem q. art. 8. & 4. sent vbi sup. art. 4. q. 1. & 2.*

11. *Quomodo in trina immersione efficitur vnus baptismus?*

IN trina immersione efficitur vnus baptismus ex vnitate intentionis ministri, qui intendit vnum baptismum dare trina immersione: & ideo si trina immersio fit intenta, non perficitur baptismus, nisi in tertia, si autem vna intendatur, perficitur in prima. *ead. q. art. 8. & 4. sent. vbi sup. art. 4. q. 3.*

12. *Quare ad baptismum sufficit effusio aquæ in caput?*

SI non potest totum corpus aqua perfundi, propter paucitatem aquæ, vel propter aliam causam, oportet caput perfundi, quia principalis pars corporis quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores. *ead. q. art. 7. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 4. ad 2.*

13. *Quare baptismus est irreiterabilis?*

BAptismus est irreiterabilis, primò, quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in nouitate vitæ, secundùm illud *Romanorum. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus:* Christus autem semel tantùm mortuus est: *Et ideo Heb. 6. contra quosdam rebaptizari volentes dicitur Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Secundò, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis *ead. q. art. 9. & 4. sent. dist. 6. q. 2. art. 1.*

14. *Quomodo ponuntur tria baptismata?*

POnuntur tria baptismata, scilicet aquæ, sanguinis, & flaminis, hoc est Spiritus sancti. Baptismus quidem aquæ efficaciam habet à passione Christi, cui aliquis conformatur per baptismum, & à Spiritu Sancto, sicut à prima causa, secundùm illud *Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Et ideo solemnitas baptismi celebratur in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio Dominicæ Passionis, & Resurrectionis; & in vigilia Pentecostes, quando incipit celebra-

lebrari solemnitas Spiritus Sancti. Alia autem duo baptismata vim habent ex baptismo aquæ, in casu quando articulus necessitatis sacramentum excludit, ne actu percipi possit; quia per baptismum sanguinis aliquis consequitur effectum baptismi ex Passione Christi, inquantum ei conformatur pro Christo patiendo. Et ideo tam baptismus aquæ, quàm sanguinis, qui est martyrium, remittit omnia peccata, etiam quantum ad reatum totius pœnæ, quia passio Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Per baptismum verò flaminis aliquis consequitur ipsum effectum per virtutem Spiritus Sancti, inquantum scilicet per Spiritum Sanctum mouetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis. Et ideo per ipsum non remittitur reatus totius pœnæ; sed remittitur pœna secundum quantitatem feruoris in Deum, & detestationem peccati: Dictum est autem quod baptismus aquæ efficaciam habet, & ex Passione Christi, & ex Spiritu Sancto; & ideo est vnum baptisma, vt dicitur ad *Eph.* 4. *Vna fides, vnum baptisma. ead. q. art.* 10. *ad* 1. *& art.* 11. & *ad* 1. *&* 2. 6. *art.* 2. & 4. *sent. dist.* 4. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. & *q.* 1. & 2. & *Q. odl.* 6. *art.* 4.

15. *Quare baptismus sanguinis est potissimus inter alia baptismata?*

BAptismus sanguinis est potissimus quia passio Christi, & virtus Spiritus Sancti operantur in quolibet trium baptismatum, vt dictum est: excellentissimè autem hæc operantur in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ, per quamdam figuralem repræsentationem, in baptismo autem flaminis per quamdam affectionem: sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem flaminis per cordis commotionem, sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis, secundum illud *Ioa.* 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. ead.* 3. *art.* 12. & 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *qu.* 3.

QVÆSTIO VIII.

De Ministris.

1. *Quando Diaconus potest baptizare?*

AD Diaconum non pertinet baptizare quasi ex proprio officio, sed ministrare maioribus in sacramentorum exhibitione. Potest tamen ex commissione baptizare, si ab Episcopo, vel presbytero sibi imponatur, *vt dicit Pelagius, & habetur de consec. dist.* 4. *cap. diaconus.* 3. *par. q.* 67. *art.* 1.

2. *Quomodo ad sacerdotem pertinet baptizare?*

AD proprium officium sacerdotis pertinet baptizare, quia ad sacerdotem pertinet Eucharistiam con-

conficere, quæ est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Per baptismum autem aliquis fit particeps Ecclesiasticæ vnitatis, vt infra dicetur. *ead. q. art. 2. & 4. sent. dist. 5. q. 2. art. 1. questiunc. 1.*

3. *Quando ad Episcopum pertinet baptizare?*

DOminus commisit Apostolis officium docendi, & baptizandi. *Matt. vltimo,* quorum vicem gerunt Episcopi: officium quidem docendi commisit eis, vt per seipsos exercendum, tamquam principalissimum. Vnde Apost. dixerunt *Act. 6. Non est equum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Officium autem baptizandi commisit Apostolis, vt per alios exercendum: Vnde *Apost. dicit 1. Cor. 1. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* In cuius etiam signum Dominus non baptizauit, sed discipuli eius, *vt dicitur Ioannes 4.* Non tamen propter hoc excluditur, quin Episcopi possint baptizare, quia quod potest inferior, potest superior. *Vnde Apostolus ibid. dicit se quosdam baptizasse. ead. quest. art. 2. ad 1.*

4. *Quare vir, vel mulier potest baptizare?*

VIR, vel mulier potest baptizare, quia inter omnia sacramenta baptismus est maximæ necessitatis: tum quia pueris aliter subueniri non potest; tum quia nec etiam adultis, quantum ad remissionem totius pœne. Et ideo, vt homo in hoc de facili remedium inueniat, institutum est, vt quilibet sit minister baptismi. Quia tamen *caput mulieris est vir, & caput viri est Christus, vt dicitur 1. Corint. 2.* non debet mulier baptizare præsente viro, nec laicus præsente clerico, nec clericus præsente sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, quia hoc pertinet ad officium sacerdotis *ead. qu. art. 3. & 4. & 4. sent. vbi sup. art. 1.*

5. *Quando vir, vel mulier potest baptizare?*

POtest vir, vel mulier in casu necessitatis baptizare. *cap. diaconos dist. 93. & cap. in necessitate de cons. dist. 4.* Si autem extra necessitatis articulum baptizarent, tam ipsi, quam alij, qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab eis suscipiendo, vel eis baptizandum aliquem offerendo, peccarent, sed baptismum conferrent. Non tamen esset peccatum mortale ex suo genere, secundum Caietanum; quia in nulla necessitate esset licitum; sed esset peccatum mortale ex præsumptione, puta si laicus presumeret actum Sacerdotis. *Et ideo Hormisda Papa in cap. 1. de cler. non ordin. minist.* statuit, quod si aliquis baptizauerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur. Si autẽ baptizaret extra necessitatis articulum ex ignorantia, credens se bene facere, excusaretur à peccato mortali. *ead. q. art. 3. ad 1. & art. 4. ad 3. & 4. sent. vbi supra.*

6. *Quan-*

6. *Quando non baptizatus potest baptizare?*

NOn baptizatus, vt Paganus, vel Iudæus, potest baptizare in casu necessitatis, dummodo seruet formam Ecclesiæ in baptizando propter necessitatem sacramenti, vt habetur de consecr. *dist. 4. cap à quodã. Iudæo.* Si verò extra articulum necessitatis baptizaret, vterque, scilicet baptizatus, & baptizans, grauiter peccaret; & per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum. *ead. q. art. 5. & 8. ad 1. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

7. *Quare non potest aliquis seipsum baptizare?*

NOn potest aliquis seipsum baptizare: tùm quia nulla res seipsam gignit, vt sit. Baptismus autem regeneratio quædam est; tùm quia mutaretur forma, quæ est *Ego te baptizo*; non enim idem est dicere, te, & me. Vnde & Christus voluit à Ioanne baptizari. Quod autem *Innocentius* III. dicit *& habetur in cap. debitum. de baptismo & eius effect.* Iudæus, qui seipsum in aqua immersit, dicens: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, si decessisset, ad Patriam protinus euolasset; intelligendum est propter sacramentum fidei, quod dicitur baptismus flaminis, & propter vim contritionis, & deuotionis ex cuius magnitudine hoc procedere videbatur, cum inter Iudæos existeret, quasi periculo mortis se exponeret *3. p. q. 66. art. 5. ad 4. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 2. ad 2.*

8. *Cur non possunt plures simul vnum baptizare, sed possunt baptizari?*

NOn possunt duo simul vnum baptizare, puta si vnus esset mancus, qui verba proferret, & alius esset mutus, qui immergeret: Non enim poterit dici. *Ego te baptizo* cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet: neque poterit dici, nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Si autem duo contentiose aliquem baptizare conarentur, & vterque diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* tunc ille qui prius verba proferret, conferret baptismi sacramentum: alius verò, quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret. Si verò simul ambo verba proferrent, vterque quantùm est in se, baptizaret, nec conferrent duo baptismata, sed vnum, quia vnus Christus est interiùs baptizans. Essent tamen puniendi de inordinato modo baptizandi. Possunt autem plures simul baptizari in casu necessitatis, puta si immineret ruina, vel gladius, vel aliquid huiusmodi, quia nullus eorum reciperet, nisi vnum baptismum; sed tunc oportebit dicere: Ego baptizo vos, nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud est, quàm te, & te *3. par. q. 66. art. 5 ad 4. & q. 67. art 6. & ad 3. & 4. sent. dist. 6. q. 2. art. 1. ad 3.*

9. *Quando ille qui leuat aliquem de sacro fonte, tenetur eum instruere?*

ILle, qui leuat aliquem de sacro fonte, tenetur eum instruere de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam

tam

ram Christianam, si periculum imminet, puta si baptizari inter Infideles nutriuntur. Si verò nutriuntur inter Catholicos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo, quòd à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundùm suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere. *ead. q. art. 7. & 8. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. & 2.*

QVÆSTIO IX.

De Suscipientibus Baptismum

1. *Quomodo baptismus est de necessitate salutis?*

NOn potest aliquis saluari sine baptismo in re, vel eius voto, secundùm illud *Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & declarat Con. Trid. sess. 6. cap. 4. Pueri enim nondum habentes vsũ rationis, non possunt saluari sine actuali baptismo aquæ, vel sanguinis, si propter Christum occidantur, ex quo non solùm Christiani, sed etiam Martyres fiunt, quia in eis non potest esse propositũ suscipiendi baptismum. Adultus autem, cum baptizari desiderat, & aliquo casu morte præuenitur, antequam baptismũ suscipiat, potest saluari sine baptismo actuali propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interiùs hominem sanctificat. *3. part. q. 68. art. 2. & 4 sent. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 1. & ad 3. & Quodl. 6. art. 4.*

Ex his manifestum est, opinionem Caietani erroneam esse, quod infantes, qui non possunt aqua baptizari, saluantur per baptismum in voto parentum susceptum cum signo Crucis, & inuocatione Trinitatis. Idem dicit art. 11. de paruulis in maternis vteris periclitantibus.

2. *Quare baptismus paruulorum non est differendus, adultorum verò potest differri?*

SI pueri sunt baptizandi, non est differẽdus baptismus. Primò quidem propter periculum mortis, quia nõ potest eis alio remedio subueniri, nisi per sacramentum baptismi. Secundò propter infestationes dæmonum, qui non habent tantam potestatem in pueris baptizatis ab originali mundatis, quantam in illis, qui originale habent, neque quantùm ad nocumenta spiritualia, neque quantũ ad corporalia. Si autẽ adulti sũt baptizandi, non statim cum conuertuntur, est eis sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre vsque ad aliquod certum tempus; Primò quidem, quia ei subueniri potest per solum baptismi desiderium, quod dicitur baptismus flaminis. Secundò propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, sacramentum fictè accedentibus conferens, secundùm illud 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Tertiò propter vtilitatem eorum, qui baptizantur, ad hoc, quod plenè instruantur de fide, & exerceantur in his, quæ pertinent ad vitam

Christianam; Propter infirmitatem tamen, vel aliquod periculum mortis, vel si isti sunt instructi in fide, & ad Baptismum idonei, hæc dilatio est prætermittenda; sicut Philippus statim baptizauit Eunuchum, vt habetur *Act.* 8. & Petrus Cornelium, & eos, qui cum eo erant, vt dicitur *Act.* 10. *ead. q. art.* 3. *& 4. sent. vbi sup. art.* 1. *q.* 1.

3. *Quare peccatores ad baptismum accedentes debent esse pœnitentes?*

PEccatoribus pœnitentibus est Sacramentum baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur. Peccatoribus autem habentibus voluntatem peccandi, & propositum persistendi in peccato, scilicet mortali, non est hoc Sacramentum conferendum, quia per baptismum homines Christo incorporantur, secundùm illud *Galat.* 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus, secundùm illud 2. Corint. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? ead. q. art.* 4.

4. *Quomodo peccatores ad baptismum accedentes tenentur peccata confiteri?*

ANte baptismum non requiritur confessio peccatorum exterior, quia talis confessio cum respiciat personam ministri, pertinet ad pœnitentiæ Sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, quia est ianua omnium Sacramentorum. Si qui tamen baptizandi ex deuotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, ad hoc, quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur. Requiritur autem confessio interior, quæ fit Deo, vt scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat: non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ. *ead. quæst. art.* 6.

5. *Quare ei, qui baptizatur, non est aliqua satisfactio iniungenda?*

EI, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda, quia per baptismũ incorporatur morti Christi, secundùm illud *Romanorum* 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Mors autem Christi satisfactoria fuit pro peccatis, non solùm nostris, sed totius Mundi, *vt dicitur Ioannis* 2. Est tamen iniungendum peccatoribus baptizatis; quod restituant proximis malè ablata, & eis satisfaciant de iniurijs illatis, quia tenentur à peccato cessare: detinere autem aliena, & proximum læsum non placare, est peccatum, 2. *p. q.* 49. *art.* 3. *ad* 2. *& q.* 68. *art.* 5. *& ad* 3.

6. *Quomodo ex parte baptizati requiritur voluntas suscipiendi baptismum?*

EX parte baptizati de necessitate Sacramenti requiritur voluntas susci-

suscipiendi Sacramentum, quia per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ nouitatem. Ad hoc autem requiritur in habente vsum rationis voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, & intendat vitæ nouitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti. Vnde si in adulto deesset voluntas suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus. Non requiritur autem voluntas absoluta, sed sufficit voluntas conditionata per minas, & flagella, ita quòd baptizatus potiùs eligat baptismum suscipere, quàm talia pati. In pueris autem requiritur voluntas suscipiendi Sacramentum, non per actum propriæ voluntatis, cum ipsi quandoque contranitantur, & plorent, sed ex intentione Ecclesiæ, hoc est, eorum à quibus offeruntur, *& statuit Concil. Trident. sess. 7. can. 13. de bapt. 3. par. qu. 68. art. 7. & ad 2. & art. 9. ad 1. & 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 2.*

Vnde non est recipienda opinio Caiet. quòd non requiritur voluntas suscipiendi baptismum ex parte baptizati de necessitate Sacramenti, sed sufficit in ipso non inueniri obicem voluntatis contrariæ.

7. *Cur fides non requiritur ex parte baptizati de necessitate Sacramenti?*

Recta fides non requiritur ex parte baptizati de necessitate Sacramenti, sicut nec ex parte baptizantis, dummodo adsint alia, quæ sunt de necessitate Sacramenti, quia non perficitur Sacramentum per iustitiam dantis, vel percipientis baptismum, sed per virtutem Dei, ita colligitur *cap. Romanus de cons. dist. 4.* Requiritur autem recta fides ad percipiendam rem Sacramenti, scilicet gratiam. *ead. q. art. 8. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1.*

8. *Quando filij Infidelium sunt baptizandi inuitis parentibus?*

Filij Infidelium, si habent vsum rationis, possunt baptizari inuitis parentibus, quia quantùm ad ea, quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, incipiunt esse suæ potestatis. Et ideo tales licitè moneri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum. Si verò non habent vsum rationis, contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri inuitis parentibus baptizarentur, quia secundùm ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiù ipsi sibi prouidere non possunt. Esset etiam periculosum taliter filios Infidelium baptizare, quia de facili ad Infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Si autem pater, vel mater ad fidem conuertatur, filij in minori ætate constituti debent dari Fideli, etiam si indigeant matris obsequio ad educationem. *28. q. 1. cap. Iudæi, & cap. ex literis de con. infid. 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. par. q. 68. art. 10. & Quodl. 2. art. 7. & 4. sent. dist. 39. art. 4. ad 4.*

9. *Quare pueri in vteris maternis existentes non sunt baptizandi?*

Pueri in maternis vteris existentes non sunt baptizandi. Primò quidem, quia secundùm Aug. *Epist.*

57. *ad Dardanum*: Nemo renascitur, nisi prius nascatur. Baptismus autem est quædam spiritualis regeneratio, *& habetur de conf. dist. 4 qui in maternis*. Secundò, quia de necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quædam ablutio: corpus autem infantis antequam nascatur ex vtero, non potest aliquo modo ablui aqua. *3. p. q. 68. art. 11. & 4. sent. vbi sup. art. 1.*

10. *Quid si puer non totaliter egreditur ex vtero matris?*

PVer non est baptizandus, nisi totaliter egrediatur de vtero matris. Si tamen imminet periculum, & primò caput egreditur, à quo originem habent omnes sensus, debet baptizari, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, siue pes, siue manus, periculo imminente. Sed quia in nulla alia parte integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quod propter dubiũ puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, *ego te baptizo*. Non debet autem aliquis homicidij crimen in matre committere, & ipsam aperire, vt puerum baptizet, etiamsi ipsa sit in periculo mortis, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona: si tamen mater mortua fuerit, viuente prole in vtero, debet aperiri, vt puer baptizetur. *ead. q. art. 11. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 1. ad 3. & 4.*

11. *Quando amentes, & furiosi sunt baptizandi?*

AMentes, & furiosi à natiuitate, qui nulla habent lucida interualla, sunt baptizandi, sicut & pueri, ex intentione Ecclesiæ: Illi verò, qui fuerunt sanæ mentis, & postea in amentiam inciderunt, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, sunt baptizandi, etiamsi tunc actu contradicant, non autem si in eis nulla apparuit voluntas suscipiendi baptismum, *de baptism: & eius effect. capite maiores §. item*. Illi autem, qui, etsi à natiuitate fuerunt furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti possunt, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, si periculum timeatur: alioquin melius est, vt tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, quòd deuotiùs suscipiant Sacramentum. *ead. q. art. 12. & ad 1. & 4. sent. dist. 4. q. 3. art. 1. q. 2.*

QVÆSTIO X.

De Effectibus Baptismi.

1. *Quomodo per baptismum homo consequitur remissionem omnium peccatorum, etiam quantum ad reatum totius pœnæ?*

PEr Baptismum in voto, vel explicitè, vel implicitè homo consequitur remissionem omnium peccatorum, quantùm ad culpam, quia per

per baptismum moritur vetustati peccati, & incipit viuere nouitati gratię, vt dicit Apost. *Rom. 6.* sed cum realitèr suscipit baptismum, fit plenior remissio quantùm ad liberationem à reatu totius pœnæ; quia per baptismum homo commoritur Christo, secundùm illud Rom 6. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo.* Et sic omni baptizato cōmunicatur Passio Christi, ac si ipse passus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum: & ideo homo per baptismum liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis; *& statuit Conc. Trident. sess. 5. in decreto de pecc. Origin. & sess. 6. cap.* 14. Et propter hoc etiam Princeps piè posset homicidæ per baptismum pœnam indulgere, quamuis remaneat obligatus quoad homines, quos iustum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. *3. par. q. 69. art. 1. & 2. & ad 3. & art. 4. ad 2. & 4. sent. dist. 4. q. 2. art. 1. & q. 1. & 4. cont. gent. cap. 59. & 72.*

2. *Quomodo per baptismum homo consequitur gratiam, & virtutes?*

PEr baptismum homo consequitur gratiam, & virtutes, quia per baptismum incorporatur Christo, vt membrum eius: à capite autem Christo in omnia membra eius, gratiæ, & virtutum plenitudo deriuatur, secundùm illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus. ead. q. art. 4.*

3. *Quomodo fictio impedit effectum baptismi?*

EFfectus baptismi, qui est gratia remittens omnia peccata, impeditur per fictionem, qua aliquis ad baptismum accedit, ostendens se velle à peccato mortali recedere, cum tamen intendat paccato inhærere; quia ponit obicem Spiritui Sancto, qui *disciplinæ effugiet fictum, vt dic. Sap. 1. eadem q. art. 9. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 1. ad 3. & q. 3. art. 2. & q. 1. ad 1.*

4. *Quare recedente fictione baptismus suum effectum consequitur?*

REcedente fictione baptismus statim consequitur effectum suum. Primò quidem, quia imprimit characterem, quasi formam: & ideo remota fictione per pœnitentiam subsequentem, baptismus remittit omnia peccata præcedentia baptismum, & etiam ipsum peccatum fictionis, quantùm ad reatum totius pęnæ, *cap. tunc valere. de cons. dist.* 4. Peccata verò sequentia non remittuntur per baptismum, sed per pęnitentiam. Vnde non remittuntur quantum ad reatum totius pęnæ, sicut peccata præcedentia baptismum. Secundò, quia baptismus est opus Dei, non hominis, quod non est mortuum in ficto: & ideò recedente fictione sortitur effectum suum. *ead. q. art. 10. & ad 1. 2. & 3. & 4. sent. vbi sup. q. 3. art. 2. quæst. 2. & ad 1. & 2.*

QVÆSTIO XI.

De Circumcisione.

1. *Quomodo circumcisio fuit figuratiua baptismi?*

CIrcumcisio fuit figuratiua Baptismi, quia erat signaculum Fidei, vt dicitur *Rom.* 4. & per eam antiqui aggregabantur collegio Fidelium. Baptismus autem dicitur sacramentum Fidei, inquantum in baptismo fit quædam Fidei professio, & per ipsum aggregatur homo congregationi Fidelium *3. par. q. 70. art. 1.*

2. *Quare circumcisio solis maribus conueniebat?*

CIrcumcisio competebat solis maribus, quia specialitèr ordinabatur contra peccatum Originale, quod contrahitur à patre, non à matre, & propter hoc etiam fiebat in membro generationis, quia erat in remedium peccati Originalis, quod per actum generationis traducitur. *ead. q. art. 2. ad 4. & 3. ad 1.*

3. *Quomodo circumcisio conferebat gratiam iustificantem?*

CIrcumcisio conferebat gratiam; quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quàm baptismus: quia baptismus confert gratiam ex propria virtute, quam habet, inquantum est instrumentum Passionis Christi iam perfectę. Sed circumcisio conferebat gratiam non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cuius signum erat. Et ideo baptismus copiosiorem gratiam confert, quam circumcisio, quia maior est effectus rei iam præsentis, quàm spei. *ead. q. art. 4. & 4. sentent. dist. 1. q. 2. art. 4. q. 2.*

4. *Quomodo populus incircumcisus in deserto iustificabatur?*

POpulus, qui natus est in deserto per quadraginta annos, incircumcisus fuit, vt legitur *Iosue* 5. Si tamen aliqui incircumcisi moriebantur, iustificabantur in fide Christi venturi, sicut iustificabantur ante circumcisionis institutionem, quod intelligendum est etiam de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis. *ead. q. art. 4. & 4. sent. dist. 1. q. 2. art. 4. quæst. 2.*

5. *Quomodo circumcisio remittebat peccata?*

ADulti, quando circumcidebantur, consequebantur remissionem, non solùm Originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum, non tamen ità, quod liberarentur reatu totius pęnæ, sicut fit in Baptismo. *ead. q. art. 4. ad 5. & 4. sent. vbi sup. quæst. 1.*

QVÆSTIO XII.

De Sacramento Confirmationis.

1. *Quomodo Confirmatio est sacramentum à Christo institutum?*

COnfirmatio est speciale sacramentum, quia ordinatur ad specia-

ſpecialem gratiæ effectum, qui eſt augmentum ſpiritualis vitæ; hoc autem fuit à Chriſto inſtitutum, non exhibendo, ſed promittendo, ſecundùm illud Ioan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos*: & hoc ideo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem, ſecundùm illud *Ioannis 7. Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. 3. par. quæſt. 72. art. 1. & ad 1, & 4. ſent. diſt. 7. q. 1. art. 1.*

2. *Quæ eſt conueniens materia huius ſacramenti?*

Conueniens materia huius ſacramenti eſt Chriſma, quod eſt oleum oliuarum mixtum cum balſamo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpirituale: gratia autem Spiritus Sancti in oleo deſignatur. Et ideo Chriſtus dicitur eſſe vnctus oleo lętitiæ, propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit. Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiã odoris, quæ ſignificat odorem famæ quoad alios, ſecundùm illud Apoſtoli 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo; de ſacr. vnct. c. 1.* Hoc tamen non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſecundùm Caiet. ſed ſufficit oleum purum, quod dicitur chriſma, *& patet in cap. Paſtorali de ſacram. non reiter.* Vbi quidam per errorem confirmauit oleo ſine balſamo, conſultus Papa dixit, quod nihil iterandum erat, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat ommiſſum; vnde fuit verum ſacramentum. Apoſt: autem communiter chriſmate vtebantur in exhibitione huius ſacramenti. Dicit enim *Dionyſ. 4. cap. Eccleſ. Hierar.* Eſt quædam perfectiua operatio, quam Duces noſtri, hoc eſt Apoſt. chriſmatis hoſtiam nominant. Quandoque verò Deus conferebat rem huius ſacramenti ſine ſacramento, cum ad impoſitionem manuum Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spiritus Sancti ſuper Fideles, ſub viſibilibus ſignis, ſicut & à principio deſcenderat ſuper Apoſtolos, ſecundùm illud *Petri Act. 11.* Cum cæpiſſem loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut & in nos initio: & tunc non erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramentalis, ex quo ſenſibilia ſigna miraculosè Diuinitùs exhibebantur. *ead. q. art. 2 & ad 1, & 4. ſent. vbi ſup. art. 2. q. 1.*

3. *Quare Chriſma ab Epiſcopo conſecratum eſt de neceſſitate huius ſacramenti?*

De neceſſitate huius ſacramenti eſt, quòd Chriſma prius benedicatur, ſicut & Oleum ſanctum infirmorum; quia huiuſmodi materia non fuit a Chriſto benedicta, qui vnctionibus viſibilibus non eſt vſus in conſtituendo ſacramentum, ne fieret iniuria inuiſibili vnctioni, qua vt Rex, & Sacerdos, eſt vnctus prę conſortibus ſuis. Non eſt autem de neceſſitate ſacramenti Baptiſmi, & Euchariſtiæ, quod materia prius benedi-

nedicatur, sed si qua benedictio adhibetur, pertinet ad solemnitatem sacramenti; quia materia baptismi fuit benedicta in ipso contactu Christi in vsu huius sacramenti; Ipse etiam benedixit panem, & calicem, instituens Eucharistiæ sacramentum. *ead. q. art. 3. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

4. *Quæ est conueniens forma huius sacramenti?*

COnueniens forma huius sacramenti est: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen*; quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spiritualis pugnæ contra persecutores Fidei visibiles, & inuisibiles: causa autem conferens plenitudinem roboris spiritualis est sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris*; ipsum verò robur significatur cum dicitur *Consigno te signo Crucis*, in quo scilicet Rex noster triumphauit, *vt dicitur ad Coloss. 2. ead. q. art. 4. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1.*

5. *Quomodo hoc sacramentum imprimit characterem?*

HOc sacramentum imprimit characterem, quia character est spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Per Confirmationem autem homo accepit potestatem publicè Fidem Christi confitendi, quasi ex officio. *ead. q. art. 5. & ad 2. & 4. sent. vbi sup. q. 2. art. 1. & q. 2. ad 1.*

6. *Quomodo character Confirmationis præsupponit characterem baptismalem?*

CHaracter Confirmationis præsupponit characterem baptismalem de necessitate sacramenti, ita quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, deberet iterum confirmari post Baptismum, quia Confirmatio se habet ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem: nullus autem potest perduci ad perfectam ætatem per augmentum, nisi priùs fuerit natus; & similiter non potest aliquis Sacramentum Confirmationis accipere, nisi primò fuerit baptizatus. *ead. q. art. 6. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

7. *Quomodo in hoc Sacramento confertur gratia?*

IN hoc Sacramento datur gratia gratum faciens, quia datur Spiritus Sanctus ad robur: datio autem Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente; Vnde non debet hoc Sacramentum dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis; ad quod sufficit contritio, etiam si non sit perfecta, ita quod si aliquis adultus in peccato, scilicet mortali existens, non perfectè contritus accedat ad hoc Sacramentum, gratiam ex Sacramento consequitur in remissionem peccatorum. *ead. q. art. 7. & ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 2.*

8. Quæ

8. *Quare hoc Sacramentum est omnibus exhibendum?*

HOc Sacramentum debet omnibus exhiberi, quia per ipsũ homo perducitur spiritualiter ad perfectam ætatem; anima autem, ad quam pertinet spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest in iuuentute, vel pueritia consequi perfectam ætatem, sicut & in senectute potest consequi generationem: & ideò omnibus tàm in pueritia, quàm in senectute hoc Sacramentum est exhibendum, etiàm morituris, vt in resurrectione perfecti appareant. *ead. q. art.* 8. *& ad* 4. *&* 4. *sent. vbi sup. q.* 3. *ar.* 2. *q.* 1. *&* 2.

9. *Cur hoc Sacramentum est conferendum homini in fronte?*

HOc sacramentum est conferendum homini in fronte, quasi in loco euidenti, in signum, quod publicè Fidem Christi confiteri non erubescat, quia hoc sacramentum datur homini ad robur spiritualis pugnę cõtra persecutores Fidei, nomen Christi publicè confitendo *ead. q. art.* 9. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 1. *&* 4. *contigent. cap.* 60. *& Quodl.* 11. *art.* 7.

10. *Quando hoc Sacramentum potest dari, vel accipi à non ieiunis?*

POtest hoc Sacramentum dari, vel accipi à non ieiunis propter pericula imminentia, & propter multitudinem Fidelium; quia vnus Episcopus, præcipuè in magna diœcesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si ei tempus arctaretur: vbi tamen congruè obseruari potest, conuenientius est, vt à ieiunis detur, & accipiatur. *ead. q. art.* 12. *ad* 2.

11 *Cur ille qui confirmatur, debet ab alio teneri?*

QVi confirmatur, debet ab allo teneri, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus, qui sit adscriptus militiæ Christianæ; quia hoc Sacramentum datur homini ad robur spiritualis pugnæ, vt dictum est, & ideo ille, qui nondum est confirmatus, non debet alium ad Confirmationem tenere, Nec refert vtrum ille, qui tenet, sit masculus, vel femina, quia in Christo Iesu non est masculus, & femina, vt dicitur *ad Coloss.* 3. *ead. q. art.* 1. *& ad* 2. *&* 3. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3.

12. *Quare Episcopus est minister huius sacramenti?*

EST de necessitate huius sacramenti, quod ab Episcopo conferatur; Primò quidem, quia per hoc sacramentum Fideles in quodam officio publicè confitendi Fidem Christi constituuntur. Ad Episcopum autem, qui est quasi Princeps in Ecclesia, pertinet, alios in Diuinis ministerijs collocare. Secundò, quia soli Apostoli hoc sacramentum conferebant per manuum impositionem: Episcopi autem succedunt loco Apostolorum. *cap.* 1. *de sacr. vnct. § per frontis.* Tertio hoc patet auctoritate *Melchiadis Papæ in cap. de*

his

his, *& Eusebij in cap. manus de conf. dist. 5. & statuit Conc. Trid. sess. 7. de Confir. can. 3.* Posset tamen simplex sacerdos conferre hoc sacramentum ex commissione Papæ, necessitate vrgente, vbi deesset Episcopus, sicut concessit *Greg.* Quia Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, dummodò non sint de necessitate sacramenti, sicut ministerium Episcopale in hoc sacramento, quod ad honorem potiùs, quàm ad necessitatem pertinet, vt dicit Hieron. *aduersus Luciferianos, quidquid dicat Caiet. ead. q. art. 11. & ad 1. & 3. & q. 65. art. 3. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1. & 2. & dist. 25. q. 1. art. 1. & ad 3. & Quodl. 11. art. 7.*

QVÆSTIO XIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

1. *Quomodo Eucharistia est sacramentum?*

EVcharistia est sacramentum, quia ordinatur ad subueniendum homini in vita spirituali, ad quam sicut requiritur spiritualis generatio, quæ est Baptismus, & spirituale augmentum, quod est confirmatio; ita etiam requiritur spirituale alimentum, quod est Eucharistiæ, sacramentum. Vnde Eucharistia inquantum sumitur, est sacramentum. *3. par. q. 73. art. 1. & q. 79. art. 5.*

2. *Quomodo hoc sacramentum est vnum?*

HOc sacramentum est vnum formalitèr, quia ordinatur ad vnum, scilicet ad spiritualem refectionem; sed est multa materialitèr, quia ad spiritualem refectionem duo requiruntur, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundùm illud *Ioann. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. eadem q. 72. art. 2. & 4. sent. dist. 8. q. 1. art. 1. q. 1.*

3. *Quomodo hoc sacramentum est de necessitate salutis?*

HOmo non potest saluari sine voto suscipiendi hoc sacramentum, secundùm illud Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Quia effectus huius sacramenti est vnitas corporis Christi mystici, sine qua homo non potest saluari: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam. Hic autem effectus percipitur ex voto suscipiendi hoc sacramentum. Vnde homo per baptismum efficitur membrum corporis Christi, inquantùm voto suscipit hoc sacramentum, non solùm si sit adultus, qui baptizatur, sed etiam si sit puer, qui ex ipso, quod baptizatur, sicut ex fide Ecclesiæ credit, sic ex intentione Ecclesiæ desiderat Eucharistiam, & per consequens percipit rem ipsius. *ita colligitur de conf. dist. 4. nulli. eadem q. art. 3. & ad 1.*

4. Quo-

4. *Quomodo hoc sacramentum dicitur, Sacrificium, Communio, Viaticum, & Eucharistia?*

HOc sacramentum dicitur sacrificium respectu præteriti, inquantum est commemoratiuum Dominicæ Passionis, quæ fuit verum sacrificium. Nominatur etiam communio, vel synaxis respectu præsentis, scilicet Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum. Dicitur autem viaticum respectu futuri, inquantum est præfiguratiuũ fruitionis Dei, quæ erit in patria; quia præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundùm hoc etiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia; quia gratia Dei vita æterna, vt dicitur Rom. 6. vel quia realitèr continet Christum, qui est plenus gratia. *ead. q. art.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 8. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2.

5. *Quare hoc sacramentum fuit in vltima cœna institutum?*

COnuenienter hoc sacramentum fuit in cęna institutum, & Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. decreuit. Primo quidèm, quia Christus in propria specie à Discipulis discessurus erat, & ideo conueniens erat, vt in sacramentali specie seipsum eis relinqueret, sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Secundò, quia oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentatiuum Dominicæ Passionis, cuius in veteri quidem Testamento præcipuum erat Agnus Paschalis; in nouo autem Testamento successit ei Eucharistię sacramentum, quod est rememoratiuum præteritæ Passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ, & ideò conueniens fuit, vt imminente passione, celebrato priori Testamento, nouum sacramentũ institueretur. Tertiò instituit hoc sacramentum in vltimo discessu suo à Discipulis, vt in maiori veneratione haberetur, quia ea, quę vltimò dicuntur ab amicis recedentibus, magis cordi, & memoriæ infiguntur, *ead. q. art.* 5. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 2.

QVÆSTIO XIV.

De Materia huius Sacramenti.

1. *Quæ est conueniens materia huius sacramenti?*

PAnis, & vinum sunt materia conueniens huius sacramenti. Primò quidem quantùm ad vsum huius sacramenti, qui est spiritualis manducatio. Secundò quantùm ad Passionem Christi, in qua sanguis fuit à corpore separatus. Et ideò in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini. 3. *par. q.* 74 *art.* 1. *&* 4 *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *& q.* 1.

2. *Quomodo materia huius sacramenti est determinata?*

MAteria huius sacramenti non est determinata secundùm quantitatem, quia ordinatur ad vsum Fi-

Fidelium, quorum numerus non est determinatus, sed est determinata secundùm præsentiam, quia Sacerdos potest consecrare quantitatem panis, & vini, quæ coram ipso proponitur, quantacumque sit, dummodo habeat intentionem consecrandi. Vnde si in altari manent hostiæ, quas ipse non intendit consecrare, quamuis sint præsentes, non consecrantur. Similiter si intenderet consecrare decem hostias, & essent octo, nulla esse consecrata. *ead. q. art. 2. & 4. sent. vbi sup. quæstiunc. 1. & ad 1.*

3. Quare panis triticeus est debita materia huius sacramenti?

PAnis triticeus, vel confectus ex tali frumento, quod ex semine tritici generari potest, est debita materia huius sacramenti. Primò quidem, quia in huius panis specie creditur Christus hoc sacramentum instituisse. Secundò, quia panis triticius propriè habet speciem panis. Tertiò, quia hic panis conuenientiùs significat effectum huius sacramenti, qui est spiritualis refectio, secundùm illud *Psalm. 103. Panis cor hominis confirmat.* Vnde panis confectus ex siligine potest esse materia huius sacramenti, quia siligo generatur ex grano tritici seminato in malis terris. Ex hordeo autem, vel spelta, vel farre non potest confici panis, qui sit debita materia huius sacramenti, quia nullo modo possunt ex semine tritici generari. *ead. q. art. 3. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. & ad 3.*

4. Quando panis confectus ex tritico, & altero frumento permisto, potest esse materia huius sacramenti?

PAnis confectus ex tritico, & alio frumento admixto, si sit modica admistio, potest esse materia huius sacramenti: si verò fit magna admixtio, puta ex æquo, vel quasi, non est debita materia huius sacramenti, quia talis permixtio soluit speciem panis. Similiter si farinæ triticeæ permisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, nisi sit modica admixtio, quia aqua est de substantia panis, & ideo non esset verus panis. *ead. q. art. 3. & 7. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 4. q. 1.*

5. Quando panis corruptus potest esse materia huius sacramenti?

SI fit tanta corruptio panis, quod soluatur species panis, sicut cum continuitas soluitur, & sapor, & color, & alia accidentia mutantur, non potest ex eo confici corpus Christi: Si autem non fit tanta corruptio, quæ speciem soluat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqua immutatio saporis, ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreuerentiam Sacramenti. *ead. q. art. 3. ad 4. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. ad 3.*

6. Qua-

6. *Quare panis confectus est amylo, non est debita materia huius sacramenti?*

PAnis confectus ex amylo, non videtur quod possit fieri corpus Christi, quia amylum est ex tritico corrupto propter attritionem farinæ, excolationem, & vaporis admixtionem. *ead. q. art. 3. ad 4. & 4. sent. vbi sup. q. 1. ad 3.*

7. *Quomodo panis azymus, & fermentatus est debita materia huius sacramenti?*

HOc Sacramentum potest confici ex pane azymo, vel fermentato secundùm diuersas Ecclesiarum consuetudines: Græci enim de fermentato; Latini verò de azymo conficiunt. Vnde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum, celebrans de pane azymo, quasi peruertens Ecclesiæ ritum. Consuetudo tamen de pane azymo rationabilior est: Primò quidem, quia Christus instituit hoc sacramentum prima die azymorum, vt habetur Matth. 26. & Luc. 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudeorum esse debebat, *vt dicitur* Exo. 12. & ita in primitiua Ecclesia Apostoli celebrabant. Secũdò, quia panis est sacramentum corporis Christi, quod sine commistione est, vt dicit Gregor. in registro. Tertiò, quia hoc magis competit sinceritati Fidelium, quæ requiritur ad vsum huius sacramenti, secundùm illud 1. *Corinth.* 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. eadem q. art. 4. & 4. sent. vbi supra q. 2. & 4. contra gentes cap. 69. & opusc. 1. contra errores Græcorum.*

8. *Quare vinum vitis est propria materia huius sacramenti?*

VInum vitis est propria materia huius sacramenti. Primò quidem, quia Christus in vino vitis hoc sacramentum instituit, vt patet ex eo, quod dicit *Matth.* 26. circa institutionem huius sacramenti: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Secundò, quia vinum vitis propriè habet speciem vini; alij verò liquores vinum dicuntur secundùm quandam similitudinem ad vinum vitis. Tertiò, quia vinum vitis magis competit effectui huius sacramenti, qui est spiritualis lætitia, secundùm illud Psalm. *Vinum lætificat cor hominis. ead. q. art. 5. & 4. sent. vbi sup. art. 3.*

9. *Quare de aceto non potest confici hoc sacramentum?*

DE aceto non potest confici hoc sacramentum, quia vinum fit acetum per corruptionem, quod ostendunt contrariæ proprietates, quia vinum est calidum, acetum verò frigidum. Potest tamen confici de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem, quamuis peccet conficiens propter irreuerentiam. *ead. qu. art. 5. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 3. quæstiunc. 1. & ad 3.*

10. *Cur*

10. *Cur de musto potest confici hoc sacramentum, non autem de agresta?*

DE agresta non potest confici hoc sacramentum, quia est in via ad generationem, & ideo nondum habet speciem vini; sed de musto potest confici, quia habet speciem vini. Prohibetur tamen *de conf. dist. 5. cap. cum omne.* ne mustum statim expressum de vua in calice offeratur, nisi in casu necessitatis, propter impuritatem musti. Non potest autem confici de vuis integris, quia vuæ non habent speciem vini ex eo, quod non continent vinum sub forma potabili, [vt Caiet. dicit,] sed manducabili. *ead. q. art. 5. ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3. qu. 2. & ad 1.*

11. *Cur vino miscetur aqua in hoc Sacramento?*

VIno, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua misceri ex traditione *Iacobi fratris Domini*, vt dicitur *in Conc. Constant. can. 32.* Primò quidem, quia probabiliter creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aqua permixto, secundùm morem illius Terræ. Vnde Prouerb. 9. dicitur: *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Secundò, quia hoc conuenit repræsentationi Passionis Christi, de cuius latere fluxit sanguis, & aqua, *& tradit Conc. Trid. sess. 22. cap. 7. & can. 9.* Tertiò, quia conuenit ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum *cap. cum omne, de conf. dist. 2.* Debet autem vino apponi adeo modicum de aqua, quòd conuertatur in vinũ, & præcipuè si vinum sit debile. Ita mandatur *cap. perniciosus, de celebrat. Missarum.* Nec sufficeret, si aqua apponeretur dolio, ad significationem huius Sacramenti, sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem Sacramenti. Nec refert quæcumque aqua apponatur vino, siue naturalis, siue artificialis, (vt rosacea) quantùm ad necessitatem Sacramenti, quamuis quantùm ad conuenientiam peccet, qui aliam aquam apponit, nisi naturalem, & veram, quia de latere Christi pendentis in Cruce profluxit vera aqua. *ead. q. art. 6. & 7. ad 3. & art. 8. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 4. & ad 2. & q. 1. 2. & 3.*

QVÆSTIO XV.

De Conuersione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi,

1. *Quare conueniens est verum Corpus Christi contineri in hoc Sacramento, & quæ vtilitates ex hoc consequuntur?*

VErum corpus Christi, & sanguinem esse in hoc sacramento, sola fide tenendum est, quæ auctoritati Diuinæ innititur. Vnde super illud *Luc. 22. Hoc est corpus meum,* dicit Cyrillus: Non dubites, an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Saluatoris in fide: cum

enim

enim sit Veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens est perfectioni nouæ legis; sacramenta enim veteris legis verum sacrificium Passionis Christi continebant solùm in figura; & ideo oportuit, vt sacramenta nouæ legis continerent Christum passum in veritate. Ex hoc etiam consequuntur multæ vtilitates, sicut ostensio maximæ charitatis, ex hoc quod seipsum dat nobis in cibum, & nostræ spei subleuatio ex tam familiari coniunctione Christi ad nos, & maximum meritum fidei, quod multa creduntur in hoc sacramento, quæ sunt præter rationem. *3. par. q. 75. art. 1. & 4. sent. dist. 10. art. 1.*

2. Quare in hoc sacramento post consecrationem non remanet substantia panis?

IN hoc sacramento post consecrationem non remanet substantia panis. Primò quidem, quia hæc positio tollit veritatem huius sacramenti, ad quam pertinet, vt verum corpus Christi in hoc sacramento, facta consecratione, existat, quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non potest autem aliquid esse alicubi, vbi prius non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum; corpus autem Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem, quia desineret esse in cęlo; & ideò incipit esse ibi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione, non manet: vnde salua veritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non potest. Secundò, quia hæc positio contrariatur formæ huius sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est corpus meum*, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; numquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius esset dicendum: Hic est corpus meum. Tertiò contrariatur venerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quartò est contra vsum huius sacramenti, quia cibus iste non esset purè spiritualis, sed etiam corporalis. Vnde hæc positio vitanda est tamquam hæretica. *ead. q. art. 2. & 4. sentent. distinct. 11. quæst. 1. art. 1. & Quodl. 5. art. 11.*

3. Quomodo substantia panis, & vini, facta consecratione, conuertitur in substantiam corporis, et sanguinis Christi?

SVbstantia panis, & vini, facta consecratione, non annihilatur, sed virtute diuina in vltimo instanti prolationis verborum conuertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Hæc autem conuersio proprio nomine potest dici transubstantiatio, quia est conuersio totius substantiæ panis, & vini, in totam substantiam corporis, & sanguinis Christi; & declarat Conc. Trid. *sess. 13. cap. 4. et can. 2. eadem q. art. 3. ad 1. et art. 4. ad 7. et q. 78. art. 4. ad 3. et art. 5. et 4 sent. vbi sup. art. 2. et 3. et q. 1. et ad 2 et Quodl. 5. art. 11. et Quodl. 7. art. 9.*

4. *Quare*

4. *Quare in hoc Sacramento remanent accidentia post consecrationem?*

SEnsu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis, & vini remanere. Et ideo in hoc Sacramento nulla est deceptio; sunt enim ibi secundùm rei veritatem accidentia, quæ sensibus dijudicantur, & hoc rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. Primò quidem, quia horribile est carnem hominis comedere, & sanguinem bibere sub propria specie: & ideo proponuntur nobis caro, & Sanguis Christi sumenda sub speciebus panis, & vini, quibus frequentiùs homines vtuntur ad esum, & potum. Secundò, quia dum inuisibiliter Corpus, & Sanguinem Christi sumimus, hoc proficit ad meritum fidei. *ead. q. art. 5. et ad 2. et 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1. et ad 1. et 4. cont. gent. cap. 63. et Q. odl. 5. art. 11.*

QVÆSTIO VI.

De Modo quo Christus est in hoc Sacramento.

1. *Quomodo totus Christus continetur in hoc Sacramento?*

NEcesse est confiteri secundùm Fidem Catholicam, quòd totus Christus continetur in hoc Sacramento: nàm ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento id, in quod directè conuertitur substantia panis, & vini, scilicet substantia Corporis, & Sanguinis Christi, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiua in hoc Sacramento, sicut in cęteris, puta cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, vel: *Hic est sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc Sacramento illud, quòd realiter est coniunctum substantiæ Corporis, & Sanguinis Christi, scilicet Diuinitas, & anima Christi, quia Diuinitas corpus assumptum numquam dimisit, & anima Christi post Resurrectionem semper est realiter eius corpori vnita; *& tradit Conc. Trid. sess. 13. cap. 3.* Et ideo in triduo mortis Christi, in quo eius anima realiter fuit à corpore separata, si fuisset hoc Sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi Sacramenti, nec ex naturali concomitantia. *3. par. q. 76. art. 1. et ad 1. et 4. sent. dist. 10. art. 2. et 4. con. gent. cap. 64. et Q. odl. 7. art. 8.*

2. *Quomodo totus Christus continetur sub vtraque specie?*

CErtissimè tenendum est, quòd sub vtraque specie totus Christus continetur, diuerso tamen modo. Nam sub specie panis est quidem Corpus Christi ex vi Sacramenti, Sanguis autem ex reali concomitantia, sicut anima, & Diuinitas. Sub specie autem vini est quidem Sanguis Christi ex vi Sacramenti, Corpus autem ex reali concomitantia, quia nunc Sanguis Christi non est ab eius Corpore separatus, sicut fuit tempore passionis, & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc Sacramentum celebratum sub specie panis, fuisset ibi Corpus Christi sine sanguine,

guine; & sub specie vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate. Ex hoc autem, quòd totus Christus sub vtraque specie continetur, non sequitur, quòd altera earum sit superflua, quia hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua sanguis seorsum fuit à corpore separatus. *ead. q. art. 2. et ad 1. et 4. sent. vbi sup. q. 1. et declarat Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. et can. 3.*

3. *Quomodo totus Christus continetur sub qualibet parte dimensionum specierum panis, vel vini?*

TOtus Christus continetur sub qualibet parte dimensionum specierum panis, vel vini, quia substantia Corporis, & Sanguinis Christi non est in hoc Sacramento per modum quantitatis dimensiuæ, sed per modum substantiæ, hoc est, indiuisibiliter, quia substantia Corporis, & Sanguinis Christi non est subiectum dimensionum specierum panis, & vini, sicut erat substantia panis, & vini. Et ideo non diuiditur ad diuisionem illarum dimensionum, sicut diuidebatur substantia panis, & vini. *ead. q. art. 3. & 5. & 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 2. & Quodl. 7. art. 8. & statuit Conc. Trid. sess. 13. cap. 3.*

4. *Quomodo tota quantitas dimensiua Corporis Christi continetur in hoc Sacramento?*

QVantitas dimensiua Corporis Christi non est in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, quia ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento id, in quòd substantia panis directè conuertitur: substantia autem panis conuertitur directè in Corpus Christi, non autem in eius dimensiones; quod patet ex eo, quòd quantitas dimensiua panis remanet, facta consecratione; Sed est in hoc Sacramento tota quantitas dimensiua Corporis Christi, & omnia eius accidentia ex vi naturalis concomitantiæ, quia Corpus Christi non separatur realiter à sua quantitate dimensiua, & ab alijs accidentibus; Non tamen est ibi per proprium modum commensurationis, sed per modum substantiæ, hoc est, indiuisibiliter. Et propter hoc Corpus Christi non est in hoc Sacramento, sicut in loco, quia locatum commensuratur loco. Et eadem ratione non est in hoc Sacramento diffinitiuè, sicut est in Cœlo in propria specie; neque circumscriptiuè, neque secundùm distantiam partium ab inuicem, sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure, quia non est ibi secundùm proprium modum quantitatis dimensiuæ. *ead. q. art. 3. ad 2. & art. 4. & ad 1. 2. & 3. & ar. 5. et ad 1. et 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 2. et art. 3. et q. 1.*

5. *Quomodo Corpus Christi potest videri in hoc Sacramento?*

COrpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non potest videri ab oculo corporali, quia est in hoc Sacramento per modum substantiæ; substantia autem, vt substantia, neque subiacet sensui, neque etiam imaginationi, sed soli intellectui. Et ideo, propriè loquendo,

do, Corpus Christi secundùm modum essendi, quem habet in hoc Sacramento, neque sensu, neque imaginatione visibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis, non quidem intellectu hominis viatoris, à quo videri non potest, nisi per fidem, neque intellectu angelico secundùm sua naturalia, qui non sufficit ad hoc intuendum; sed intellectu beato, vel Angeli, vel hominis, visione diuinæ essentiæ. *ead. q. ar. 7. & 4. sent. vbi sup. art. 4. & q. 3.*

6. *Quid si in hoc Sacramento miraculosè appareat caro, vel puer, vel sanguis?*

QVando in hoc Sacramento miraculosè apparet caro, vel sanguis, vel puer, si fit immutatio ex parte videntium, nulla immutatione facta ex parte Sacramenti, quod quidem videtur contingere, quando vni videtur sub specie carnis, vel sanguinis, vel pueri; alijs verò videtur sicut priùs sub specie panis, vel vini: Vel quando eidem videtur ad horam sub specie carnis, vel sanguinis, vel pueri, & postea sub specie panis, vel vini; tunc est ibi verè Corpus, vel Sanguis Christi. Si verò fit immutatio circa accidentia, puta figuram, colorem, & alia huiusmodi, vt videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer, sicut cum ab omnibus, & per longum tempus videtur, tunc, si remanent ibi dimensiones panis, vel vini, quæ priùs fuerant, remanet Corpus, vel Sanguis Christi. Et tunc non debet ab eo, cui apparet, assumi; sed debet cum reliquijs poni, quia non proponitur in specie cibus, vel potus, sed ad venerandum. Nec huiusmodi immutatio ex parte accidentium est deceptio, sed figura cuiusdam veritatis, ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem, quòd in hoc Sacramento est verè Corpus, & Sanguis Christi, sicut etiam Christus absque deceptione apparuit Discipulis euntibus in Emaus. *ead. q. art. 8. & 4. sent. vbi sup. art. 4. q. 1. & ad 1. & q. 2. & ad 1. & opusc. 58. cap. 11.*

QVÆSTIO XVII.

De Accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.

1. *Quomodo in hoc Sacramento remanent accidentia sine subiecto?*

IN hoc Sacramento remanent accidentia sine subiecto virtute diuina, quia Deus, cum sit prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam: effectus enim magis dependet à causa prima, quam à causa secunda. *3. par. qu. 77. art. 1. & 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 1. & 4. con. gent. cap. 63. & Quodl. 9 art. 5.*

2. *Quomodo quantitas dimensiua panis, vel vini, est subiectum aliorum accidentium in hoc Sacramento?*

QVantitas dimensiua panis, vel vini, est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc Sa-

Sacramento, quia sensu apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, & alijs accedentibus affectum: & sic quantitas dimensiua in hoc sacramento retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem substantiæ ex ipsa consecratione, quod scilicet sit substantia aliorum accidentium per nouum modum essendi substantiæ; *ead. q. art. 2. & 5. ad 3. & 4. sent. vbi sub art. 1. q. 2.*

3. *Quomodo species sacramentales possunt corrumpi?*

SPecies sacramentales possunt corrumpi, sicut poterant corrumpi, substantia panis, & vini existente, quia retinent idem esse, quod prius habebant; & ideo sicut poterant corrumpi per se per alterationem qualitatis, & per additionem, vel diuisionem quantitatis dimensiuæ, quia tantum poterat additio, vel diuisio fieri, quod species panis, vel vini non remaneret, & etiam poterant corrumpi per accidens per corruptionem subiecti, ita possunt corrumpi post consecrationem; per se quidem per alterationem qualitatis, si ita immutetur color, vel sapor panis, vel vini, quod soluatur species panis, vel vini; vel per additionem, vel diuisonem quantitatis dimensiuæ, si fiat additio tantæ quantitatis, vel diuisio in tam minutas partes, quod non remaneat eadem numero species panis, vel vini. Possunt autem corrumpi per accidens per corruptionem eius, quod est loco subiecti, scilicet quantitatis dimensiuæ, quæ quidem potest corrumpi à contrario agente. Vnde corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet, quod illæ species retineant esse sine subiecto, quod prius habebant in subiecto, sicut & cęcus miraculosè illuminatus naturaliter videt. *ead. q. art. 4. & ad 3. & art. 8. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 2. & opusc. 11. art. 35.*

4. *Quomodo ex speciebus sacramentalibus potest aliquid generari?*

EX quantitate dimensiua panis, vel vini potest aliquid generari, quia est subiectum aliorum accidentium, & sic supplet vicem materiæ. Vnde quidquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex quantitate dimensiua panis, vel vini, non quidem nouo miraculo, sed ex vi primi miraculi facti in consecratione, quod scilicet quantitas dimensiua sit subiectum accidentium. *ead. quæst. art. 5. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. q. 3. & 4. cont. gent. cap. 66. & Quodl. 9. art. 5. ad 3.*

5. *Quare species sacramentales possunt nutrire, & frangi?*

SPecies sacramentales nutriunt, quia habent vim substantiæ, & etiam franguntur ratione quantitatis dimensiuæ, quæ est subiectum fractionis, sicut & aliorum accidentium. *ead. q. art. 6. ad 3. & art. 7. & 4. sent. vbi sup. q. 4. & 4. cont. gent. cap. 66.*

6. *Quid si vino consecrato admisceretur liquor eiusdem, vel alterius speciei non consecratus?*

SI vino consecrato permisceretur aliquis liquor eiusdem, vel alterius speciei, scilicet aqua in tanta quantitate, quòd diffunderetur per totum vinum, puta si esset æqualis quantitatis, vel maioris, non remaneret eadem numero species vini: Si autem permisceretur liquor in tàm parua quantitate, quòd non diffunderetur per totum vinum consecratum, sed vsque ad aliquam partem specierum, definiret esse Sanguis Christi sub ilia parte, remaneret tamen in alia, quia remaneret eadem numero species vini, siue liquor permixtus sit eiusdem speciei, siue alterius speciei, quia gutta aquæ multo vino permixta, transit in speciem vini. *ead. q. art. 8. et 4. sent. vbi sup. q. 5. et Quodl. 10. art. 3. et ad 1.*

QVÆSTIO XVIII.

De Forma huius Sacramenti.

1. *Quæ est conueniens forma huius Sacramenti?*

FOrma conueniens huius Sacramenti est: *Hoc est corpus meum, & : Hic est calix sanguinis mei*. Primò quidem, quia forma huius Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ consistit in transubstantiatione panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem, quam exprimunt verba hæc: *Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei*. Secundò, quia forma huius Sacramenti profertur ex persona Christi loquentis: & ideò Minister in perfectione huius Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi: *Hoc est corpus meum, & : Hic est calix sanguinis mei. 3. par. qu. 78. art. 1. & 4. sent. dist. 8. q. 2. art. 1. & quæst. 2.*

2. *Quæ verba sunt de essentia formæ huius Sacramenti?*

SI Sacerdos proferret hæc sola verba: *Hoc est corpus meum, & : Hic est calix sanguinis mei*, cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia hæc verba, prætermissis præcedentibus, intelligerentur secundùm intentionem Sacerdotis, dicentis ea ex persona Christi; grauitèr tamen peccaret Sacerdos sic cóficiens hoc Sacramentum, vtpotè ritum Ecclesiæ non seruans. *ead. q. art. 1. ad 4. & 4. sent. vbi sup. q. 1.*

3. *Quæ est conueniens forma consecrationis panis?*

COnueniens forma consecrationis panis est; *Hoc est corpus meum*, quia significat effectum huius Sacramenti, scilicet conuersionem panis in corpus Christi, non vt in fieri, sed vt in facto esse: fit enim in vltimo instanti prolationis verborum, vt dictum est. Apponitur autem in hac forma coniunctio (*enim*) secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à B. Petro deriuatum, & hoc propter continuationem ad verba

ba præcedentia; & ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam. *ead. q. art. 2. & ad 4. & 4. sent. vbi sup. ar. 1. & 4. q. 1. ad 2.*

4. *Quæ est conueniens forma consecrationis vini?*

CONueniens forma consecrationis vini est: *Hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Nàm per præcedentia verba, cum dicitur: *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem; per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in Passione. Et ideo præcedentia verba sunt de essentia formæ, vt dictum est. Verba autem sequentia sunt de substantia, siue integritate formæ, quia sunt quædam determinationes prædicati, scilicet sanguinis Christi. Dicitur autem calix metaphoricè, inquantum significat passionem Christi, secundùm illud Matth. 26. *Transeat à me calix iste*, vt sit sensus: Hic est calix passionis meę, de qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore consecrato, quia sanguis Christi fuit à corpore separatus per passioné. Dicitur auté: (*Hic est calix sanguinis mei*) & non: *Hic est sanguis meus*, ad significandum, quòd sanguis proponitur in specie vini, vt sumatur. Subditur (*Noui testamenti*) quia non in figura, vt in veteri testamento, sed in veritate sanguis Christi exhibetur homini: Additur (*Æterni*) ratione bonorum æternorum, de quibus est nouum testamentum. Apponitur (*Mysterium fidei*.) quia sola fide tenetur, quod sanguis Christi secundùm veritatem sit in hoc Sacramento: Subditur (*Qui pro vobis*) scilicet Iudæis electis (*& pro multis*) scilicet Gentilibus, vel (*pro vobis*) manducantibus, & (*pro multis*) pro quibus offertur. Dicitur [*effundetur*] quia sanguis seorsum consecratus expresse repræsentat Christi Passionem. Hæc autem verba ferè omnia ex diuersis sacræ Scripturæ locis colligi possunt. Quòd enim dicitur [*Hic est calix*] habetur Luc. 22. & 1. Corinth. 2. Quòd autem dicitur (*Noui testamenti*) ex tribus, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. & quod dicitur [*pro vobis*] Luc. 22. [*& pro multis*] Matth. 26. & Mar. 14. Quòd autem dicitur (*Æterni mysterium fidei*) habetur ex traditione Apostolorum, qui à Domino acceperunt, secundùm illud 1. Corinth. 2. *Ego autem accepi à Domino, quòd & tradidi vobis; cap. cum Martha de celebrat. Miss. eadem q. art. 3. & ad 1. 2. 3. 4. 6. 8. & 9. & 4. sent. vbi sup. art. 2. & ad 1. & q. 1. & 2. & ad 3. & ad 7.*

5. *Quomodo in his verbis formarum est vis creata effectiua consecrationis?*

IN his verbis est quædam vis creata instrumentalis conuersiua substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, inquantum proferuntur ex persona Christi, ex cuius mandato consequuntur hanc virtutem. Vnde Ambros. dicit lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Si tanta est vis in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse,*

quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur. ead. q. art. 4. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3.

QVÆSTIO XIX.

De Effectibus huius Sacramenti.

1. *Quando hoc Sacramentum auget gratiam?*

ANte perceptionem huius Sacramenti datur gratia ex voto ipsius, cum scilicet primò datur peccatori, & sic operatur remissionem peccati mortalis, cum autem ipsum Sacramentum realiter sumitur, gratia augetur. *3. par. q. 79. art. 1. & ad 1. & art. 3. & ad 3.*

2. *Quomodo effectus huius Sacramenti est adeptio gloriæ?*

EFfectus huius Sacramenti est adeptio gloriæ, secundùm illud Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, inquantum dat virtutem perueniendi ad gloriam; & ideo dicitur Viaticum, in cuius figuram legitur 3. Reg. 19. *quod Elias comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. ead. q. art. 2. ad 1.*

3. *Quando per hoc Sacramentum remittitur peccatum mortale?*

HOc Sacramentum secundùm se habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata ex Passione Christi, quæ est fons, & causa remissionis peccatorum; sed ex parte eius, qui actù percipit hoc Sacramentum, non operatur remissionem peccati mortalis, si habet conscientiam, & affectum ipsius, tùm quia non viuit spiritualitèr, & ideo non debet spirituale nutrimentum suscipere, quòd non est nisi viuentis; tùm quia non potest vniri Christo, quòd fit per hoc Sacramentum, dum habet affectum peccati mortalis. Si autem non habet conscientiam, & affectum peccati mortalis, facta diligenti discussione sui ipsius, potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati mortalis, quia deuotè, & reuerenter accedens, etiam si non sit sufficienter contritus, consequetur per hoc Sacramentum gratiam, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati; & docet *Conc. Trid. sess. 22. cap. 2.* Potest etiam ex voto ipsius Sacramenti remitti peccatum mortale, quia sic datur gratia, quæ est sufficiens causa remissionis peccati mortalis. *ead. q. art. 1. ad 1. & art. 3. et ad 3. et q. 80. art. 4. ad 5. et 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1.*

4. *Quomodo per hoc Sacramentum remittuntur peccata venialia?*

HOc Sacramentum operatur remissionem venialium peccatorum, quia res huius Sacramenti est charitas, non solùm quantùm ad habitum, sed etiam quantùm ad feruorem actus, qui excitatur in hoc Sacramento: ex feruore autem actus cha-

charitatis peccata venialia dimittuntur; & docet *Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 2. *et sess.* 22. *cap.* 1. *ead. q. art.* 4. *et ad* 1. *et* 4. *sent. vbi sup. art.* 2.

5. *Quomodo hoc Sacramentum valet ad satisfactionem pœnæ?*

HOc Sacramentum est simul Sacramentum, & Sacrificium. Habet quidem rationem Sacramenti inquantum sumitur, rationem autem sacrificij inquantum offertur. Vt autem est Sacramentum, non est satisfactorium ex vi Sacramenti, quia non est institutum ad satisfaciendũ, sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Corpus Christi mysticum; sed est satisfactorium ex quadam concomitantia: quia hæc vnio fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem, non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, non quidem totius, sed secundùm quantitatem suæ deuotionis, & feruoris. Inquantum verò est sacrificium, vt etiam docet *Conc. Trid. sess.* 22. *c.* 2. est satisfactorium illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna; quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro tota pœna; quia in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. *Vnde Dominus dicit* Luc. 21. *de vidua, quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus misit, eadẽ q. art.* 5. *et* 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 2.

6. *Quare hoc Sacramentum magis valet ad satisfactionem pœnæ, si offeratur pro vno solo, quàm si offeratur pro multis?*

HOc Sacramentum, si offeratur pro vno singulariter, magis valet ei, quàm si offeratur pro eo, & alijs communiter, quia est satisfactorium per intentionem facientis, secundùm quantitatem suę deuotionis: & sic habet effectum finitum, qui diuiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quibus offertur, quamuis virtus Christi, quæ continetur sub hoc Sacramento, sit infinita; quia, vt dictum est, in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & quandoque plures Missę in satisfactionem vnius peccati iniunguntur. *ead. qu. vbi supra, et* 4. *sent. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. *et art.* 4. *qu.* 1. *et* 2. *ad* 2. *et Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 4. *de refor. videtur innuere.*

Ex his refellitur opinio Caiet. tom. 2. *opusc. tract.* 3. *q.* 2. *quod Missa non minus valet singulis, si dicatur pro pluribus, quàm si dicatur pro vno solo.*

7. *Quomodo per hoc Sacramentum homo præseruatur à peccatis futuris?*

PEr hoc Sacramentum homo pręseruatur à peccatis futuris. Primò quidem, quia tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina roborat spiritualem vitam hominis, secundùm illud Psal. 103. *Panis cor hominis confirmat.* Secundò, quia, inquantum est signũ Passionis Chri-

 sti,

sti, per quam victi sunt Dæmones, repellit omnem Dæmonum impugnationem. *ead. q. art. 6. & docet Conc. Trid. sess. 13. cap. 2.*

8. *Quomodo hoc Sacramentum prodest alijs, quàm sumentibus?*

HOc Sacramentum prodest sumentibus, vt est Sacramentum: dicitur enim in Canone Missę *Quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filij tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur*. Sed alijs, qui non sumunt, prodest hoc Sacramentum, vt est sacrificium, inquantum pro salute eorum offertur. Vnde, & in Canone Missæ dicitur: *Memento Domine famulorum, famularumque suarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificiũ laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum sanctarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ*. Et vtrumque modum Dominus expressit Matth. 26. & Luc. 22. *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, *& pro multis*, scilicet alijs, *effundetur in remissionem peccatorum*. *ead. qu. art. 7. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. ad 4.*

Vnde colligitur secundùm Sot. 4. d. 12. q. 2. art. 7. quod hoc Sacramentum, vt est sacrificium, non omnibus æqualiter prodest quoad satisfactionem, etiamsi æqualem habeat deuotionem, sed illis magis, pro quibus singulariter offertur, vel propter eleemosynam, vel propter aliam particularem causam.

9. *Quomodo per distractionem mentis impeditur effectus huius Sacramenti?*

SI aliquis mente distractus per peccata venialia accedit ad hoc Sacramentum, percipit quidem habitualem effectum huius Sacramenti, scilicet augmentum habitualis gratiæ, non autem præsentialem, qui est delectatio spiritualis dulcedinis. *ead. q. art. 8. & ad 1. quamuis 4. sent. dist. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad 2. secutus aliorum opinionem aliud senserit.*

Ex quibus patet opinionem Caiet. ead. q. art. 1. non esse recipiendam, quod aliquis in perceptione huius Sacramenti non consequitur augmentum habitualis gratiæ absque actuali deuotione.

QVÆSTIO XX.

De Vsu huius Sacramenti.

1. *Quibus modis hoc Sacramentum manducatur?*

TRiplex est manducatio huius Sacramenti. Vna quidem sacramentalis, per quam aliquis percipit solum sacramentum sine effectu ipsius, puta si sumit in peccato mortali. Altera est spiritualis, per quam aliquis percipit effectum huius Sacramenti, quo spiritualiter Christo coniungitur per fidem, & charitatem, quæ fit, vel propter desiderium sumendi hoc sacramẽtum, vel propter figuram, sicut Apost. dicit 1. Cor. 10. quod antiqui Patres *spiritualem escam manducauerunt, &*

spi-

spirituali potum biberunt. Tertia mãducatio est sacramentalis simul, & spiritualis, quæ plenius inducit sacramenti effectum. *3. par. q. 80. art. 1. & ad 2. & 3. & 4. sent. dist. 9. art. 1. q. 2. & ad 4. & 5. & opusc. 58. cap. 17. & declarat Concil. Trid. sess. 13. cap. 8. & sess. 22. cap. 6.*

Vnde non mihi placet quod dicit Sot. 4. sent. dist. 1. q. 3. art. 1. circa finem, & dist. 12. q. 1. art. 1. quod quando infirmus propter euidens periculum non suscipit Eucharistiam, sed tantùm adorat, non percipit sacramentalem gratiam.

2. *Quomodo Corpus Christi manducatur à peccatore?*

PEccator manducat Corpus Christi sacramentaliter, quia sumit species sacramentales, sub quibus Corpus Christi manet, quamdiu ipsæ manent. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis Corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis, præsertim cum labia peccatoris non tangant corpus Christi secundùm propriam speciem, sed solum secundùm species sacramentales. *ead. q. art. 3. & ad 3. & 4. sent. dist. 9. art. 2. & ad 3.*

3. *Quomodo Corpus Christi manducatur à brutis?*

SI mus, aut canis Hostiam consecratam manducet, non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat, sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam, quia animal brutum non est natum vti eo, vt sacramento. *ead. q. art. 3. et ad 3. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

4. *Quomodo debet homo se præparare ad sumptionem huius Sacramenti?*

HOmo debet se præparare ad sumptionem huius Sacramenti propter dignitaté Corporis Christi, secundùm illud 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*. Hæc autem præparatio primò quidem fit per Fidei plenitudinem, vt dicitur ad Hæbr. 10. *Accedamus cum vero corde, in Fidei plenitudine: cum vero corde*, idest, cum vero intellectu sine errore: *in plenitudine Fidei*, idest in plena fide, credentes quæ non videmus, scilicet sub specie panis esse totum Christum, verum hominẽ, verum Deum. Secundò fit per munditiæ magnitudinem, quia congruũ est, vt vas suscepturum corpus mundissimum, sit mundum. Tertiò fit per orationis deuotionem, secundùm illud Tob. 3. *Antequam comedam suspiro. opusc. 58.*

5. *Quare accedens ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis peccat mortaliter?*

QVicumque accedit ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter secundùm illud 1. Cor. 2. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium* (hoc est condemnationem) *sibi manducat, & bibit*; quia abutitur sacramento: cuius ratio ex tribus potest sumi.

Primò

Primò quidem ex eo, quod est sacramentum tantùm, quia hoc sacramentum proponitur in modum cibi, qui non competit, nisi viuenti; vnde carens vita spirituali per peccatũ mortale, si accipiat hoc sacramentum, abutitur ipso. Secundò ex eo, quod est ibi res, & sacramentum, quod est Christus, qui est Sanctus Sanctorum: vnde recipiens ipsum in peccato mortali, sacramento abutitur. Tertiò ex eo, quod est res tantùm, quod est corpus Christi mysticum; quia quicumque hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo, & membris eius incorporatum, quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo quicumque hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit, & per consequens incurrit sacrilegium, tamquam sacramenti violator. Si autem non habet conscientiam peccati mortalis, facta diligenti discussione sui ipsius, secundùm illud, Corinth. 2. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, non peccat sumendo corpus Christi, etiam si non sit sufficienter contritus; quia homo non potest per certitudinem scire, an sit verè contritus; sufficit enim si in se signa contritionis inueniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cauere de futuris. *ead. q. art. 4. & ad 5. & 4. sent. vbi sup. art. 3. & q. 1. & dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 1.*



6. Quando peccatori petenti communio est deneganda?

PVblico peccatori, vel per euidentiam facti, quæ non potest aliqua tergiuersatione celari, vel per aliquod iudicium Ecclesiasticũ, vel sæculare, quæ faciunt peccatum notorium; *de cohab. cler. cap. vlt.* est communio deneganda, etiam petenti, antequam de peccatis pœniteat, & Ecclesiæ reconcilietur, siue in occulto, siue manifesto petat, secundùm illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*, id est, peccatoribus manifestis: *de cons. dist. 2. cap. pro dilectione*. Sed occulto peccatori petenti non potest Sacerdos communionem denegare, si in manifesto petat, quia esset confessionis reuelator, vel criminis proditor. Si autem in occulto petat, non debet Sacerdos ei communionem denegare, si sit Curatus, & ille petat tempore Paschatis, vel in articulo mortis, vt declarat Sot. quia ille ex hoc, quod est baptizatus, habet ius petendi, quod ei tolli non potest sine aliqua causa manifesta. Potest tamen Sacerdos, qui est conscius criminis occultè monere eum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam pœniteant. In nullo autem casu est licitum dare peccatori occulto hostiam non consecratam loco consecratæ, quia quantùm in se est, faceret idolatrare populum, siue ipsum sumentem, quamuis ipse idolatriæ crimen non incurreret, credens probabiliter hostiam esse consecratam, sed

sed sacerdos incurreret. *ead. qu. art. 6. & ad 1. & 2. & 4. sent. vbi sup. art. 5. & ad 4. & Quodl. 5. art. 12.*

7. *Quomodo nocturna pollutio, vel coniugalis coitus impedit sumptionem huius sacramenti?*

NOcturna pollutio impedit ex necessitate sumptionem huius sacramenti, si sit cum peccato mortali; si verò sit sine peccato, vel cum peccato tantùm veniali, impedit sumptionem non ex necessitate, sed tamen ex congruentia. Quod autem modò coniuncta sit cum peccato mortali: modò cum veniali, prouenit ex diuersis illius causis, de quibus fusè tractatum est *sup. quæ. de Luxuria.* Impedit verò sumptionem ex congruentia per illam diem, partim propter immunditiam corporalem, cum qua propter reuerentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere, nisi fortè talis immunditia sit perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis; Partim propter mentis distractionem, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum postponi debet propter aliquam necessitatem; puta, cum dies festus exigit, aut alius sacerdos deest, vt dicit *Greg. in epistola ad August. Episcopum Anglorum, & habetur dist. 6. cap. testamentum.* Si autem necessitas non vrgeat, accedens ad hoc Sacramentum, videtur non exhibere debitam reuerentiam sacramento; & ideo venialiter peccat. Similiter etiam coitus coniugalis impedit sumptionem huius sacramenti ex quadam congruentia propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem, si sit sine peccato, puta si fiat causa procreandæ prolis, vel reddendi debitum; si verò sit cum peccato, sicut si fiat propter carnalem delectationem, tunc coniux moneri debet, ne ad Sacramentum accedat, vt ibidem dicit *Gregorius, & refertur 33. q. 4. vir cum propria. ead. q. art. 7. & ad 2, 3. & 4. & 4. sent. vbi sup. art. 4. q. 1.*

8. *Quomodo cibus, vel potus præassumptus impedit sumptionem huius sacramenti?*

CIbus, vel potus præassumptus per modum cibi, vel potus, impedit sumptionem huius sacramenti propter prohibitionem Ecclesiæ, *cap. liquidò de cons. dist. 2.* Primò quidem propter reuerentiam sanctitatis huius sacramenti. Secundò propter deuotionem, quæ exigitur ex parte recipientis, & attentionem, quæ ex cibis acceptis impediri posset. Tertiò propter periculum vomitus, & ebrietatis, in iis qui cibo hoc inordinatè vescuntur: sicut Apost. arguit: 1. Cor. 2. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Vnde reliquiæ cibi remanentes in ore si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius Sacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Eadem ratio est de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate, sed permixtæ saliuæ,

uæ, quod vitari non potest. Ab hac tamen regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant; Vt dicitur *ead. parte 3. q. 80. art. 8. ad 1. & ad 4. & 4. sent. dist. 12.*

9. Per quod temporis spatium cibus, vel potus præassumptus impedit sumptionem huius sacramenti?

SI post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum; potest verò si ante mediam noctem. Nec refert, vtrum post cibum, vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantùm ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomnietatem, vel indigestionem, ex quibus si mens multùm perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti. *ead. q. art. 8. ad 5.*

10. Quare non statim est comedendum post sumptionem huius sacramenti?

MAgis est institutum, quod homines sint ieiuni ante sumptionem huius sacramenti, quàm post; quia maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti, in qua percipitur sacramenti effectus. Hæc autem deuotio magis impeditur per cibum, vel potum præassumptum, quam sequentem. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti, & reliquos cibos, propter reuerentiam tanti sacramenti. Vnde & in Missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & sacerdotes post celebrationem suas priuatas orationes dicunt: *ead. q. art. 8. ad 6. & 4. sent. vbi sup. q. 2.*

11. Quando hoc sacramentum exhibendum est pueris?

POtest hoc sacramentum conferri pueris, quando incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, & distinguere inter cibum spiritualem, & corporalem, puta cum sunt decem, & vndecim annorum, vel circa, & docet *Conc. Trid. sess. 21. cap. 4.* Hoc autem secundùm Caiet. in comment. & in summa, Verbo, *Communio.* iudicari potest à parentibus, & Confessore: à parentibus quidem, quia continua conuersatione experiuntur, an filius, vel filia discernere sciat panem spiritualem à corporali, & cum deuotione præparare se ad communionem: à Confessore verò, quia in ipsa confessione potest aduertere, quantùm discretionis, aut deuotionis possit inesse. Vbi autem pueri tardiùs consueuerunt ad communionem admitti ob reuerentiam sacramenti, excusantur à pecato omissionis. *ead. q. art. 9. ad 3. & 4. sent. dist. 9. art. 5. q. 2.*

12. *Quando amentibus est exhibendum hoc Sacramentum?*

NOn est denegandum hoc Sacramentum amentibus, qui habent debilem vsum rationis, quia tales possunt aliquam deuotionem huius Sacramenti concipere: Illis verò, qui nunquam vsum rationis habuerunt, sicut amentibus à natiuitate, non est hoc sacramentum exhibendum, quia non possunt ad deuotionem huius sacramenti induci: Amentibus autem, qui non semper vsum rationis habuerunt, sed quando erant compotes mentis, apparuit in eis deuotio huius sacramenti, debet in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel exsputitionis. 16. *q.* 6. *cap. si quis*. Eadem ratio de dæmoniacis. *ead. qu. art.* 9. *&* *ad* 2. *&* 4. *sent. vbi sup. q.* 2. *& ad* 2.

13. *Quando vtile est hoc Sacramentum sumere?*

VTile est quotidiè hoc Sacramētum sumere ex parte sacramenti, vt quotidiè homo eius fructum percipiat; sed ex parte sumentis vtile est, quotiescumque homo se ad hoc præparatum inuenit. Si enim cognoscit ex quotidiana sumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis debet quotidiè sumere: Si autem sensit per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multùm augeri debet talis interdum abstinere. *ead. q. art.* 10. *&* 4. *sent. dist.* 2. *q.* 3. *art.* 1.

14. *Quomodo sumere hoc Sacramentum cadit sub præcepto?*

TEnetur homo (quidquid dicat Caiet.) hoc sacramentum sumere ex præcepto Christi, dicentis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi dedit Sacerdotibus potestatem hoc sacramentum conficiendi, & populo ministrandi, sicut & ipse Discipulis ministrauit, & declarat *Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 1. & ratio est, quia homo non potest saluari sine voto percipiendi hoc sacramentum, vt dictum est. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando oportunitas adesset: & ideo ex diuino præcepto tenetur homo aliquando in re hoc sacramentum sumere. Ex statuto autem Ecclesiæ est determinatum tempus exequendi Christi præceptum semel in anno, hoc est in Pascha, vt patet in ca. *omnis de pœnit. & remiss. ead. q. art.* 11. *& q.* 82. *art.* 1. *&* 4. *sent. dist.* 9. *ar.* 1. *quæst.* 1.

15. *Quare conueniens est hoc Sacramentum sumere sub vtraque, & sub vna specie?*

COnuenit sumere corpus, & sanguinem Christi ex parte sacramenti, ad repræsentandum mysterium Dominicæ Passionis, quod ad Sacerdotem pertinet, qui nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Sed ex parte sumentium prouidè in Ecclesia obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, propter periculum effusionis sangui-

nis,

nis, quæ de facili posset accidere, si incautè sumeretur. Vnde & tempore Apostolorum hoc sacramentũ sumebatur sub vna specie, scilicet panis, vt dicitur Actor. 2. quod Fideles erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis. Nec exinde minuitur fructus huius Sacramenti: tùm quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit; tùm etiam, quia sub vtraque specie totus Christus continetur, vt dictum est. *ead. q. art. 12. & 4. sent. dist. 10. art. 2. q. 1. & statuit Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. 2. & 3. & can. 2 & 3.*

QVÆSTIO XXI.

De Modo, quo Christus vsus est hoc Sacramento.

Quomodo Christus sumpsit suum corpus, & sanguinem?

CHRISTVS in cęna primò corpus suum, & sanguinem sumpsit, & postea Discipulis sumendum tradidit, vt dicit Hieron. ad Lesbiam, & refertur. *de consecr. dist. 2. cap. Nec Moyses. Dominus Iesus Christus ipse conuiua, & conuiuium ipse comedens, & qui comeditur.* Quod autem Discipulis dixit: *Accipite, & comedite*, & iterum: *Accipite, & bibite*; intelligendum est, quod ipse accipiens comederit, & biberit: & quamuis Christo non fuerit augmentata gratia ex susceptione huius Sacramenti, habuit tamen quamdam spiritualem delectationem, quæ est effectus huius sacramenti, vt dictum est. Vnde ipse dicebat *Luc. 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. 3. par. q. 81. art. 1. & ad 1. & 3. & 4. sent. dist. 11. q. 3. art. 1.*

QVÆSTIO XXII.

De Ministro huius sacramenti.

1. *Quare consecratio huius sacramenti est propria Sacerdotis?*

COnficere hoc sacramentum est proprium Sacerdotis, *cap. firmiter de sum. Trin. & Fide Cath. §. vna* quia non conficitur nisi in persona Christi. Sacerdoti autem cum ordinatur, traditur potestas hoc sacramentum cóficiendi in persona Christi dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde dicitur 1. Petr. 2. *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias. 3. par. q. 82. art. 1. & tradit Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2.*

2. *Quomodo plures Sacerdotes possunt simul eamdem hostiam consecrare?*

PLures possunt eamdem hostiam consecrare, sicut fit cum Sacerdotes ordinantur, qui secundùm consuetudinem quarumdam Ecclesiarum Episcopo ordinanti concelebrant, sicut Apostoli Christo cęnanti concęnauerunt, quia Sacerdos, vt dictum est, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna. Nec propter hoc iteratur consecratio super eamdem hostiam; quia sicut *Innoc. III. dicit l. 4.*

de

de sacro altaris mysterio, *cap*. 25. omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis, quo scilicet Episcopus consecrat. *ead. q. art.* 2. *&* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *& ad* 1. *&* 2.

3. *Quare dispensatio huius sacramenti pertinet ad solum Sacerdotem?*

DIspensatio huius Sacramenti pertinet ad solum Sacerdotem. Primò quidem, quia sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundò, quia in reuerentiam huius sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata. Vnde & corporale, & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum; & ideo nulli tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in alio necessitatis casu. *ead. q. art.* 3. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 1.

4. *Quare malus Sacerdos potest hoc sacramentum conficere?*

MAlus Sacerdos potest Eucharistiam consecrare, quia non consecrat propria virtute, sed sicut Minister Christi in eius persona: ex hoc autem, quod aliquis est malus, non desinit esse Minister Christi, immo hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui sicut vero Deo seruiunt non solùm bona, sed etiam mala, quæ per ipsius prouidentiam in eius gloriam ordinãtur. *ead. q. art.* 5.

5. *Quomodo Missa mali Sacerdotis minus valet, quàm boni?*

MIssa mali Sacerdotis, scilicet existentis in peccato mortali, quantùm ad sacramentum, non minus valet, quam Missa boni Sacerdotis, quia ab vtrisque idem conficitur sacramentum; sed quantùm ad orationem, quæ fit in Missa ex institutione Ecclesiæ, quæ pertinet ad sacrificium, si consideretur, vt habet efficaciam ex deuotione Sacerdotis orantis, Missa melioris Sacerdotis est magis fructuosa; si verò cõsideretur oratio, vt habet efficaciam ex merito Ecclesiæ, cuius Sacerdos est Minister, Missa melioris Sacerdotis non est magis fructuosa. *ead. q. art.* 6. *&* 4. *sent. vbi sup. art.* 1. *q.* 4.

6. *Quomodo hæretici, schismatici, & excommunicati potestatem habent consecrandi?*

HÆretici, schismatici, & excommunicati, si intrà Ecclesiam constituti receperunt potestatem cõsecrandi in ordine sacerdotij, rectè quidem habent potestatem, sed non rectè ea vtuntur: Si autem sic separati ab Ecclesia ordinantur, nec rectè habent potestatem, nec rectè vtuntur. Vtrique tamen potestatem habent, & ideo cum redeunt ad vnitatem Ecclesiæ, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. *ead. q. art.* 7. *&* 4. *sent. vbi sup. q.* 2.

7. *Quomodo degradatus habet potestatem consecrandi?*

DEgradatus non amittit potestatem consecrandi, quia potestas con-

consecrandi pertinet ad characterem sacerdotalem hominis, qui indelebilis est: Sed ei aufertur executio; & ideo si consecrat, peccat, tamen consecratum est. *ead. q. art. 8. & ad 3. & 4. sent. vbi sup. q. 3.*

8. Cur illicitum est ab hæreticis, & schismaticis, excommunicatis, & suspensis communionem recipere, vel eorum Missam audire?

NOn licet ab hæreticis, schismaticis excommunicatis, & suspensis scienter communionem accipere, aut eorum Missam audire, quia quamuis habeant potestatem consecrandi, non tamen ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. *ead. q. art. 9 & 4. sent. vbi sup. art. 3. quæst. 2.*

QVÆSTIO XXIII.

De Ritu huius Sacramenti.

1. Quando hoc sacramentum est celebrandum?

QVotidiè hoc Sacramentum in Ecclesia est celebrandum, quia quotidie indigemus fructu Dominicæ Passionis, quę in hoc sacramento repræsentatur propter quotidianos defectus. Regulariter etiam hoc sacramentum celebratur à tertia hora vsque ad nonam, quia in illa parte diei Dominica Passio celebrata est, *cap. nocte consf. dist. 1.* Debet autem celebrari in die, & non in nocte, quia hoc sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quæ per diem significatur, secundùm illud *Rom. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. cap. necesse eodem dist.* Iudicatur autem dies in aurora, quãdo incipiunt oriri solis signa manifestari per aliquam aeris illustrationem. Tamen in duabus noctibus Missa decantatur propter priuilegium illarum noctium, scilicet in nocte Natiuitatis, & Resurrectionis Domini, quamuis hoc non oporteat semper obseruari. *3. par. q 83. ar. 2. et ad 4. et 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 2. quæst. 3.*

2. In quibus locis est hoc sacramentum celebrandum?

HOc sacramentum non licet celebrare nisi in Ecclesijs ab Episcopo consecratis, *cap. nullus presbyter. de cons. dist. 1.* vel de consensu Episcopi in Capellis non consecratis, *cap. Missarum solemnia, et cap. concedimus.* eadem dist. non tamen sine altari portatili consecrato, *cap. concedimus.* quia consecratio altaris significat sanctificationem Christi, quæ est fons totius Ecclesiasticæ sanctificationis. Et ideo nunquam Ecclesia sine altari consecratur: sed quandoque sine Ecclesia consecratur altare cum reliquijs Sanctorum, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Non licet autem celebrare in agro, vel in alio loco extra Ecclesiam, vel Oratoria ad diuinum cultum dedicata, iuxta *d. cap. concedimus*, cui per Conc. Trid. derogatum est

est *sess. 22. in decr. de obser. et euitan.* in celebratione Missæ, quo præcipitur, ne omnino extra Ecclesiam, vel extra Oratoria ab Ordinarijs designata, & visitata celebretur. Consecrantur autem Ecclesia, Altare, & aliæ res inanimatæ, vt quamdam spiritualem virtutem adipiscantur, per quam aptę reddantur diuino cultui. Vnde Ecclesiæ, quæ sanguinis, vel seminis effusione pollutę fuerint, reconciliantur, *cap. proposuisti de cons. Eccl.* propter hoc etiam ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni comburenda, *cap. Ligna Ecclesiæ de cons. dist. 1.* quia aliquam spiritualem virtutem consequuntur ex consecratione. Eadem ratione Altaris palla, idest corporale, cathedra, candelabrum, & velum, quod est cortina ante Altare, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. *cap. altaris palla ead. dist.* Debet autem Altare esse lapideum, *cap. altaria.* ead. quod quidem competit significationi huius sacramenti, tùm quia Christus petra dicitur 1. *Corinth.* 10. tùm etiam quia corpus Christi fuit in sepulchro lapideo reconditum. Tabula etiam Altaris consecrata debet esse integra, & non enormiter fracta, nec remota, sic enim esset execrata. *cap. quod in dubijs, et cap. ligneis. de cons. Eccles. ead. qu. art. 3. ad 2. 3. et 5.*



3. *Quare Sacerdos non debet nisi vnam Missam in die celebrare?*

NOn potest Sacerdos nisi vnam Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit; & valdè felix est, qui vnam dignè celebrare potest, *te referente de celeb. Mis.* Potest tamen aliquis duas celebrare, si necesse sit, vt dicit *Alex. Papa de consec. dist. 1. cap. sufficit.* dummodo sit ieiunus, ita vt in priori Missa ablutionem non acceperit, vt notat *Sot. et Innoc. III. de celeb. Missar. cap. consuluisti*, dicit, quod excepto die Natiuitatis Dominicę, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodò celebrare. Casus autem necessitatis, qui communiores sunt, in quibus potest Sacerdos duas in die celebrare Missas, *ponit Siluest. verbo Missa q. 7.* & est communis opinio. Primus est cum infirmus debet communicari, & non est hostia in pyxide. Secundus est, si postquam Sacerdos celebrauit, superuenerit Episcopus, vel alia magna persona, quę vult Missam audire, nec est alius, qui celebret. Tertius est, si superueniunt multi peregrini, & est dies festus. Quartus, quando in Ecclesia consueuerunt duæ Missæ celebrari, vna de die; altera pro defunctis; iuxta *cap. cum creatura: eodem tit.* & præsbyter deficit, qui debeat aliam Missam celebrare. *Abb. in d. cap. consuluisti num. 3. tunc et im est ifsus textus in d. cap. sufficit. ead. q. ar. 2. ad 5. et 4. sent. dist. 12. q. 3. art. 1. circa finem.*

4. *Quare nominatur Missa?*

MIssa nominatur, quia sacerdos per Angelum preces ad Deũ mittit, sicut populus per sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Vnde in fine Missæ dicitur: Ite Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, vt sit Deo accepta. *ead. q. art. 4. vd 9. et sent. dist. 13. in expositione textus.*

QVÆSTIO XXIIII.

De Defectibus occurrentibus circa celebrationem huius sacramenti.

1. *Quid si sacerdos celebrans morte, aut necessitate graui occupatur?*

SI sacerdos morte, aut graui necessitate occupetur ante consecrationem corporis, & sanguinis Domini, non oportet, vt per alium suppleatur; si verò hoc acciderit consecrato Corpore, ante consecrationem Sanguinis, vel etiam consecrato vtroque, debet Missæ celebratio per aliũ expleri. *7. q. 1. nihil. 3. par. q. 83. art. 6. ad 1.*

2. *Quid si sacerdos celebrans recordetur aliquid comedisse, vel bibisse, vel peccatum aliquod commisisse, vel excommunicationi subiacere?*

SI sacerdos post consecrationem incæptam recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, debet perficere sacrificium, & sumere sacramentum. Similiter si recordetur se aliquod peccatum commisisse, debet pænitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & sic non indignè, sed fructuosè sumit sacramentum. Eadem ratio est, si meminerit se excommunicationi subiacere; debet enim propositum habere humiliter absolutionem petendi: Si autem ante consecrationem alicuius prædictorũ sit memor, tutiùs reputarem, maximè in casu comestionis, & excommunicationis, quod Missam inceptam omitteret, nisi graue scandalum timeretur. *ead. quæst. art. 6. ad 2.*

3. *Quid si musca, vel aranea in calicem ceciderit, vel celebrans venenum immistum deprehenderit?*

SI musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum sacerdos deprehenderit esse immistum, debet effundi, & abluto calice, aliud vinum apponi consecrandum: Si verò aliquid horum post consecrationem ceciderit, debet animal caute capi, & diligenter lauari, & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarum mitti: Si autem venenum ibi etiam deprehenderit immistum, nullo modo debet sumere, ne calix vitæ vertatur in mortem, sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquijs conseruari; & ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinũ apponi in calice, & resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere, *vbi supra ad 3.*

4.

4. *Quid si sacerdos percipit, quod vinum non fuerit appositum in calice?*

SI sacerdos percipiat ante sumptionem corporis, quod vinum non fuerit appositum in calice, debet deposita aqua, si ibi fuerit, ponere vinum cum aqua, & resumere à verbis consecrationis sanguinis. Si verò percepetit post sumptionem corporis, debet aliam hostiam apponere iterum consecrandam simul cum sanguine, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non seruaretur debitus ordo consecrandi, & debet in fine iterum sumere hostiam consecratam, & sanguinem, etiam si prius sumpserit aquam, quę erat in calice, quia præceptum de perfectionem sacramenti maioris est ponderis, quàm præceptum, quod hoc sacramentum à ieiunis sumatur. *vbi sup. ad* 4.

5. *Quid si sacerdos probabiliter credit se omisisse alquia verba consecrationis?*

SI sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit, non debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit recolit omnium, quæ dixit: si tamen probabiliter credat se omisisse aliqua verba, quæ non sunt de necessitate sacramenti, propter hoc non debet resumere, sed vlterius procedere; si verò certificetur se omisisse aliqua verba, quæ sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam consecrationis, debet resumere ab ipsa forma, & cętera per ordinem reiterare. *vbi sup. ad* 5.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QVÆSTIO XXV.

De Pœnitentia, secundùm quod est Sacramentum.

1. *Quomodo Pœnitentia est sacramentum?*

POenitentia est sacramentum tum, quia sacramentum est signum sensibile sanctitatis actiuę, inquantum est sanctificans homines, vt dictum est. In pœnitentia autem aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte sacerdotis absoluentis: nam peccator pœnitens per ea, quæ facit, & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse: similiter sacerdos per ea quæ agit, & dicit circa pœnitentem, significat opus Dei remittentis peccata 3. *par. q.* 84. *art.* 1. *&* 4. *sent. dist.* 14. *q.* 1. *art.* 1.

2. *Quid est Pœnitentię sacramentum?*

POenitentiæ sacramentum est dolor de peccato commisso, inquantum est offensa Dei, cum proposito emendationis, confessionis, & satisfactionis sub spe veniæ. Et in hoc differt à pœnitentia, vt est virtus, quæ est dolor de peccato commisso inquantum est offensa Dei, cũ proposito tantùm emendationis, & spe veniæ. Differt etiam à pœnitentia damnatorum, quæ non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. *ead q. art.* 7. *ad* 2. *& q.* 85. *art.* 3. *& q.* 86. *art.* 1. *&* 2. *& declarat. Conc. Trid. sess.*

 6.

6. *cap.* 14.

3. Quando hoc sacramentum fuit à Christo institutum?

HOc sacramentum fuit à Christo institutum quantum ad potestatem clauium, post Resurrectionem, Ioan. 20. quando insufflando in Discipulos Spiritum Sanctum, dixit. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* & tradit Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 14. & *sess.* 14. *cap.* 1. & *can.* 3. Efficaciam autem huius sacramenti manifestauit Luc. vlt. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum. ead. q. art.* 7. & 4 *sent. dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 2.

4. Quæ est conueniens materia huius sacramenti?

QVasi materia proxima huius sacramenti sunt actus pœnitentis, qui proueniunt ex interna inspiratione, scilicet contritio, confessio, & satisfactio, & statuit Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. Et ideo hæc materia non exhibetur à ministro, sicut in alijs sacramentis; sed à Deo interius operante: Minister autem exhibet complementum sacramenti, dum pœnitentem absoluit. Materia verò remota huius sacramenti, sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda: principaliter quidem sunt peccata mortalia, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter institutum. Secundariò verò sunt peccata venialia, quia contra hæc principaliter non est hoc sacramentum institutum. Dicuntur autem materia remota, in quantum sunt materia humanorum actum, qui sunt propria materia huius sacramenti; de ipsis enim peccatis pœnitens dolet, ipsa confitetur, & pro ipsis satisfacit. *ead. q. a.* 1. *ad* 1. & 2. *a.* 2. & *ad* 3. *et* 4. *sent. vbi sup. a.* 1. & *q.* 1. *et* 4. 2. *q.* 1. *et opusc.* 5.

5. Quæ est conueniens forma huius sacramenti?

COnueniens forma huius sacramenti est, *Ego te absoluo*, quia forma sacramenti debet significare id, quod in sacramento agitur; sacramenta enim nouæ legis efficiunt quod significant: Hoc autem sacramentum consistit in remotione materiæ, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ: & talis remotio significatur à Sacerdote, cum dicit: *Ego te absoluo*. Potius autem dicit: *Ego te absoluo*, vt dixit Dominus Petro, *Matth.* 16. quàm: *Ego tibi peccata remitto*, vt dixit Discipulis *Ioan.* 20. quia hoc magis exprimit virtutem clauium, per quas sacerdotes absoluunt. Cum autem sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, non est perfecta expositio, Absolutum ostendo, sed sacramentum absolutionis tibi impendo, quia ostendit hominem absolutum non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè, & declarat Concil. Trident. sess 14. *cap.* 5. & *can.* 9. de pœnitentiæ sacramento: quamuis enim Dei sit auctoritatiuè peccata dimittere; hominis tamen est mini-

ste-

sterium ad remissionem exhibere, dum in persona Christi peccata remittit. Præmittitur autem in ipsa absolutione oratio, *Misereatur tui*, vel *Indulgentiam, & absolutionem, &c.* ne impediatur effectus sacramenti ex parte pœnitentis, cuius actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento. *ead. q. art. 3. & ad 1. 3. & 5 & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. & 2. & opusc. 22. cap. 1. 2. & 3. & tradit Conc. Trid. ead. sess. c. 3.*

6. Quomodo hoc sacramentum est de necessitate salutis?

HOc Sacramentum est de necessitate salutis ex suppositione, supposito peccato mortali, quia necessarium est ad salutem peccatoris, quod peccatum ab eo remoueatur, quod quidem non potest fieri sine pœnitentiæ sacramento, in quo operatur virtus Passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere pœnitentis. *3. par. q. 65. art. 4. & q. 84. art. 5. & 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 5.*

7. Quare ad hoc sacramentum non requiritur manus Sacerdotis impositio?

AD hoc sacramentum non requiritur manus impositio, quia fit in sacramentis ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum; & ideo fit in sacramento Confirmationis, in quo datur plenitudo Spiritus Sancti, & in sacramento ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis ministerijs: Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiã gratiæ, sed ad remotionem peccatorum. Competit tamen huic sacramento Crucis signatio, quia per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata, sed hoc nõ est de necessitate sacramenti. *ead. q. art. 4. & ad 3. & opusc. 22. cap.*

QVÆSTIO XXVI.

De Pœnitentia, secundùm quod est virtus?

1. Quomodo pœnitentia est species iustitiæ?

POenitentia, vt virtus, est species iustitiæ commutatiuæ, quæ est dolor de peccato commisso, inquantùm est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ, non fit per solam cessationẽ offensę, sed etiam per eius recompensationem, quæ pertinet ad iustitiam commutatiuam, inquantum pro offensa redditur Deo æqualę per pęnitentiam non simpliciter, sed secundùm quid, quod est inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius. Vnde pęnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut seruus ad Dominum, secundùm illud psal. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*: Et sicut filius ad patrem, vt dicitur *Luc. 15. Pater peccaui in cœlum, & coram te*; & sicut vxor ad virum, *secundùm il-*

lud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. 3. par. q. 85. art. 3. & 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 4.

2. *Quibus actibus cooperamur Deo ad pœnitentiam consequendam?*

QVinque sunt actus, quibus cooperamur Deo ad pœnitentiā consequendam, qui procedunt ex Dei operatione conuertentis cor, secundùm illud Thren. vltimo: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Primus quidem est motus fidei, vt dicitur *Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator est*. Secundus est motus timoris seruilis, quo quis propter pœnam à peccati s retrahitur. Tertius est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quartus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet propter eius turpitudinem. Quintus est motus timoris filialis, quo aliquis dolet de peccatis propter Dei offensam. *ead. q. art. 5. et ad 1. et 3. et 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1.*

QVÆSTIO XXVII.

De Effectu Pœnitentiæ.

1. *Quare quodlibet peccatum per pœnitentiam remittitur?*

QVod aliquod peccatum per pœnitentiam remitti non possit, dupliciter potest contingere; vel quia est aliquod peccatum, de quo aliquis pœnitere non potest; vel si est aliquod, de quo pœnitere possit, non tamen potest per pœnitentiam remitti. Primo quidem modo non possunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, quia affectus eorum sunt confirmati in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum inquantum est culpa, sed solùm displicet eis pœna, quam patiuntur. Vnde aliquam pœnitentiam, sed infructuosam habent, secundùm illud Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes*. Hoc autem modo non potest esse irremissibile peccatum hominis viatoris. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri potest cor cuiuscumque peccatoris ad pœnitendum. Neque est aliquod peccatum irremissibile in hac vita secundo modo, quod scilicet per veram pœnitentiam tolli non possit. Primò quidem, quia repugnaret diuinæ misericordiæ, de qua dicitur Ioel. 2. *quod benignus, et misericors est, et patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia*. Secundò, quia hoc derogaret virtuti Passionis Christi, per quam pœnitentia operatur, sicut & alia sacramenta. Esau autem non inuenit pœnitentiæ locum, vt dicitur *ad Heb. 12.* quia non verè pœnituit, quod patet ex hoc, quod dixit. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*. De Antiocho etiam legitur 2. Machab. 9. *Orabat scelestus Deum, à quo non erat misericordiā consecuturus*; quia nec ip-

se verè pęnituit;dolebat enim de culpa pręterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. *3. p. q. 86. art. 1. & ad 2. & 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 1. & ad 2. & 3.*

2. *Quare peccatum non potest sine pœnitentia remitti?*

IMpossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundùm quod est virtus, quia voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad bonum commutabile: & ideo ad remissionem diuinę offensæ oportet, vt conuertatur ad ipsum cum detestatione conuersionis prædictæ, & proposito emendationis. Potest tamen peccatum remitti sine Pœnitentiæ sacramento, sicut dixit Christus mulieri adulteræ, vt legitur Ioan. 8. & peccatrici, vt dicitur Luc. 7. quia Deus non alligauit suam virtutem sacramentis. *ead. q. art. 2. & 4. sent. vbi sup. art. 5.*

3. *Quare per pœnitentiam non potest vnum peccatum, sine alio remitti?*

PEr pęnitentiam non potest vnum peccatum, scilicet mortale, sine alio remitti. Primò quidem, quia non potest remitti peccatum sine gratia; omnę autem peccatum mortale contrariatur gratiæ. Secundò, quia peccatum mortale non potest remitti sine vera pęnitentia, vt dictum est; Non est autem verè pœnitens, qui dolet de vno peccato, & non de alio; si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, de omnibus peccatis pęniteret. Tertiò, quia hoc esset contra perfectionem misericordiæ Dei, cuius perfecta sunt opera. Vnde dicit *August. in lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 6 Quadam impietas infidelitatis est, ab illo, qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam. ead. q. art. 3. & 4. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. q. 1.*

4. *Quare per pœnitentiam remissa culpa, remanet reatus pœnæ?*

REmissa culpa per pœnitentiam simul remittitur reatus pœnæ æternæ, quia in peccato mortali sunt duo, scilicet auersio ab incommutabili bono, quod est Deus, & conuersio inordinata ad commutabile bonum, scilicet ad creaturam. Ex parte quidem auersionis ab incommutabili bono, quod est æternum, debetur peccato mortali pęna æterna, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur: ex parte autem inordinatæ conuersionis ad commutabile bonum debetur ei pœna finita, & temporalis; tùm quia ipsum bonum commutabile est finitum; tùm quia ipsa conuersio est finita. Vnde remissa culpa per pęnitentiam, tollitur auersio animæ à Deo, & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ. Potest tamen remanere reatus alicuius pęnæ temporalis. Quod patet 2. *Reg.* 12. vbi legitur, quod cum Dauid pęnitens dixisset ad Natan: *Peccaui Domino*, dixit Nathan ad illum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*,

non morieris; veruntamen filius, qui natus est tibi, morte morietur; Quod fuit in pęnam temporalem praecedentis peccati, vt ibi dicitur. Remittitur autem culpa, & reatus poenae aeternae ex gratia operante; sed reatus poenae temporalis remittitur ex motu liberi arbitrij, cum auxilio gratiae cooperantis, inquantum homo cum auxilio diuinae gratiae patienter toleat poenas: & sic prius est remissio culpae, & pęnae aeternę, quàm plena absolutio à poena temporali; quia illa est ex gratia sola, haec ex gratia, & libero arbitrio. *ead. q. art. 4. & ad 1. & 1. 2. q. 87. art. 4. & 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 1. q. 1. & docet Conc. Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8.*

5. *Quare remissa culpa mortali per pęnitentiam, remanent reliquiae peccatorum?*

REmissa culpa mortali per pęnitentiam, remanent dispositiones ad peccandum ex praecedentibus peccatis causatae, quae dicuntur peccati reliquiae; quia peccatum mortale ex parte conuersionis inordinatae ad commutabile bonum, quandam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum ad peccandum, si actus frequenter iteretur; remanent tamen debilitatę, & diminutae, ita quod homini non dominentur. *ead. q. art. 5. & 4. sent. vbi supr. q. 2.*



QVAESTIO XXVIII.

De Remissione venialium peccatorum.

1. *Quomodo ad remissionem venialium peccatorum requiritur paenitentia?*

PEccatum veniale quamuis possit remitti sine pęnitentiae sacramento, quod in absolutione Sacerdotis formaliter perficitur; non potest tamen remitti sine aequali actu pęnitentiae virtutis implicito, vel explicito, qui est actus charitatis: sicut cũ aliquis feruẽter mouetur in Deũ, & in res diuinas, & ideo displicet ei quidquid eum ab hoc motu retardat, etiam si actù de illo non cogitet, cuiusmodi est peccatum veniale. Per hunc etiam feruorem remittitur in Purgatorio culpa venialium, quia in anima, quae est in Purgatorio, excitatur feruens desiderium ad consequendam gloriam, & euitandam pęnam. *3. par. q. 87. art. 1. & 2. & ad 2. & art. 3. & q. 7. de malo. art. 11. ad 16. & art. 12. & tradit Conc. Trid. sess. 6. can. 23. & sess. 14. cap. 5.*

2. *Quibus remedijs peccata venialia expiari possunt?*

PEccata venialia multis remedijs expiari possunt, *& tradit Conc. Trid. sess. 14. cap. 5.* Primò quidem per nouae gratiae infusionem, quia non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in detestationem peccati;

cati; & ideo quandocumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur, & hoc modo per Eucharistiam, Extremam Vnctionem, & per omnia sacramenta nouę legis, in quibus gratia confertur, remittuntur peccata venialia. Secundò per aliquem motum detestationis peccatorum; & hoc modo generalis confessio, tunsio pectoris, & oratio Dominica operatur ad remissionem venialium peccatorum. Tertiò per aliquem motum reuerentiæ in Deū, & res diuinas, & sic benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictę, quælibet sacramentalis vnctio, oratio in Ecclesia dedicata, & alia huiusmodi, operantur in remissionem venialium peccatorum. Per hæc autem tollitur quidem culpa venialium, non autem totus reatus pęnæ, quia sic existens sine peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim euolaret; sed reatus pęnæ remittitur per ista secundùm modum feruoris in Deum, qui per ista excitatur, quãdoque magis, quandoque minus. *ead. q. art. 3. & ad 3. & 4. sent. dist. 16. q. 1. art. 2. q. 3. ad 3. & dist. 21. q. 2. art. 1. & q. 7. de malo. art. 12.*

3. *Cur veniale peccatum non potest remitti sine mortali?*

NOn potest veniale peccatum remitti sine mortali, quia remissio cuiuscumq; culpæ nunquam fit, nisi per gratiam, vt dicit Apost. *Rom.* 4. Ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum: ille autem, qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. *ead. q. ar. 3. & 4. sent. dist. 16. q. 2. ar. 1. q. 2.*

QVÆSTIO XXIX.

De Reditu peccatorum per pęnitentiam remissorum.

Quomodo reatus peccatorum priùs dimissorum redit per peccatum sequens?

REatus peccatorum priùs dimissorum quodammodo redit per quodlibet peccatum mortale sequens pęnitentiam, inquantum peccatum sequens aggrauatur ratione ingratitudinis, quia est contra Dei beneficium, qui peccata remisit. Vnde necesse est, quod proportionabiliter tantò maior redeat reatus peccatorũ priùs dimissorum per quodlibet sequens peccatum mortale, quantò peccata dimissa fuerunt plura, & maiora. Specialiter autem redit per ingratitudinem, quæ est secundùm odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis; & dolorem de pęnitentia habita. *3. p. q. 88. art. 1. 2. & 3. & 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 1. & 2. q. 2.*

QVÆSTIO XXX.

De Recuperatione virtutum per pœnitentiam.

1. *Quomodo pœnitens resurgit in gratia?*

POenitens quandoque resurgit in maiori gratia, quam priùs habuerat;

buerat; quandoq; in æquali, quandoque in minori, secundùm quod motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior, vel remissior, qui est vltima dispositio ad gratiam. *3. par. q. 89. art. 2.*

2. Quare opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscunt, non autem mortua?

OPera mortificata, quæ fuerunt in charitate facta, sed per peccatum mortale sequens mortificari dicuntur, possunt per pœnitentiam subsequentem reuiuiscere; quia etsi actu transeant, manent tamen quantùm ad meritum vitæ æternę in Dei acceptatione, qui semper illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, secundùm illud *Paul. ad Hæbr. 6 Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis*, quæ verba S. Thomas interpręatatur de operibus mortificatis, & per pęnitentiam reparatis, & est communis expositio Patrum, *& declarat Concil. Trid. sess. 6. cap. 16.* Vnde remoto impedimento peccati superuenientis per pœnitentiam, illa opera sunt efficacia ad perducendum in vitam æternam, & secundùm hoc reuiuiscere dicuntur. Opera autem mortua, quæ sunt bona ex genere, sed sine charitate fiunt, non possunt per pœnitentiam subsequentem viuificari, quia carent principio vitæ spiritualis, quod est charitas. Vnde Ap. 1. Cor. 13. dicit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. ead. q. art. 4. 5. & 6. & 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 3. & q. 1. & 2. & dist. 22. qu. 1. art. 1. ad 6.*

QVÆSTIO XXXI.

De Partibus pœnitentiæ.

Quomodo ponuntur tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio?

POEnitentiæ, secundùm quod est virtus, non assignantur partes, quia actus humani, qui multiplicantur in pęnitentia non comparantur ad habitum virtutis, sicut partes, sed sicut effectus. Partes verò assignantur pęnitentiæ, secundùm quod est sacramentum, ad quod actus humani comparantur, sicut materia, & per consequens sicut partes, quia penes diuisionem materiæ partes rei sumuntur, *& statuit Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.* Huiusmodi autem partes ponuntur contritio, confessio, & satisfactio, quia in pœnitentia fit recompensatio diuinæ offensæ secundùm voluntatem peccantis, & secundùm arbitrium Dei, in quem peccatur, cum sit quædam recompensatio amicitiæ: & sic ex parte pœnitentis requiritur primò voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; Secundò, quod se subijciat arbitrio Sacerdotis Dei, quod fit in confessione; Tertiò, quod recompenset secundùm arbitrium Ministri Dei, quod fit in satisfactione. *3. p. q. 90. art. 1. & ad 2. & art. 2. & 4. sent. dist. 16. q. 1. art. 1. & q. 1.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXXII.

De Contritione.

1. *Quid est contritio?*

Contritio est dolor de peccato commisso, inquantùm est offensa Dei, cum proposito emendationis, confessionis, & satisfactionis, sub spe veniæ; quia contritio est actus pęnitentiæ virtutis, & pars pęnitentiæ sacramenti. Inquantum quidem est actus virtutis, est dolor de peccato commisso cum proposito emendationis, sub spe veniæ. Inquantum verò est pars sacramenti, est cum proposito confessionis, & satisfactionis. *3. par. q. 84. art. 7. ad 2. & q. 85. art. 3. & 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 1. & opusc. 5. & docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. vbi etiam declarat attritionem esse, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex pœnarum metu concipitur.*

2. *Quomodo contritio est pars sacramenti pęnitentiæ?*

Qvamuis pœnitentia exterior, quæ est sensibile signum, sit sacramentum, non tamen excluditur contritio, quia contritio secundùm essentiam est in corde, & pertinet ad interiorem pęnitentiam. Virtualiter autem pertinet ad exteriorem pęnitentiam, inquantum continet propositum confitendi, & satisfaciendi. *3. p. qu. 90. art. 2. ad 1.*

3. *Quomodo contritio remittit culpam, & pęnam?*

Contritio remittit culpam, & pœnam æternam cum voto confessionis virtute clauium, etiam si per se non sit sufficiens ad deletionem culpæ, & pęnæ; quia homo non potest per certitudinem scire, an sit verè contritus; & ideo sufficit, si in se signa contritionis inueniat, puta si doleat de peccatis, & proponat cauere de futuris. Potest etiam delere pęnam temporalem, quia potest esse conuersio mentis in Deum, & in detestationem peccati tàm vehemens, quod perfectè remissionem peccati homo consequatur, non solùm quantùm ad remissionem culpæ, sed etiam quantùm ad expiationem totius pęnæ. Remittit autem culpam, & pęnam non secundùm se sed ex gratia charitatis, qua informatur. *3. par. q. 72. art. 7. ad 2. q. 79. art. 3. & q. 80. art. 4. ad 5. & 4. sent. vbi sup. art. 5. q. 1. & ad 3. & 4. cont. gent. cap. 72. & opusc. 22. cap. 2. & Quodl. 4. art. 10. & ad 3.*

4. *Quare ad contritionem est necessaria confessio, & satisfactio?*

Qvamuis tota pęna possit per contritionem remitti, tamen adhuc est necessaria confessio, & satisfactio. Primò quidem, quia confessio, & satisfactio, est in præcepto, vnde homo transgressor constitueretur, nisi confiteretur, & satisfaceret. Secundò, quia non est vera contritio, nisi propositum confitendi

fitendi habeat annexum, quod debet ad effectum deduci; *& declarat Conc. Trid. sess. 14. cap. 4.* Tertiò, quia homo non potest esse certus, quod contritio sua fuerit sufficiens ad deletionem pœnæ, & culpæ. *4. sent. vbi sup. art. 1. ad 8. & art. 5. q. 1. ad 1.*

5. Quomodo contritio debet esse continua?

COntritio non debet esse continua actu, sed habitu, ita scilicet, vt homo habeat propositum, quod semper præterita peccata ei displiceant, hoc est, non placeant: si enim placeret ei peccasse, ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. *3. par. q. 8 4. art. 8. & 9. & 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 4. & dist. 17. q. 2. art. 2. ad Hanni.*

6. Quomodo attritus potest fieri contritus?

QVando aliquis non est perfectè contritus, & accedit ad Sacramentum, putans se esse verè contritum, consequitur gratiam, quæ contritionem perficit; & sic ex attrito fit contritus, non solùm virtute clauiũ, sed cuiuslibet sacramenti; aliter autem, si scit se non esse verè contritum. *3. par. q. 72. art. 7. ad 2. & 79. art. 3. & 4 sent. dist. 18. q. 1. art. 3. & Quodl. 4. art. 10.*

7 Cur attritio non potest fieri contritio?

ATtritio non potest fieri contritio, quia attritio est actus informis, qui transit, & non manet adueniente charitate: & ideo non potest formari. *4. sent. vbi sup. q. 2. ar. 1. q. 2.*

8. Qua contritio requiritur ad remissionem singulorum mortalium peccatorum?

AD remissionem peccati mortalis requiritur specialis contritio [*quidquid dicat Caiet.*] vt scilicet homo diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula vnico actu detestetur, & propositum habeat ab omnibus, & singulis abstinendi, quod secundùm Sotum intelligendum est, si commoditas, & opportunitas adsit, alioquin sufficit generalis contritio. *3. par. q. 87. art. 1. & ad 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 2. ad 2. & q. 5. & art. 3. q. 2.*

9. Qua contritio requiritur ad remissionem oblitorum peccatorum?

SI peccatum mortale oblitum manet in memoria in generali, sed non in speciali, tunc debet homo recogitare ad inueniendum peccatum, ad hoc, quod de eo specialiter doleat, secundùm illud *Isaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, quia de quolibet peccato mortali tenetur homo specialiter conteri: Si autem peccatum inueniri non possit, debet homo dolere de eo secundùm quod manet in eius memoria, & etiam de obliuione eius, quæ ex negligentia contigit: Si autem peccatum omnino à me-

memoria excedit, sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit. Sed si ad memoriam peccatum reuocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri. *3. par. q. 80. art. 4. ad 5. & q. 87. art. 1. & 4. sent. vbi sup. art. 2. qu. 2. ad 2. & dist. 21. quæst. 2. art. 2.*

11. *Quomodo contritio debet esse maximus dolor?*

CONtritio debet esse maximus dolor, non in specie huius doloris, sed in genere, hoc est, in comparatione aliorum dolorum, quia vltimus finis omnium super omnia placere debet; & sic peccatum, quod ab vltimo fine auertit, scilicet Deo, super omnia debet displicere. Debet autem esse maximus dolor, vt est in voluntate, qui displicentia dicitur; non autem, vt est in sensualitate, nec intensiuè, nec extensiuè. Non quidem intensiuè; tum quia vires inferiores magis mouentur ex apprehensione propriorum obiectorum, quam ex superabundantia superiorum virium; tum etiam, quia dolor, qui est in sensualitate, non requiritur ad contritionem de necessitate, sed de perfectione. Nec extensiuè, ne si nimis duret, homo in desperationem labatur. *4. sent. vbi sup. art. 3. & q. 1. & art. 4. q. 1. & art. 2. ad Hanni.*

12. *Quare contritus debet de maiori peccato magis dolere?*

COntritus debet de maiori peccato magis dolere, tùm ratione maioris culpę, scilicet diuinæ offensæ; nàm ex magis inordinato actu Deus magis offenditur: tùm etiam ratione maioris pœnæ, quia maiori culpæ maior debetur pœna. *4. sent. vbi sup. art. 3. q. 2.*

13. *Quare contritus tenetur velle pati magis quamcumque pœnam, quàm peccare?*

COntritus tenetur in generali velle pati magis quamcumque pęnam, quàm peccare, quia plus homo tenetur diligere Deum, quàm seipsum. Peccare autem est facere contra Deum; puniri verò est pati aliquid contra seipsum, non tenetur tamen in speciali descēdere ad hanc pœnam, vel ad illam, quia hoc esset inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem peccandi. Sicut enim delectabilia plus mouent in particulari considerata, quàm in communi, sic terribilia plus terrent, si in particulari considerentur. *4. sen. vbi sup. ar. 3. & ad 4. & Quodl. 1. ar. 9.*

QVÆSTIO XXXIII.

De Confessione.

1. *Quomodo confessio est de necessitate salutis?*

COnfessio fuit à Christo instituta, & à Iacobo promulgata *cap. 5.* tamquam ad salutem necessaria ei, qui in peccatum actuale mortale cecidit; quia ad hoc, quod aliquis remissionem peccatorum consequatur, quæ est de necessitate salutis, debet

se

se Ministro Ecclesiæ subijcere, qui potestatem habet remittendi; & retinendi peccata à Domino sibi commissam, *Ioan.* 20. Non potest autem Minister Ecclesię peccata remittere, nisi ea per confessionem peccantis cognoscat. Vnde dicitur *Prouerb.* 28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. & qu. 4. ad 2. & declarat Conc. Trid. sess. 14 cap. 5. & can. 6. de pœnitent. sacram.*

2. *Quando actualis confessio obligat?*

CONfessio actualis est pręceptum affirmatiuum, quod non obligat ad statim, sed ad determinatum tempus, quod de iure diuino est, si periculum mortis immineat, vel si aliquis celebrare debeat, vel Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus, accedere debet, habita copia Confessoris. Immò post contritionem, & confessionem grauium peccatorum consilium videtur esse Augustini, quod aliquis non statim accedat propter reuerentiam sacramẽti, & vt magis se probet: Si vero desit copia Confessoris, & necessitas vrget ad communicandum, sicut etiam vrgentur Sacerdotes parochiales, qui die festo celebrare debent, tunc accedens saltem tenetur conteri cum proposito confitendi quamprimum, copia Confessoris oblata. Ex præcepto autem Ecclesiæ obligat actualis confessio semel in anno, *cap. omnis de pœnit. et remiss.* Vnde quamuis aliquis non habens nisi peccata venialia, non teneatur ex vi sacramenti ea confiteri, tenetur tamen ex institutione Ecclesię. Laudabile etiam est, quod peccator quamcitiùs commodè potest, peccatum suum confiteatur; quia per sacramentum pęnitentiæ confertur gratia, quæ hominem reddit magis firmum ad resistendum peccato. *4. sent. dist. 16. in exposit. l. et dist. 17. q. 3. art. 1. qu. 2. et ad 3. et qu. 3. et Quodl. 1. art. 11. et statuit Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. et can. 11. de Eucharistia sacramento.*

3. *Quomodo confessio remittit culpam, et pęnam?*

IN voto confessionis, quod in contritione continetur, remittitur culpa, & pœna æterna ex vi clauiũ, secundùm illud *Ps. 31. Confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei;* ut docet *Concil. Triden. sess. 6. cap. 14. et sess. 14. cap. 4.* In actu autem confessionis minuitur pęna temporalis ex vi clauium, & erubescentia confessionis. *4. sent. dist. 7. qu. 3. art. 5. et q. 1. et 4. cont. gent. cap. 72. et Quodl. 4. art. 10. et ad 3.*

4. *Quomodo confessio generalis sacramentalis valet ad remissionem peccati?*

COnfessio generalis sacramentalis operatur ad remissionem peccati, si eius tunc memoria non habeatur, non quidem quantùm ad culpam, & pœnam æternam; quia sic peccatum oblitum remittitur

tur per contritionem in generali, sed quantùm ad pœnam temporalem, quę minuitur per generalem confessionem ex vi clauium, quibus se confitens subijcit. 4. *sent. dist.* 21. q. 2. *art.* 2.

5. Quare confessio potest esse sine charitate, non autem contritio, & satisfactio?

Confessio, secundùm quod est pars sacramenti, potest esse sine charitate in eo, qui non est perfectè contritus, ita vt ad confessionem accedat cum aliquo dolore de peccato, vel cum aliquo proposito vitandi peccatum, quæ nec per se, nec virtute sacramenti sufficiunt ad gratiam, quamuis ipse putet se esse sufficienter contritum; tunc enim non percipit absolutionis fructum, sed recedente fictione, scilicet defectu contritionis, quem tenetur confiteri, si eum postea aduertat, percipere incipiet, sicut etiam est & in alijs sacramentis: & ideo non tenetur confessionem iterare. Contritio autem, & satisfactio non possunt esse sine charitate; & ratio diuersitatis est, quia contritio, & satisfactio fiunt Deo, sed confessio fit homini: & ideo de ratione contritionis, & satisfactionis est, quod homo sit Deo per charitatem vnitus, non autem de ratione confessionis. 4. *sent. dist.* 17. q. 3. *art.* 4. *& ad* 2.

6. Quæ conditiones requiruntur ad confessionem?

Conditiones, quæ requiruntur ad confessionem, his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Harum tamen conditionum quędam sunt de necessitate confessionis, quędam de benè esse ipsius. De necessitate quidem confessionis, est quod *sit simplex*, hoc est non exprimatur in confessione, nisi quod ad quantitatem peccati pertinet sine aliorum iniuria: *humilis*, vt confitens se peccatorem confiteatur: *pura*, vt recta sit intentio: *fidelis*, hoc est vera: *nuda*, vt non inuoluatur obscuritate verborum quantùm ad circumstantias necessarias: *discreta*, vt confitens sciat quid faciat: *libens*, hoc est voluntaria: *verecunda*, vt non se iactet de peccatis propter aliquam sæculi vanitatem admixtam: *integra*, quantùm ad peccata mortalia aliàs non confessa, tàm certa, quàm dubia; & eorum circumstantias necessarias: *secreta*, quantùm ad conditionem fori, in quo de occultis conscientię agitur: *lacrymabilis*, quantùm ad dolorem de peccato commisso: *fortis*, propter verecundiam non dimittat: *accusans*, vt se non excuset: *parere parata*, per comparationem ad Sacerdotem. De benè esse autem confessionis est, quod sit frequens, & accelerata, hoc est fiat quamcitiùs commodè potest. 4. *senten. vbi sup.* *art.* 4. q. 3.

7. Quare confessio debet esse integra?

DE necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata mortalia, & eorum circumstantias, quæ speciem mutant, confiteatur, quæ post diligentem sui discussionem in memoria habet, vel quæ oblitus fuit confiteri, & postea recordatur, ad hoc, vt sacerdos cognoscat grauitatem culpæ. *de pæn. & remiss. cap. omnis*, quia vnum peccatum aggrauatur ex adiunctione alterius; multitudo enim peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnā corruptionem eiusdem. Vnde si quis ommisit confiteri aliquod peccatum mortale ex malitia, vel ex verecundia, tenetur recurrere ad primum confessorem: & si vult recurrere ad alium, tenetur confiteri peccatum ommissum, & omnia peccata prius confessa, & quæ postea commisit; ac etiam mendacium, vel simulationem, ex quo dedit intelligere confessori, quod primò fuit integrè confessus; si quis autem ommisit confiteri peccatum mortale ex obliuione, post diligentem sui discussionem ad arbitrium confessoris, eadem confessione illud inclusum esse intelligitur. 4 *sent. vbi sup. art. 4. q. 1. & ad 1. & 3. & dist. 16. q. 3. art. 2. q. 4. & ad 3. & opusc. 5. & 12. art. 6. & opusc. 64. & docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. de pęnit. sacr.*

8. Quare peccata reseruata sunt confitenda?

TEnetur pœnitens confiteri sacerdoti omnia peccata tam non reseruata, quàm reseruata, quamuis de eis non possit absoluere, vt quantitatem totius culpæ cognoscat: sed vt declarat Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. in fine, debet sacerdos pęnitentem ad superiorem remittere, à quo de eis absoluatur, dicendo: *Absoluo te à tali, & tali peccato mihi reseruato, nisi postea pœnitens alia commiserit non reseruata, quæ tenetur ei confiteri, & de omnibus est absoluendus. Simplex autem sacerdos debet absoluere à non reseruatis cum limitatione dicendo: Absoluo te ab omnibus peccatis, exceptis talibus reseruatis, secundùm Nauar. cap. 26. num. 6. Possunt tamen aliqui casus accidere, in quibus non potest sacerdos remittere pœnitentem ad superiorem sine periculo reuelandi confessionem, vel quando pœnitens non potest de facili ad superiorem recurrere, & tunc debet sacerdos facultatem absoluendi obtinere in voce, vel scriptis*. Non grauatur autem pęnitens, qui ad superiorem accedit, quod reseruata cogatur bis confiteri, quia iterata confessio minuit pęnam temporalem, tum ex erubescentia confessionis, quæ in pęnam satisfactoriam computatur, tum ex vi clauium. Vnde toties posset aliquis confiteri, quod ab omni pęna liberaretur. Casus autem principales, quando simplex sacerdos non potest absoluere, dupliciter contingunt. Primò quidem, quando peccatis annexa est excommunicationis censura. & declarat Conc. *sess.* 14. *vbi supra. Nunc enim nec de illis peccatis, nec de alijs potest pœnitentem absoluere, nisi per superiorem sit ab excommunicatione absolutus; quia excommunicatio separat à sacramento-*

mentorum participatione actiua, & passiua. Episcopus autem ex Conc. decreto sess. 24. ca. 6. in huiusmodi casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, non tamen in bulla Cœnæ Domini contentis, potest per seipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ absoluere, imposita pœnitentia salutari, vt infra clarius explicabitur in qu. de excom. Secundò quando Episcopus enormia crimina ad terrorem sibi reseruat. & statuit Concil. sess. 14 vbi supra. *Non debet tamen casus bullæ Cœnæ Domini reseruare, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Potest autem sacerdos, vt sacra Congregatio Cardinalium decreuit die 26. Nouembris, 1602. in quibuscumque casibus absoluere, iuxta tenorem Priuilegiorum, indultorum, & facultatum Ordinibus, congregationibus, Societatibus, seu Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singularibus personis à Sede Apostolica in scriptis, vel viuæ vocis oraculo concessarum, quæ sunt vsu receptæ, & alias non sunt prohibitæ, exceptis casibus in bulla Cœnæ Domini contentis: Violationis immunitatis Ecclesiasticæ, iuxta constitutionem Gregorij XIIII. Violationis clausuræ monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Conc. Inijcientium violentas manus in Clericos, Simoniæ realis scienter contractæ. Confidentiæ beneficialis, omnibusque alijs, quos locorum ordinarij sibi reseruarunt, & in futurum reseruabunt: à quibus sub prætextu prædictarum facultatum non potest simplex sacerdos, siue sæcularis, siue regularis in Italia absoluere, nisi in mortis articulo, sub pœna excommunicationis, priuationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitationis ad hæc, ipso facto incurrenda: super quibus à solo Romano Pontifice absolutio, dispensatio, & habilitatio impartiri possit. 4. sent. vbi supra, art. 3. q. 4. ad 4. & art. 4. q. 1. ad 4. & dist. 19. q. 11. artic. 3. q. 1.*

9. *Quæ circumstantiæ sunt de necessitate confessionis?*

ILlæ circumstantiæ sunt ex necessitate confitendæ, quæ ad aliam speciem mortalis peccati trahunt, & decreuit Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. hoc autem contingit tripliciter. Primò quidem, quando circumstantia de peccato veniali facit mortale, quia peccatum veniale ordinatur ad aliquid, quod est mortale, sicut cum aliquis dicit verbum otiosum ad adulterium committendum. Secundò, quando speciem peccati mortalis mutat, sicut accedere ad coniugatam est adulterium, ad consanguineam incestus, & sic de alijs. Tertiò, quando multiplicat peccatum mortale, sicut si quis mœchatur, vt furetur, ratione finis sunt duo peccata, adulterium, & furtum. Similiter si quis furetur in loco sacro, est duplex peccatum, scilicet furtum ratione rei alienæ, & sacrilegium ratione loci sacri, cui fit iniuria. Religiosus etiam, vel clericus in sacris constitutus si fornicetur, committit duo peccata, fornicationem, & sacrilegium ratione voti. Sunt autem tales circumstantiæ de necessitate confessionis, quia homo non confitetur peccatum

suum, nisi speciem confiteatur peccati. Circumstantiæ autem aggrauantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, sicut furari in magna, vel parua quantitate, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis: tamen eas confiteri, perfectionis est. *Est tamen circumstantia aggrauans necessariò confitenda (secundùm Nauar. cap. 6. nu. 8.) si ita aggrauet peccatum, vt ratione ipsius fiat reseruatum, vel ex vi constitutionum synodalium, quæ solent aliquando damni alicuius certæ quantitatis Episcopo reseruare; vel quia ipsa circumstantia annexam habet excommunicationem* 1. 2. *q.* 18. *art.* 10. *& q.* 72. *art.* 7. *& q.* 88. *art.* 4. *&* 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 4. *& ad* 3. *& opusc.* 12. *art.* 6. *& q.* 2. *de malo. art.* 6 *& ad* 2. *&* 12. *& ar.* 7. *&* 8.

10. *Quare particulares circumstantiæ peccati carnalis sunt confitendæ?*

CIrcumstantiæ particulares peccati carnalis, quæ in speciem peccati mortalis trahunt, quamuis appetitum moueant, semper sunt confitendæ, quia gratia, quæ in sacramento pænitentiæ datur, restaurat, si qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proueniat, vel in confitente, vel in sacerdote: Si tamen confitens sacerdotem lasciuum, & ad huiusmodi peccata pronum viderit, debet accipere licentiam confitendi alteri sacerdoti, & si non dederit, ad superiorem recurrere. Si autem circumstantiæ nouam speciẽ peccati mortalis non constituunt, quandoque laudabiliter reticentur, adhibita debita diligentia secundum considerationem turpitudinis circumstantiæ, vel secundum pronitatem inclinationis ad peccatum ex eius confessione in ipso confitente, vel in sacerdote. 4. *sent. vbi supra, ad* 4.

11. *Quid si aliquis non potest speciem peccati exprimere, nisi innotescendo personam, cum qua peccauit?*

SI potest aliquis speciem peccati exprimere non innotescendo personam, cum qua peccauit, peccat eam exprimendo, nisi fortè saluato ordine correctionis, quem Dominus statuit *Matth.* 18. quia proderet crimen alterius, & famam læderet: *Si verò* speciem peccati exprimere non potest, nisi exprimendo personam, cum qua peccauit, si tunc circumstantia, quæ ducit in congnitionem personæ, sit de necessitate confessionis, sicut si cum sorore concubuit, necesse est vt exprimendo peccati speciem, exprimat personam. & tenet *Sot.* 4. *sent. dist.* 18. *art.* 5. [quidquid dicat Nauar. *cap.* 7. *num.* 3.] sed si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam, quam exprimit, penitus non cognoscat: Si autem talis circumstantia non sit de necessitate confessionis, debet dimittere, ne peccatum alterius prodat. 4. *sent. dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q* 4. *ad* 5. *& opusc.* 12. *art.* 6.

12. *Quare tenetur aliquis confiteri numerum peccatorum?*

TEnetur aliquis confiteri numerum peccatorum, si potest, quia iam non est vnum peccatum, sed multa; & statuit Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. dicens oportere pęnitentes in

specie,

specie, ac sigillatim sua peccata confessori declarare. *Si autem non sit memor de numero, debet dicere bona fide secundùm quod indicat, sexties iterasse peccata, cogitando, vt declarat Nau. cap. 6. num. 14. & 15. quoties in die, vel in hebdomada, vel mense, plus, vel minus illa peccata commiseris: & si numerus modum excedat, vt explicari non possit, sicut si prostituta mulier per decennium parata est quemcumque ad fornicandum admittere, satis est tempus conferi, quo in illo statu fuit. Si quis etiam,* vt dicit num. 13. *vnico actu committit multa peccata eiusdem speciei, puta si vno impetu dicit alteri quatuor, vel quinque verba iniuriosa vnam tantùm iniuriam significantia, videlicet quod sit fur, vel falsarius, debet solùm numerum peccatorum confiteri: si autem committit diuersa specie peccata, tenetur species, & numerum peccatorum exprimere, sicut si dicit quatuor, vel quinque verba iniuriosa, significantia diuersas iniurias; puta, quod sit fur, & falsarius. Opusc.* 12. *art.* 6. *& opusc.* 64.

13. *Quando excusatur aliquis à peccato fictionis, si non confiteatur aliquod peccatum propter ignorantiam?*

SI aliquis non confiteatur peccatũ, quia nescit esse peccatum propter ignorantiam particularis circumstantiæ, sicut si cognouit alienam, quam credidit esse suam; vel propter ignorantiam facti, si oblitus est, excusatur à peccato fictionis, quod fructum confessionis impedit: Si autem nescit esse peccatum propter ignorantiam iuris diuini non excusatur, sicut si ignoret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale. 4. *sent. dist.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 4.

14. *Quid si aliquis post confessionem recordatur alicuius peccati mortalis?*

SI aliquis post confessionem factã recordatur alicuis peccati mortalis, & non potest eundem confessarium habere, cui ante confessus fuerat, qui omnia cognoscit, ad hoc, vt totius culpæ quantitas vni sacerdoti innotescat, sufficit, quod hoc peccatum confiteatur explicitè, & alia in generali, dicendo, quod cum alia multa confiteretur, talis peccati oblitus fuit 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 3.

15. *Quomodo tenetur aliquis confiteri peccatum, de quo dubitat, an sit mortale?*

QVando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel omittit, de quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium sacerdotis expectare 4. *sent. dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

16. *Quomodo recidiuans tenetur confiteri peccata, de quibus prius confessus fuit?*

REcidiuans tenetur confiteri peccata, de quibus priùs confessus fuit, quantùm sufficit ad notificandum

candum occasiones peccatorum ad hoc, quod per sufficiens remedium illæ occasiones abscindantur, sicut si ipse lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præscindatur per satisfactionem, & sic de alijs peccatis, & ad hoc sufficit generalis confessio, & interdùm oportet descendere ad aliqua specialia, secundùm quod confitens videtur opportunum 4. *sent. dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *& ad* 3.

17. *Quare confessio venialium non est necessaria?*

NOn tenemur confiteri peccata venialia, neque necessitate absoluta, quia sic nec de eis pœnitere, nec ea vitare tenemur: neque necessitate, quæ est ex suppositione finis, scilicet remissionis eorum, quia etiam sine confessione, vel actuali, vel secundùm propositum possunt actualia remitti: tamen perfectionis est ea confiteri. 3. *par. quæst.* 87. *art.* 1. *&* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *& docet Conc. Triden. sess.* 14. *cap.* 5.

18. *Quando confessio est iteranda?*

COnfessio est iteranda ex parte pœnitentis, & ex parte Confessoris. Ex parte quidem pœnitentis: Primò, ex defectu intentionis suscipiendi sacramentum. Secundò, ex defectu contritionis, cum scilicet accedit sine vllo dolore de peccato, vel sine proposito vitandi peccatum, vel cum habet conscientiam se non accedere sufficienter contritũ. Tertiò, si confessio non est integra, quod contingit, quando non confitetur omnia peccata mortalia, vel circumstantiam necessariam ex malitia, vel erubescentia, vel pusillanimitate, vel alia iniusta causa, quę potest esse notabilis negligentia discutiendi conscientiam suam, ex qua ommittit aliquod peccatum mortale. Hæc autem æstimari debet secundùm conditionem pęnitentis, considerata eius dispositione: cum enim cupit interrogari à Confessore, supplet magnam partem diligentiæ requisitæ, secundùm Nauar. *cap.* 9. *num* 16. Si autem confessio non sit integra ex eo, quod pęnitens probabiliter timet periculum corporale, vel spirituale sibi, vel Sacerdoti ex confessione alicuius peccati ei facta, confessio non est iteranda, quia in tali casu idem est iudicium, quod de illo, qui non habet copiam Confessoris, vt infra declarabitur: tenetur tamen conteri cum proposito confitendi illud peccatum habita copia Confessoris, vt confessio sit integra, & si non materialiter, saltem formaliter ex voluntate pœnitentis. Similiter confessio est valida, si mors imminet, & infirmus non habet tempus confitendi omnia peccata, sed aliqua tantùm: immò si non potest aliquo signo peccatum exprimere, & absolutionem petit, vel si ante aduentum Confessoris petijt cõfessionem, est absoluendus, vt tenet S. Ant. 3. *par. tit.* 10. *cap.* 2. *& habetur* 26. *q.* 6. *is, qui in infirmitate, & cap. his, qui in tempore, & cap. ægrotantes*, de conf. dist. 4. Ex parte autem Confessoris est iteranda confessio, Primò quidem

dem, si non habet potestatem iurisdictionis ordinariam, vel commissione Superioris, vel si non habet vsum talis potestatis, quia est notoriè excommunicatus, vel suspensus, vel degradatus. Secundò, si est notabiliter ignorans, nesciens distinguere inter peccatum, & non peccatum, & inter peccatum mortale, & veniale. *Quod intelligendum est, quando pœnitens ex discursu confessionis, vel aliàs id nouit, nisi sit sibi ipsi sufficiens ad suorum criminum grauitatem manifestandam, vel sit persona spiritualis frequenter ad confessionem accedens, secundùm Nauar. cap. 4. num. 5. 3. par. qu. 68. art. 7. ad 2. & 4. sent. dist. 16 q. 3. art. 2 qu. 4. & dist. 17. q. 3. art. 1. q. 3. & art. 3. q. 3. ad 5 & q. 4. & art. 4. q. 1. ad 1. & in expositione tex. & opusc. 5. & 10. cap. 4. & opusc. 64.*

Vbi notandũ occurrit secundùm Silu. & Caiet. in summa, quod quando oportet iterare confessionem, si quis eidem Confessori confiteatur, non tenetur particulariter replicare, sed sufficit dicere, dico meam culpam de illis omnibus, quæ alias dixi, etiam si Confessor esset oblitus, dummodo taxasset pœnitentiam, alias oporteret ad memoriam reuocare.

19. *Quare confessio debet fieri per verbum?*

CONfessio debet fieri per verbũ, non quidem de necessitate sacramenti, alioquin nulla necessitate esset licitum confiteri, nisi per verbum, quod patet esse falsum. Nàm muto, vel ei, qui est alterius linguę, sufficit, quod per scriptum, vel nutum, vel interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus, quàm possit: sed ex institutione Ecclesiæ tenetur homo, qui potest, verbo confiteri, non solùm propter hoc, vt homo confitens ore, magis erubescat, vt qui ore peccat, ore purgetur. *de pœn. dist. 2. quem pœnitet*, sed etiam, quia in manifestatione peccatorum conuenit vti verbis, quibus homines communiter, & expressiùs suos conceptus significare consueuerunt, sicut in baptismo accipitur aqua, qua homines communiùs vtuntur ad abluendum, & in Eucharistia panis, qui est communior cibus. *4. sent. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. & ad 2. & Quodl. 1. art. 10.*

20. *Quare confessio non debet fieri Sacerdoti absenti per scriptum?*

SI Sacerdos sit absens, cui non potest pęnitens sua peccata propria voce manifestare, non oportet, quod ei per scriptum ipsa confiteatur: sed potest tunc laico confiteri, quamuis iste non possit absoluere. *de sum. Trin. & Fid. Cath. c. 1. §. vna, & de pœn. dist. 2. quem pœnitet*, quia plus pertinet ad necessitatẽ confessionis actus, quàm ille, cui fit confessio. Nuper autem die 20. Iunij 1602. Clemens Papa Octauus in generali Congregatione Inquisitionis hanc propositionem, scilicet licere per literas, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vt falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, eamque publicis, ac priuatis lectio-

nibus, concionibus, & congressibus docentem, ac tanquam aliquo casu probabilem defendentem, imprimentem, aut imprimi facientem, aut de ea disputatiuè tractantem, nisi impugnando, excommunicationis vinculo ipso facto innodauit, à qua non possit ab alio absolui, quàm à Romano Pontifice, etiam S. Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo. 4. *sent. vbi sup. art. 3. quæstiun. 1. ad 1. & art. 4. quæst. 2. ad 3.*

Vnde reijcienda est opinio Nauar. cap. 21. num. 36. & cap. 27. num. 260. quod potest fieri confessio, & absolutio per scriptum missa, si ægrotus in domum Parochi ægrotantis migrare nequeat.

Notandum insuper, quod aliud est confessionem audire, aliud absoluere; hoc secundùm potest solus Sacerdos; primum potest etiam laicus in defectu Sacerdotis, vt docet, & nihil aliud vult S. D. qui propterea hìc ad 2. de tali pœnitente dicit. Oportet tamen quod iterum confiteatur Sacerdoti, *cum copiam habere potuerit: Vnde confessio facta laico solum iuuat vel ad capiendum consilium, aut solatium, vel ad excitandam contritionem, maioremque sui confusionem, & humiliationem; Nec est in præcepto, sed ad summum de consilio, si tamen spectatis circumstantijs salubriter fieri possit, sitque laicus vir prudens, probus, taciturnus &c.*

21. *Quare confessio debet fieri proprio Sacerdoti?*

Confessio debet fieri proprio Sacerdoti, qui non solùm habet potestatem ordinis, sed etiam iurisdictionis ordinariam, vel delegatam ex commissione. *de pæn. & remiss. cap. omnis;* & decreuit *Conc. Trid. sess. 14. cap 7. & sess. 23. cap. 15.* Hæc autem est potestas absoluédi, *vt patet Ioannis* 20. vbi Dominus Sacerdotibus potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit: & ratio est, quia Sacerdos non potest absoluere, nisi possit per imperium ligare ad aliquid faciendum: Imperiū autem non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum iurisdictionem. Excipiuntur tamen quidam casus, in quibus potest aliquis alteri confiteri, quàm proprio Sacerdoti. Primus est, si sit vagabundus, qui tenetur illi Sacerdoti confiteri, in cuius iurisdictione est tempore suscipiendi sacramenta. Simile est de peregrinis, & viatoribus. Secundus, si mutauit domicilium. Tertius, si offendit in aliena parochia. Quartus, propter malitiam Sacerdotis, si reuelat confessionem, vel incitat ad malum. Quintus, in articulo necessitatis. Addendus est sextus, quando proprius Sacerdos dat licentiam alteri confitendi, dummodo ab Episcopo sit approbatus, vel parochiale habeat beneficium, *ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 15.* Septimus, si pœnitens habet facultatem à iure, sicut Prælati, tales sunt Episcopi, Abbates, & Superiores religiosorum, qui possunt sibi eligere Confessorem; vel si habet facultatem ex consuetudine, sicut Cardinales, qui non sunt Episcopi, nec Legati, immò eorum familiares, qui possunt confiteri his, quibus Cardinales cómiserint. 4. *sent. vbi sup. art. 3. ad 1. & q. 3.*

& q. 3. & dist. 21. in expositione textus, & opusc. 5. et Quodl. 12. art. 16.

22. *Quare confessio de licentia Superioris potest fieri alteri, quàm proprio Sacerdoti, etiam contra eius voluntatem?*

SAcerdos potest confessiones audire de licentia Episcopi, etiam contra voluntatem Præsbyteri parochialis, si ei expediens videatur ad salutem plebis, & honorem Dei promouendum, quia ad absoluendum requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis: Episcopus autem habet immediatam iurisdictionem in omnes sui Episcopatus, & multò magis hoc potest de licentia Papæ, qui habet immediatam iurisdictioné in omnes Christianos. Vnde Minister huius sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris. Nec ex hoc fit aliquod præiudicium parochialibus, nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, & qui gregi præsunt, non vt eos pascant, sed vt pascantur ab eis. Nec sequitur, quod sint plures Sponsi vnius Ecclesiæ, quia Sacerdotes cooperantur Episcopo tamquam principali, & similiter Episcopi Papæ, & Papa Christo: Vnde Christus, Papa, Episcopus & Sacerdos non computatur, nisi vnus sponsus Ecclesiæ. Archiepiscopus autem, qui non habet immediatam iurisdictionem in omnes sui Archiepiscopatus, nisi ex appellatione *de off. leg. cap.* 1. non posset alicui dare licentiam audiendi confessiones cótra voluntatem Episcopi suffraganei. In mortis autem articulo quilibet Sacerdos potest confessiones audire, & à quibuscumque casibus absoluere per Ecclesiæ ordinationem, à qua habet iurisdictionis vsum, quamuis iurisdictione careat. *de off. ord. cap. pastoralis. vbi glos. & decreuit Concil. Trid. sess.* 14. *cap.* 7. 4. *sent. vbi supra art.* 3. *q.* 4. & *ad* 1. *et dist.* 20. *art.* 1. *q.* 1. *et ad* 1. *et opusc.* 5. *&* 19. *con. impugnantes religionem c.* 4. *Quodl. et* 12. *art.* 31.

23. *Quare proprius Sacerdos debet esse facilis ad dandum licentiam alteri confitendi?*

PEccaret Sacerdos, si non esset facilis ad dandum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potiùs sine confessione morerentur, quàm tali Confessori confiterentur: quandoque propter verecundiam, quia erubescunt confiteri illis peccata, cum quibus quotidie conuersantur; quandoque verò, quia suspicantur Sacerdotes sibi esse inimicos. & propter multa alia. Vnde qui sunt nimis soliciti, vt conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniciunt, & per consequens sibi ipsis. Nec refert, quod ex hoc quod aliqui confitetur alteri, quàm proprio Sacerdoti, datur occasio aliqua mali, vt scilicet ad Confessorem minùs idoneum accedat, quia multùm præponderat, quod per hoc vitantur multa alia maiora mala, & multis periculis obuiatur. 4. *sent. vbi sup.*

sup. art. 3. q. 3. a 16. & opusc. 19. cap. 4. con. impugnantes religionem.

24. *Quare proprius Sacerdos tenetur credere suo subdito dicenti se alteri confessum esse?*

SAcerdos parochialis debet credere suo subdito dicenti se alteri confessum fuisse, & Eucharistiam dare, quia in foro pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se: & in hoc differt à foro exterioris iudicii, in quo creditur homini contra se, sed non pro se. 4. *sent. vbi supra art. 3. q. 4. ad 2. et opusc. 19. vbi sup. & Quodl. 1. art. 12.*

25. *Quid debet facere penitens in casibus, in quibus probabiliter timet peccatum sibi, vel Sacerdoti ex confessione ei facta?*

IN casibus, in quibus pœnitens probabiliter timet periculũ corporale, vel spirituale, sibi, vel Sacerdoti ex confessione alicuius peccati ei facta, debet recurrere ad Superiorem, vel ab illo Sacerdote petere licentiam alteri confitendi, qui si licentiam habere non possit, & necessitas vrgeat, idem est iudicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis. Et ideo potest tale peccatum tacere: sed habita oportunitate tenetur illud confiteri: sicut siquis occidit fratrem Confessoris, & probabiliter timet, quod si illi confiteatur tale homicidium, statim conijciet illud esse fratris sui, & faciet vindictam, non tenetur tale peccatum confiteri. Similiter si mulier commisit peccatum carnale, & probabiliter timet quod ex illius cõfessione Confessor illam solicitabit, potest dissimulare tale peccatum. 4. *sent. dist. 16. in expos. tex. & dist. 17. q. 3. art. 3. quæst. 3. ad 5.*

26. *Quomodo Sacerdos peccat, carnaliter cognoscens mulierem confitentem?*

SAcerdos tantum peccat, carnaliter cognoscens mulierem confitentem, ac si esset sua spiritualis filia, quia per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem, & mulierem simile cognationi spirituali. 4. *sent. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 8.*

27. *Quare Sacerdos non debet audire confessionem mulieris, cum qua peccauit?*

SAcerdos non deberet audire confessionem mulieris subditæ, cum qua peccauit, de illo peccato, sed deberet ad alium remittere, nec illa deberet ei confiteri, sed licentiam petere ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si licentiam denegaret, tùm propter periculum, tùm quia est minor verecundia, si tamen absolueret, absoluta esset. 4. *sent. dist. 19. q. art. 3. q. 1. ad 1.*

28. *Quomodo inferior in actu confessionis potestatem habet in superiorem?*

SVperior subditur inferiori in actu confessionis, non vt superior, sed

sed vt peccator, quia & ipse circumdatus est infirmitate, sicut vnus medicus ab altero curatur, non vt medicus, sed vt infirmus. 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 3. *ad* 4.

29. Quæ requiruntur ex parte Confessoris?

CONfessor debet scire ligare, & soluere. Hæc autem scientia debet esse tanta, vt sciat distinguere inter peccatum, & non peccatum, & inter peccatum mortale, & veniale, & si in aliquo esset dubitatio, posset ad discretiores recurrere. *Vnde Augustinus in libro de pœnitentia*, dicit & refertur *de penitent. dist.* 1. *quem pœnitet*. *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit*. Debet etiam Confessor esse compassiuus, charitatiuus, humilis, prudens, discretus, probatus in tentationibus, & in via continentię exercitatus. 4. *sent. vbi supra, in expositione tex. & opusc.* 64.

30. Quæ debet Confessor attendere in interrogationibus faciendis?

COnfessor tria debet attendere, ne deficiat in interrogationibus faciendis in actu confessionis, secundùm illud Psalm. 63. *Defecerunt scrutantes scrutinio, qui scrutati sunt iniquitates*. Primò quidem, vt interroget penitentem de peccatis, quæ consueuerunt in hominibus illius conditionis abundare. Secundò, vt non fiat explicita interrogatio, nisi de illis peccatis, quæ omnibus manifesta sunt. De alijs autem adinuentionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, vt, si commisit, dicat, & si non commisit, non addiscat. Tertiò, vt interroget de occasionibus peccatorum maximę carnalium, ad hoc, quod per sufficiens remedium illæ occasiones abscindantur. Quartò, vt de peccatis pręcipuè carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias, quia huiusmodi delectabilia quantò magis in speciali considerantur, tantò magis concupiscentiam nata sunt mouere. Quintò interroget de circumstantijs, quę speciem peccati mutant, de quibus dictum est supra.

Sunt etiam alia ante confessionem interroganda. Primum est, an pœnitens sciat se aliquam excommunicationem incurrisse, vel peccatum aliquod reseruatum commisisse, à quibus est absoluendus per ipsum, si habet facultatem: alias eum ad Superiorem mittat. Secundum est, si sufficienter fecit diligentiam examinandi conscientiam suam. Tertium, si doleat de peccatis commissis, & proponat se deinceps non commissurum, alioquin non est absoluẽdus. Quartum, an sciat diuina mandata, & articulos Fidei, quamuis non sciat distinctè, sed tantùm sciat respondere ea esse mandata, vel articulos, quæ sunt, puta Deum esse vnum, & Trinum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & Filium conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, &c. Similiter solum

Deum.

Deum adorandum esse, non esse periurandum, festa seruanda esse, honorandos parentes, &c. tales enim sunt instruendi, & si in sua ignorantia perseuerant, non sunt audiendi, quia tenentur ea scire de necessitate salutis. 2. 2. q. 2. ar 5. & 6. ad 3. & 3. sent. dist. 25. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. 2. & 3. & in expos. l. & 4. dist. 17. q. 3. art. 3. qu. 4. ad 4. & dist. 19 in expos. l. & dist. 22. q. 1. ar. 4. & ad 3.

31. *Quare Sacerdos tenetur celare confessionem?*

TEnetur Sacerdos confessionem celare, quia confessio, qua quis Sacerdoti se subijcit, est signum interioris confessionis, qua quis Deo subijcitur. Deus autem celat peccatum illius, qui sibi subijcitur per pęnitentiam, secundùm illud *Ezech. 33. si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis, quæ operatus est, omnium iniquitatum eius, quas fecerat, non recordabor.* Vnde tenetur Sacerdos eodem modo non solùm celare peccatum illius, qui sibi subijcitur per confessionem, sed & quidquid potest inducere in cognitionem, vel saltem suspicionem peccantis, siue hoc sit verbum, siue nutus, siue signum. *de pęnit. & remiss. cap. omnis*, etiam si non sequatur absolutio, *vt dicit Silnester, verbo confessio 3. q. 4.* Sunt etiam huius celationis aliquæ vtilitates, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur, & simpliciùs peccata confitentur. *4. sent. dist. 21. qu. 3. art. 1. & qu. 1. & Quodl. 5. art. 13. & Quodl. 12. ar. 17.*

32. *Quare Sacerdoti in nullo casu licitum est reuelare confessionem?*

IN nullo casu licitum est Sacerdoti reuelare confessionem, quia quod scit per confessionem, non scit vt homo, sed vt Deus *de off. iud. cap. si sacerdos.* Vnde si in confessione scit aliquem hæreticum, quem non potest inducere ad hoc, quod desistat à corruptione plebis, non potest hoc manifestare, sed potest remedium adhibere, monendo eos, qui confitentur, & alijs diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligenter inuigilet super gregem suum, ita tamen, quod non dicat aliquid, quod verbo, vel nutu confitentem prodat. Eadem ratione, si per Superiorem pręcipiatur, etiam sub pœna excommunicationis iàm latæ, quod quicumque scit aliquid de tali peccato, dicat, non debet ille, qui scit per confessionem, dicere, nec excommunicationem incurrit, quia non est subiectus Superiori, nisi vt homo; hoc autem non scit vt homo, sed vt Deus. Similiter etiam potest aliquis licitè iurare se nescire, quod scit per confessionem, quia nescit, vt homo. *4. sent. vbi supra art. 1. ad 1. 2. & 3. & Quodl. 12. art. 17.*

33. *Quare Sacerdos potest de licentia pęnitentis peccatum alteri prodere?*

POtest Sacerdos de licentia pœnitentis alteri peccatum prodere, quod

quod scit per confessionem, quia sacerdos tenetur peccatum occultare, inquantum scit illud vt Deus, cuius vicem gerit. Potest autem pœnitens facere, vt illud, quod sacerdos sciebat, vt Deus, sciat etiam vt homo, quod facit, dum dat ei licentiam ad dicendum. Debet tamen cauere scandalum dicendo, ne fractor sigilli reputetur. Ille autem, ad quem notitia peccati deuenit, mediante sacerdote ex voluntate pœnitentis, tenetur celare, sicut & interpres, nisi forte peccator velit, quod ille sciat liberè. *4. sent. vbi supra art. 2. & ad 4.*

34. Quomodo sacerdos potest manifestare peccatum, quod in confessione audiuit, si alias sciat?

SAcerdos potest manifestare peccatum, quod scit per confessionem, si aliter sciat, siue ante confessionem, siue post, non dicendo, quod hoc audiuit in confessione, quia hoc scit vt Deus, sed quod scit, quia vidit, vel alio modo; hoc enim scit vt homo: tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, ne de hoc loquatur, nisi necessitas veritatis, vel iustitiæ immineat, puta, si aliquis coram illo, cui confessum est peccatum, ipsum iterauit. *4. sent. vbi supra art. 3. ad 4.*

35. Quare sigillum confessionis competit soli sacerdoti?

SOlus sacerdos habet sigillum confessionis, quia solus sacerdos est minister huius sacramenti; sigillum autem est annexum sacramento. Si tamen aliquis in casu necessitatis confiteretur laico, vel sacerdoti per interpretem, teneretur celare, quamuis propriè loquendo sigillum confessionis non habeat. *4. sent. vbi sup. art. 1. q. 2.*

36. Quomodo homo tenetur celare secretum humanum sub sigillo confessionis receptum?

HOmo non debet de facili recipere aliquod secretum sub sigillo confessionis: si tamen recipiat, ex promissione tenetur celare, ac si in confessione haberet, quamuis sub sigillo confessionis non habeat. Et ideo si vergeret in corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, tenetur homo illud manifestare, vel testificando, vel denuntiando. *2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1. ad 2.*

QVÆSTIO XXXIV.

De Satisfactione.

1. Quid est satisfactio?

SAtisfactio, vt est medicina curans culpam præteritam, est iniuriæ illatæ recompensatio secundùm iustitiæ æqualitatem, non quidem secundùm æqualitatem quantitatis, sed secundùm æqualitatem proportionis, vt scilicet homo reddat quod potest. Satisfactio autem, vt est medicina præseruans à culpa futura, est peccatorum causas excindere,

dere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere, *vt definit Aug. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 1. q. 2. & art. 2. & ad 1.*

2. In quo differt ſatisfactio à reſtitutione?

Differt ſatisfactio à reſtitutione, quia reſtitutio dicitur recompenſatio inæqualitatis exiſtentis in rebus: ſatisfactio autem eſt recompenſatio inæqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus, quæ, quamuis realiter non maneant, manent tamen in effectu, vel corporali, puta cum ex percuſſione læditur corpus, vel qui eſt in opinione hominum, ſicut cum aliquis verbo iniurioſo remanet infamatus, vel etiam minoratus in honore. Vnde quandoque eſt ſatisfactio ſine reſtitutione, ſicut cum quis ſe proximo humiliat de aliquibus contumelijs, & dictis: aliquando autem reſtitutio ſine ſatisfactione, ſicut cum quis mutuum reddit. Aliquando autem vtrumque requiritur, puta cum quis alicui per violentiam rem ſuam ſubtraxit. *2. 2. qu. 62. art. 1. ad 2. & 4. ſent. vbi ſupra, art. 5.*

3. Quomodo ſatisfactio remittit pœnam?

In peccato ſunt duo. Vnum eſt auerſio ab incommutabili bono, ſcilicet Deo, qui eſt æternus: & ſic peccato debetur pęna æterna, quæ remittitur remiſſa culpa per contritionem, & confeſſionem, ſaltem in voto. Alterum eſt inordinata conuerſio ad commutabile bonum, ſcilicet creaturam, quæ eſt temporalis: & sic peccato debetur pęna temporalis, quæ remiſſa culpa, poteſt remanere, & hæc remittitur per ſatisfactionem. *1. 2. q. 87. art. 4. & 3. p. qu. 86. art. 4. & 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 1. q. 1. & opuſc. 2. cap. 183. & ſtatuit Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 8.*

4. Quando ſatisfactio auget gratiam?

Satisfactio, inquantum eſt pars ſacramenti, confert, & auget gratiam. Confert quidem gratiam, prout eſt in propoſito; ſed auget eam, prout eſt in executione. *3. par. q. 90. art. 2. ad 2. & 4. ſent. diſt. 16. q. 1. art. 1. q. 1. art. 1. qu. 1. ad 3.*

5. Quare homo non poteſt de vno peccato ſine alio ſatisfacere?

Homo non poteſt de vno peccato ſine alio ſatisfacere, quia ſatisfactio eſt recompenſatio offenſæ; Offenſa autem non poteſt recompenſari, niſi reſtituatur amicitiæ æqualitas, quod non poteſt fieri, dum eſt aliquid, quod amicitiam impedit: & ideo, cum quodlibet peccatum amicitiam charitatis impediat, quæ eſt hominis ad Deum, non poteſt homo de vno peccato ſine alio ſatisfacere. *4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 3. & ad 2.*

6. Cur ſatisfactio facta in peccato mortali non valet?

Satisfactio facta in peccato mortali de culpa dimiſſa per præceden-

dentem contritionem non est valida, quia non est Deo accepta, quod est contra rationem satisfactionis: nam satisfactio est recompensatio offensæ secundùm iustitiæ æqualitatem, vt dictum est: Æqualitas autem iustitiæ ad Deum in satisfactione non est secundùm æquiualentiam, sed magis secundùm acceptionẽ ipsius. *4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1.*

7. Cur satisfactio facta in peccato mortali, per pœnitentiam subsequentem non incipit valere?

SAtisfactio facta in peccato mortali, dimisso peccato per pœnitentiam subsequentem, non incipit valere, quia est opus mortuum carens principio spiritualis vitæ, quod est charitas, & ideo non potest viuificari. Hoc autem non potest dici de baptismo, qui recedente fictione incipit valere. Primò quidem, quia baptismus imprimit characterem, non autem satisfactio, & ideo adueniens charitas, quæ fictionem tollit, facit, quod baptismus suum effectum habeat. Secundò, quia baptismus iustificat ex ipso opere operato, quod non est hominis, sed Dei. Vnde si suscipitur in peccato mortali, non est opus mortuum, sed mortificatum, quod potest reuiuiscere: Satisfactio autem est opus hominis, quia fit ex opere operantis, & ideo si fit in peccato mortali, est mortuum, & non potest viuificari. *3. par. q. 69. art. 10. ad 1. & qu. 89. art. 6. & 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 3. & quæst. 1. & dist. 15. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. & ad 2. & 3. & dist. 17. qu. 3. art 4. ad 2.*

8. Quæ satisfactio facta in peccato mortali per pœnitentiam subsequentem est valida?

SAtisfactio facta in peccato mortali, quę relinquit effectũ in satisfaciẽte, postquã actus satisfactionis transit, quantum ad id, quod remanet, per pœnitentiam subsequentem, est Deo accepta, & ideo non est iteranda: sicut ieiunium, ex quo remanet corporis debilitatio, & eleemosyna, ex qua manet diminutio substantiæ. Satisfactio autem, quæ non relinquit aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transit, sicut oratio, per pœnitentiam subsequentem non est valida, & ideo oportet, quod iteretur; quia actus interior, qui totaliter transit, nullo modo viuificatur. *4. sent. dist. 15. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3.*

9. Quare non tenetur homo satisfactionem iterare ex incertitudine formatæ satisfactionis?

QVamuis homo nesciat, an habuerit charitatem in satisfaciendo, & per consequens, an satisfecerit; quia per talem satisfactionem pœna non expiatur, non tamen incurrit reatum omissionis, si conscientiam peccati mortalis non habuerit: & ideo non tenetur satisfactionem iterare. *4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1. ad 2.*

10. Quare

10. *Quare satisfactio sit per opera pœnalia?*

Satisfactio debet fieri per opera pęnalia. Primò quidem, vt est recompensatio offensæ commissæ, quæ importat æqualitatem pęnæ ad culpam, quia sic oportet, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Secundò, vt præseruat à culpa futura, quia non facilè homo ad peccata redit, ex quibus pęnam expertus est. *4. sent. vbi sup. art. 4.*

11. *Quomodo flagella, quę à Deo infliguntur, habent rationem satisfactionis?*

Flagella, quæ à Deo pro peccatis infliguntur, si à patiente acceptantur ad purgationem peccatorum, habent rationem satisfactionis, quia quodammodo fiunt ipsius, & declarat Concil. Trid. *sess. 14 cap. 9. & can. 13. de pœnit. sacram.* si verò ratio eis per impatientiam dissentiat, tunc non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantùm, quia non efficiuntur aliquo modo ipsius. *4. sent. vbi sup. art. 4. q. 1. & 3. cont. gent. cap. 158.*

12. *Quomodo potest vnus satisfacere pro alio?*

Satisfactio inquantum valet ad solutionem pœnæ pro culpa commissa, potest vnus pro alio satisfacere, dummodo vterque sit in charitate; & quia maior charitas apparet in hoc, quod aliquis pro altero satisfacit, quàm si ipse satisfaceret (hoc enim est promptę voluntatis; illud autem est necessitatis:) ideo minor pęna in eo requiritur, quàm in principali requireretur. Satisfaciens tamen pro alio, pro se non satisfacit; quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum; sed sibi meretur maius quid, quàm sit dimissio pęnæ, scilicet vitam æternam. Inquantum autem satisfactio est remedium culpæ futuræ, vnus non potest pro alio satisfacere, quia ex ieiunio vnius, caro alterius non domatur, nisi defectus aliquis appareat in pęnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad patiendum: tunc enim potest aliquis pro alio pęnitentiam facere. *3. par. q. 48. art. 2. ad 1. & 4. sent. dist. 20. art. 2. q. 2. & ad 3. & 3. con. gent. vbi sup.*

13. *Quomodo sacerdos debet pœnitentiam imponere?*

Satisfactio valet ad recompensationem culpę præteritę, & remedium culpæ futurę. Quantum ad repensationem quidem culpæ præteritæ debet sacerdos secundùm quantitatem culpæ pęnam temporalem imponere, cuius reatus post pœnitentiam remanet, considerata tamen contritionis quantitate, & confessione, & absolutione, quia per hæc omnia minuitur pœna temporalis, & habita moderatione, prout eorum versorum animos perspexerit esse deuo-

tos, & *habetur 26. cap. tempora*, quia sicut paruus ignis de facili extinguitur à multis lignis superpositis, ita posset contingere, quod paruus effectus contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter graue onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Vnde melius est, quod sacerdos pœnitenti indicet quãta pœnitentia esset sibi pro peccatis iniungenda, & tamen iniungat sibi aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cuius impletione assuefiat, vt maiora impleat, quæ sacerdos sibi iniungere non attentasset. Quantum autem ad remedium culpæ futuræ, confessor pro minori culpa potest alicui iniungere maiorem pœnam, sicut iuueni pro fornicatione imponitur maior pœna, quam seni, quamuis minus peccet, quia peccatum fornicationis est magis incentiuũ in iuuene, quàm in sene, & sacerdoti pro fornicatione imponitur maior pœna, quàm laico, quia peccatum est periculosius in sacerdote ratione scandali. Tenetur etiam Confessor quantum ad remedium, considerare qualitatem peccatorum, vt pœnitentiæ, quantum fieri potest, peccatis contrariæ sint: carnis peccatum carnis maceratione castigetur: auaritia eleemosynis; periuria, & blasphemiæ diuinis laudibus: & omnia peccata sacrorum frequentatione. Non debet autem commutare pęnitentiam ab alio impositã sine rationabili causa. *4. sent. dist. 15. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. & dist. 18. q. 1. art. 3. q. 3. & dist. 20. art. 1. q. 1. art. 2. & Quodl. 3. art. 28. & docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 8.*

14. *Quare sacerdos excusatur pœnitentiam iniungens minorem culpa?*

Sacerdos non semper peccat minorem cõdingno pęnitentiam iniungens. Primò quidem, quia non potest determinatè quantitatem pœnæ debitæ cognoscere, & ideo pęnitenitentia est arbitraria, & patet *cap. Deus, qui de pęnit. & remiss.* Secundò, quia interdum minor pęna plus prodest pœnitenti propter debilitatem virtutis in eo de nouo excitatæ, vt dictum est. Tertiò, quia licet satisfactio non sufficiat ad expiãdũ pęnam peccati ex quantitate pœnę, quę in satisfactione imponitur, sufficit tamen in quantum est pars sacramenti, virtutem sacramentalem habens, & ideo oportet, quod per dispensatores sacramentorum imponatur. *4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 3. & dist. 20. art. 2. q. 1. ad 3.*

15. *Quare satisfactio iniuncta à confessore magis valet, quàm ea, quæ fit proprio arbitrio pœnitentis?*

Satisfactio à confessore iniuncta, quæ est pars sacramenti, magis valet, quàm ea, quæ fit arbitrio pœnitentis, cæteris paribus, quia valet ex natura operis, & ex vi clauium. Et ideo laudabiliter à sacerdotibus dicitur: *Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.*

16. *Quare pœnitentis tenetur facere satisfactionem sibi iniunctam à confessore?*

Tenetur pœnitens facere satisfactionem sibi impositam à confes-

sor-

fessore non errante, etiamsi maiorem imponat, quam pœnitens facere teneatur; quia confessor habet clauem scientiæ, & auctoritatis per diuinum iudicium; est enim Dei iudex. *vt docet Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. 4. sent. dist. 16.*

17. *Quæ pœnitentia iniungenda est ommitenti diuinum officium?*

NOn est iniungendum ei, qui ommisit diuinum officium, vt horas easdem ommissas reperat, quia in diuinis officijs obseruanda est congruitas temporis, quæ obseruari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quod horas diceret, quas omisit: fortè enim in completorio diceret: *Iam lucis orto sydere*, & in tempore Paschali diceret officium Dominicæ, & ideo iniungendum est ei aliquid aliud ad diuinam laudem pertinens, puta, vt dicat septem Psalmos, vel vnum Psalterium, vel aliquid aliud secundùm quantitatem delicti. *Quodl. 3. art. 29.*

18. *Quare in articulo mortis non est imponenda pœnitentia?*

NOn est imponenda in articulo mortis pœnitentia, sed innotescenda, quia per hoc, quod imponitur aliqua pœnitentia alicui, obligatur ad illam faciendam. Nullus autẽ debet ad aliquid obligari, quod non potest facere. Est autem innotescenda, vt procuret per amicos, & eleemosynas expiari, & vt eius complendæ propositum habeat, si euadat. *26. q. 7. infirmis 4. sentent. dist. 20. in expositione textus.*

19. *Quando peccat homo reseruans sibi pœnam soluendam in purgatorio?*

QVicumque satisfactionem non implet in hac vita, oportet quod in purgatorio puniatur, ad hoc quod æqualitas culpæ recompensetur, cui æqualis pœna debetur secundùm quantitatem. Sed peccat homo reseruans sibi pœnam soluendam in purgatorio, si satisfacere neglexit, quando potuit. Et propter hoc punitur in purgatorio. Et vlterius pro eadem culpa grauius punitur in purgatorio, quam in hac vita, ratione alterius fori: tamen illa aggrauatio proportionabiliter respondet pœnæ, cuius homo in hac vita reus erat, & hoc debet homo sibi imputare, quia reseruauit sibi pœnam pro culpa accipiendam. Pœna etiam, quæ sustinetur in purgatorio, non est meritoria sicut in hac vita, sed solùm satisfactoria. *4 sent. dist. 20. a. 1. q. 2. & ad 1. & 2.*

QVÆSTIO XXXV.

De Operibus satisfactorijs.

1. *Quomodo opera satisfactoria ponuntur eleemosyna, ieiunium, & oratio?*

ELeemosyna, ieiunium, & oratio, inquantum sunt actus virtutum, sunt opera meritoria, sed in quantum sunt opera pœnalia, sunt satisfactoria. Ponuntur autem hæc tria opera satisfactoria. Primò quidem

Item inquantum satisfactio est recópensatio culpæ commissæ, quia per huiusmodi satisfactionē aliquid nobis subtrahimus ad honorem Dei: Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona exteriora, quæ sunt bona fortunæ. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam, sed ex bonis corporis per ieiunium: ex bonis autem animæ subtrahimus aliquid nobis inquantum ea totaliter Deo subijcimus; quod fit per orationem. Secundò competit iste numerus satisfactioni ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia tres radices peccatorum ponuntur 1. Io. 3. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscētiam oculorum eleemosyna, contra superbiam vitæ oratio. Tertiò conueniens est hic numerus, quantum ad hoc quod satisfactionis est, peccatorum suggestionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus; & contra hoc oratio ordinatur; vel in proximum, & contra hoc eleemosyna; vel in nos ipsos, & contra hoc ordinatur ieiunium. Pertinet autem ad ieiunium quælibet afflictio carnis, sicut ciborum abstinentia, corporis castigatio, peregrinatio, & huiusmodi, & similiter eleemosynæ rationem habet, quidquid in proximi vtilitatem expenditur, puta pecuniarum largitio, visitatio infirmorum, & alia opera misericordiæ corporalia. Et rationem orationis accipit quæcumque latria Deo exhibita, vt oratio vocalis, & mentalis, prædicatio, & alia opera spiritualia. *4. sent. dist. 15. q. 1. art. 4. q. 2. & ad 5. & q. 2. art. 2. ad 2. & dist. 17. q. 2. art. 4. q. 2. ad 3.*

2. *Quomodo eleemosyna est pars satisfactionis?*

Eleemosyna est pars satisfactionis, quia satisfactio fit per opera pœnalia: patitur autem aliquis non solùm ex afflictione corporis, sed etiam ex subtractione rerum. Vnde eleemosyna, ad quam quis aliàs tenetur, non est pars satisfactionis, sed præambulum ad ipsam, quia obligat ex præcepto naturali; & ideo non est opus pęnale, quod requiritur ad opus satisfactorium. Eleemosyna autem, ad quam quis aliàs non tenetur, est pars satisfactoria, quia est opus pęnale, & tenet Silu. verbo, *satisfactio. q. 8. 4. sent. vbi sup. q. 2. art. 1. q. 1. & q. 3. art. 1. q. 4. ad 2.*

3. *Quare eleemosyna est magis satisfactoria, quàm oratio, & ieiunium?*

Eleemosyna est magis satisfactoria, quàm oratio, & ieiunium, quia eleemosyna continet in se virtutem orationis, & ieiunij; Primò quidem, quia eleemosyna facit eum, cui datur, debitorem ad orandum, & ieiunandum. Secundò, quia eleemosyna propter Deum data, est quasi quædam oblatio Deo facta, quæ vim habet orationis. Et similiter per eleemosynam subtrahitur aliquid

nobis ex bonis exterioribus, quæ ad corporis conseruationem ordinantur, & sic virtute continet ieiunium, quo maceratur corpus. Vnde Luc. 2. dicitur: *date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. & 1. *Tim. 4. Pietas ad omnia valet*. Eadem ratione oratio est magis satisfactoria, quàm ieiunium, quia oratio virtute continet ieiunium, est enim affectus mentis in Deum directus, qui debilitatem corporis parit. 4. *sent. vbi sup. q.* 2. *art.* 2. *q.* 1.

4. *Quomodo oratio est pars satisfactionis?*

ORatio est pars satisfactionis, non solum inquantum satisfactio est recompensatio culpæ commissæ, quia homo pro superbia præcedentis offensæ, recompensationem facit, spiritum suum humiliter Deo subijciens in oratione; sed etiam inquantum est medicina præseruans à culpa futura, quia aditum futuræ culpæ aufert, radicem ei amputans, scilicet superbiam, quæ est initium, & radix omnis peccati. Oratio etiam tùm vocalis, tùm mentalis est opus satisfactorium, inquantum est opus pœnale; Vocalis quidem, quia habet exteriorem laborem, & sic pœnam quamdam: Mentalis autem, quia quamuis habeat delectationem spiritus, tamen habet afflictionem carnis: ipsa enim mentis eleuatio est carnis afflictio: afflictio autem carnis in mentem redundat, inquantum ei vnita est. 4. *sent. vbi supra, qu.* 4. *art.* 7. & *ad* 1.

5. *Quomodo ieiunium est pars satisfactionis?*

IEiunium est actus satisfactorius, quia & pro libidine peccati præteriti subtractionem delectationis recompensat, & futura peccata impedit concupiscentiam debilitans. Nec ammittit vim satisfactionis, si cadat sub præcepto Ecclesiæ, quia præceptum Ecclesiæ potest ad idem ordinari, ad quod ordinatur satisfactio. 4. *sent. vbi sup. qu.* 3. *art.* 1. *qu.* 4. & *ad* 2.

QVÆSTIO XXXVI.

De Suffragijs mortuorum.

1. *Quomodo suffragia mortuorum ponuntur sacrificium altaris, eleemosyna, oratio, & ieiunium?*

SVffragia mortuorum ponuntur sacrificium altaris, eleemosyna, oratio, & ieiunium. 13. *qu.* 2. *cap. animæ, & cap. tempus*, quia suffragia prosunt Defunctis, vel inquantum charitate vniuntur viuentibus, vel inquantum intentio viuentium refertur in mortuos. Sacrificium autem altaris maximè pertinet ad charitatis vnionem, cum sit sacramentum Ecclesiasticæ vnionis, continens Christum, in quo tota Ecclesia vnitur. Eleemosyna autem est præcipuus effectus charitatis: Oratio verò præcipuè valet ad directionem intentionis viuorum in mortuos: Ieiunium autem prodest defunctis ratione charitatis, & intentionis in defun-

defunctos directæ. 4. *sent. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. & *ad* 2.

2. *Quomodo suffragia per peccatores facta prosunt mortuis?*

SVffragia per peccatores facta prosunt mortuis ratione operis operati, sicut sacrificium altaris. Non prosunt autem mortuis ratione operis operantis, scilicet peccatoris, vt peccator est, sed vt est Minister Ecclesiæ, sicut Sacerdos, cum dicit in Ecclesia exequias mortuorum. Similiter prosunt mortuis, vt est Minister alterius particularis personæ charitatem habentis; sicut si aliquis in charitate decedens, præcipiat sibi suffragia fieri: magis tamen valeret, si ambo in charitate essent, quia tunc ex duobus opera illa procederent. 4. *sent. vbi sup. art.* 1. *q.* 2.

3. *Quomodo suffragia prosunt mortuis, pro quibus fiunt?*

SVffragia sunt satisfactoria solùm mortuis, pro quibus fiunt, qui sunt in Purgatorio, sed sunt meritoria non solùm illis, pro quibus fiunt, sed etiam alijs, non quantùm ad præmium essentiale, scilicet vitam æternam, quia sic quilibet ex proprijs actibus iudicatur; sed solùm quantùm ad præmium accidentale, scilicet gaudium; quia omnes existentes in Purgatorio, qui sunt in charitate, gaudent de bonis alterius, quantùm ad diminutionem pœnæ ex vnione charitatis, qua vnum corpus efficiuntur; sic enim bonum vnius redundat in alios, secundùm illud Psalm. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* 4. *sent. vbi sup. art.* 4. & *Quodl.* 2. *art.* 14. & *Quodl.* 8. *art.* 9.

4. *Quare suffragia non prosunt existentibus in inferno; sed existentibus in purgatorio?*

SVffragia non prosunt existentibus in inferno, tùm quia ipsi sunt extra vinculum charitatis, secundùm quam opera viuorum continuantur defunctis, tùm quia sunt extra viam merendi. Prosunt autem existentibus in Purgatorio, quia sunt in charitate. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. & *q.* 1.

5. *Quid si aliquis non indigeat suffragijs, quæ pro ipso fiunt?*

SI aliquis non indigeat suffragijs, quę pro ipso fiunt, credibile est, quod per diuinam misericordiam alijs dispensentur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant. 4. *senten. vbi sup. art.* 4. *q.* 2. *ad* 2.

6. *Quomodo suffragia, quæ moriens disponit sibi fieri, ei prosunt?*

SVffragia, quæ moriens disponit sibi fieri, non sunt ei satisfactoria antequam fiant, quia ei non adhibentur remedia, ex quibus iuuatur; sed sunt meritoria, maximè, si quantùm in ipso fuit, curam adhibuit, vt huiusmodi suffragia fierent, quia meritum principaliter ex intentione dependet. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. & *Quodl.* 6. *art.* 13. & 14.

8. Quomodo Missa, quæ dicitur de Sancto prodest defuncto?

MIssa æqualiter prodest defuncto de quocunque dicatur, ex parte sacrificij oblati; sed ex parte orationum, quæ ad hoc sunt determinatæ, magis prodest illa, quæ dicitur de defuncto. Iste tamen defectus suppleri potest per maiorem deuotionem, vel eius, qui dicit Missam, vel eius, qui facit dicere, vel per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur. *4. sent. vbi sup. art. 3. ad 5.*

8. Quando indulgentia prodest defuncto?

INdulgentia non prodest defuncto, cum aliquis pro eo facit illud, pro quo indulgentia datur, si sub hac forma detur: *Quicumque fecerit hoc, vel illud, tantùm de indulgentia consequetur*; quia non potest applicare ad alium intentionem Ecclesiæ, per quam dispensantur merita communia, ex quibus indulgentiæ valent: sed hæc pertinent ad eum, qui præest Ecclesiæ, scilicet Papam. Si autem indulgentiæ forma talis sit: *Quicumque fecerit hoc, vel illud, pater eius, vel alius ei coniunctus, in Purgatorio detentus, tantùm de Indulgentia habebit*; tunc indulgentia non solum viuo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio, quare Papa possit dispensare communia merita pro viuis, & non pro mortuis. *4. sent. vbi supra, art. 3. q. 2.*

9. Quomodo sepultura, & oblatio candelarum, & olei prosunt defunctis?

SEpultura prodest defunctis, quia inspicientes sepulturam, memoriam retinent defunctorum, & pro eis orant. *13. q. 2. cum grauia.* Sepultura etiam in loco sacro prodest mortuis, quia per hoc defunctus committitur tùm patrocinio alicuius Sancti, cuius precibus credendus est adiuuari; tùm etiam patrocinio eorum, qui loco sacro deseruiunt, qui pro eis apud se sepultis frequentiùs, & specialiùs orant. Quæ autem fiunt ad ornatum sepulturæ, prosunt defunctis, inquantum excitant viuos, vt orent pro eis, vel inquantum ex sumptibus sepulturæ pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Similiter oleum, & candelæ ad sepulchra defunctorum perlatæ prosunt defunctis, vel inquantum sunt eleemosyna quædam; dantur enim ad cultum Ecclesiæ, vel in vsum Fidelium, vel inquantum in reuerentiam Dei fiunt. *4. sent. vbi sup. art. 3. ad 6. & q. 2. ad 1.*

QVÆSTIO XXXVII.

De Potestate clauium.

Quot sunt claues in Ecclesia?

DVæ sunt claues in Ecclesia, quæ sunt potestates iudiciariæ remittendi, & retinendi peccata, & pertinent ad potestatem iurisdictionis. Vna quidem est potestas, siue auctoritatis

auctoritas cognoscendi causam, hoc est discernendi inter dignos, & indignos absolutione, quæ dicitur clauis scientiæ. Alia verò est potestas, siue auctoritas ferendi sententiam, hoc est ligandi, & soluendi. Dicitur autem potestas ligandi dupliciter, vel ad pœnam in communi, & sic ligare est non soluere, sed ligatum ostendere: Vel ad hanc, vel illam pœnam determinatè; & sic ligare est satisfactionem imponere. *3. sent. dist. 18. q. 1. art. 1. q. 2. & art. 3. quæst. 2. & 4. cont. gent. cap. 72.*

QVÆSTIO XXXVIII.

De Indulgentijs, quæ pertinent ad potestatem soluendi in foro exteriori.

1. *Ad quid valent indulgentiæ?*

INdulgentiæ valent ad remissionem residuæ pœnæ temporalis post contritionem, confessionem, & absolutionem, siue ipsa pęna sit iniuncta, siue non, & tenet Sot. *4. sent. dist. 22. q. 2. art. 1.* & Nauarr. in Comment. de Iubileo, *notab. 2.* nisi dentur expresse de iniunctis, quidquid Caiet. dicat tomo 1. *opusc. tract. 15. cap. 2* quod indulgentia est absolutio à pœnitentia iniuncta. Hæc autem remissio fit virtute meritorum Christi, quæ sunt infinitæ efficaciæ, & etiam Sanctorum, quæ sunt opera satisfactoria, quæ fecerunt, & quæ superabudant; quia Sancti satisfecerunt vltra mensuram debitorum suorum, *vt definitum est in Clement: vnigenitus.* Vnde si indulgentiæ indistinctè dentur, ille, qui est vicinus Ecclesiæ, tantam indulgentiam consequitur, sicut illi, qui venerunt à mille dietis, quia remissio non proportionatur labori, sed abundantiæ meritorum Ecclesiæ, quæ dispensantur, quamuis ille, qui plus laborat, plus de merito acquirat. Non obstat, quod opera Sanctorum sunt plenissimè remunerata, secundum Caietan. *vbi supra, tract. 8. q. 3.* quia hoc verum est, inquantum sunt meritoria gratię, & gloriæ: non autem inquantum sunt satisfactoria: sic enim superabundant. Sunt autem satisfactoria, non pro isto determinatè, sed pro tota Ecclesia generaliter, quia Sancti non fecerunt ea pro isto, alioquin absque omni indulgentia remissionem consequeretur, sicut cum vnus pro alio satisfacit, sed fecerunt communiter pro tota Ecclesia, vt dicit Apost. *2. Cor. 1.* se implere ea, quæ desunt Passioni Christi in corpore suo pro Ecclesia; & ideo applicantur ad istum secundum arbitrium eius, qui Ecclesiæ præest, scilicet Papæ, & secundum quod applicantur ad istum, remissionem consequitur. Consulendum tamen est ijs, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pęnitentiæ iniunctis abstineant; quia ex his consequuntur remedium pręseruans à culpa futura, quamuis per indulgentiam à debito pœnæ essent immunes: Indulgentia enim supplet locum satisfactionis, inquantū est opus pęnale, quia pęna, quam alius sustinuit, imputatur illi, ac si ipse sustinuisset: Sed non succedit in locum satisfactionis, vt est medicina

præseruans à peccatis futuris, quia remanent pronitates ad peccandum derelictæ ex priori peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis. Sunt etiam præcipuè admonendi illi, ne prætermittant opera pœnitentiæ iniuncta, quia talia opera sunt magis meritoria respectu præmij essentialis, scilicet vitæ æternæ, quod in infinitum melius est, quàm remissio pœnæ temporalis. 4. *sent. dist.* 20. *art.* 3. *& ad* 4. *& q.* 1. *& ad* 1. *&* 2. *& Q odl.* 2. *art.* 16. *ad* 3.

Est autem aduertendum, quod duplex est indulgentia, quadam est plenaria, qua remittit totaliter pœnam debitam peccatis mortalibus, & venialibus remissis, & hac non distinguitur ab ea, qua conceditur in Iubileo, nisi quia in Iubileo conceditur facultas absoluendi à casibus reseruatis, & commutandi multa vota. Alia verò indulgentia est limitata, qua remittit tertiam, vel quartam partem pœna debita peccatis, vel cum conceditur indulgentia tot dierum, mensium, quarantenarum, & annorum, & tunc remittitur pœna illa, qua remitteretur, si homo illo tempore pœniteret in hac vita, secundùm canones, & secundùm Dei iustitiam, pœnitentia taxata. Per quarantenas autem intelliguntur aliquot dies, quibus homo arctiùs secundùm canones pœnitentiam agebat; imponebatur enim Sacerdoti fornicario pœnitentia decem annorum, sed in tribus mensibus primis arctior erat pœnitentia, vt remotus à quacumque conuersatione, pane tantùm vesceretur, & aquam biberet, & in diebus festiuis vino, & pisciculis, & leguminibus recrearetur, sacco indutus humi adhæreret, vt habetur dist. 82. *cap. præsbyter. Similes pœna imponebantur* [illegible] *peccatis.*

2. *Quomodo indulgentia valent?*

INdulgentiæ tantùm valent, quantùm pronunciantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte verò causæ sit pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi vtilitatem: & sufficiens ratio indulgentias faciendi, quia per eam saluatur intentio eorum, qui opera satisfactoria fecerunt; fecerunt enim ea ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ in generali. 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 1. *& Quodl.* 2. *art.* 16.

3. *Quare indulgentiæ non valent existentibus in peccato mortali?*

INdulgentiæ non valent existentibus in peccato mortali, quia illæ dispensantur ad remissionem pœnæ temporalis: nulli autem potest remitti pœna, nisi cui iàm remissa est culpa: & ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de verè contritis, & confessis. 4. *sent. vbi sup. art.* 5.

4. *Quomodo pro temporalibus potest indulgentia fieri?*

PRo temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, quia sic esset simonia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant, constructio Ecclesiarum, & pontium, & alia subsidia temporalia, & sic non est simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.

Po-

Potest etiam pro purè spiritualî fieri indulgentia, & fit quandoque, sicut quicumq; orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia à Papa Innocentio IV. 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 2.

5. Quomodo dans eleemosynam indulgentiam consequitur?

QVando datur indulgentia, quod qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remissionis peccatorum consequatur, intelligitur quod tale auxilium sit conueniens ei, qui auxilium dat, & secundùm hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur. Vnde aliquis pauper dans vnum denarium consequitur totam indulgentiam, non autem diues, qui non daret auxilium sibi conueniens ad opus tàm pium, & fructuosum; sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret. Si autem pauper non potest facere eleemosynam, pro qua indulgentia datur, quamuis libéter faceret, indulgentiã non consequitur, sed præmium essentiale, scilicet vitæ æternæ. 4. sent. vbi sup. art. 3. q. 1. ad 3. & art. 5. q. 2. & ad 1.

6. Quando aliquis consequitur indulgentiam, quoties vadit ad Ecclesiam, in qua est indulgentia?

SI indulgentia ad determinatum tempus datur, vt cum dicitur: Quicumque vadit ad talem Ecclesiam vsque ad tale tempus, habeat tantùm de indulgentia, non consequitur indulgentiam quoties vadit infra tempus indulgentiæ, sed semel tantùm. Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in Ecclesia B. Petri quadraginta dierum, tunc aliquis quoties vadit, toties indulgentiam consequitur. 4. sent. vbi sup. art. 3. quæst. 1. ad 4.

7. Quare solus Papa potest indulgentias facere?

SOlus Papa potest indulgentias facere, quia Sancti fecerunt opera satisfactoria generaliter pro tota Ecclesia. Et ideo Papa, qui Ecclesiæ præest generaliter, potest opera illa communicare applicando ad hunc, vel illum: & sic ipse solus potest indulgentias facere; Et quia habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in regno, potest indulgentias facere secundùm quòd vult; causa tamen extante legitima: Si autem inordinatè per indulgentias pœnas remittit, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentię retrahantur, peccat quidem, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur, & patet per id, quod dicitur cap. cũ ex eo, de pœnit. & remiss. & tradit Conc. Trid. sess. 25. de indulg. quod per indiscretas, & superfluas indulgentias, claues Ecclesiæ contemnuntur, & pęnitentialis satisfactio eneruatur, quibus verbis significatur, peccare tantùm qui tales indulgentias concedit. Episcopi autem, quia assumuntur in partem solicitudinis, quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi, possunt ex pro-

prio officio indulgentias facere secundùm determinationem Papæ, & non amplius, scilicet vnius anni in dedicatione Ecclesiæ, & quadraginta dierum in alijs quibuscumque casibus: & si hunc numerum excedunt, sunt ipso iure nullæ in eo, quod excedunt; valent tamen vsque ad numerum taxatum. Ita statutum est d. *cap. cum ex eo, & cap. indulgentiæ. eod. t.t. l b.6. & ibi gloss.* Alij autem non Sacerdotes possunt indulgẽtias facere, si habent iurisdictionem in foro exteriori, vel commissam, sicut Legati, vel ordinariam, sicut electi. 4. *sent. vbi sup. art. 3. q. 1. ad 1. & art. 4. & q. 1. & 2.*

8. *Quare ille, qui est in peccato mortali, potest indulgentias facere?*

QVi est in peccato mortali potest indulgentias facere, quia indulgentiæ pertinent ad iurisdictionem: homo autem per peccatum mortale non amittit iurisdictionem: & ideo indulgentiæ æquè valent, si fiant à peccatore, sicut si fierent à viro sanctissimo, quia non remittunt pœnam ex vi suorum meritorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ. 4. *sent. vbi supra art. 4. q. 3.*

9. *Cur Prælatus non potest sibi indulgentias facere?*

PRælatus non potest sibi indulgentias facere, quia indulgentia debet ex aliqua causa dari, quæ prouocet ad actum, qui in honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ vergat, Prælatus autem cui cura commissa est propagandi diuinum honorem, & vtilitatem Ecclesiæ procurandi, non habet causam, qua seipsum ad hoc producet: & ideo non potest facere indulgentiam sibi tantùm, sed potest vti indulgentia, quam pro alijs facit, quia alijs subest causa faciendi. 4. *sent. vbi sup. art. 5. q. 3.*

QVÆSTIO XXXIX.

De Excommunicatione, quę ad potestatem ligandi in foro exteriori pertinet.

1. *Quomodo excommunicatio diuiditur in maiorem, & minorem?*

POtest aliquis ab Ecclesia separari per excommunicationem dupliciter. Vno modo, inquantum separatur à communione Fidelium, & à sacramentorum participatione tàm actiua, quàm passiua, ita vt nec sacramenta ministrare, nec ea suscipere absque peccato mortali, & irregularitate possit, & hæc dicitur excommunicatio maior: Alio modo, inquantum separatur solùm à passiua sacramentorum participatione, & sic mortaliter peccat suscipiens sacramentum, non tamen fit irregularis, *cap. si celebrat. de cler. excom. ministr.* & hęc est excommunicatio minor. Communicatio autem Fideliũ est duplex; quædam in spiritualibus, sicut mutuæ orationes, & conuentus ad diuina percipienda; quædam in corporalibus legitimis. Hæc autem hoc versu continentur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Os,

os, scilicet loquutio, siue per verba, siue per litteras. *Orare* ne aliquis cum excommunicatis oret cōmuni, scilicet oratione, interessendo Missæ, diuino officio, vel processioni. *Vale*, ne salutentur. *Communio*, ne cum ipsis in sacramētis aliquis communicet. *Mensa negatur*, ne cum eis comedat. 4. *sent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1.

2. *Quomodo potest aliquis pro excommunicatis orare?*

NOn potest aliquis in persona Ecclesiæ pro excommunicatis orare, quia sunt separati à communione Fidelium, pro quibus suffragia facit. Sed vt priuata persona potest pro eis orare, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione soluantur. Fructum tamen non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent. 4. *sent. vbi sup. art.* 1. *ad* 1. & 2.

3. *Quando excommunicatio est infligenda?*

NOn potest aliquis excommunicari, nisi pro peccato mortali, & nisi contumax fuerit post monitionem factam, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicij sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo; tunc enim si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet à iudice, iàm non habente quid contra ipsum amplius faciat, quia excommunicatio est grauissima pœnarum. 4. *sent. vbi supra art.* 1. *q.* 2. & *declarat Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 3. *de refor.*

4. *Quando excommunicatio iniusta est valida?*

SI excommunicatio est iniusta ex parte excommunicantis, tunc vel est iniusta, quia ex odio, vel ira excommunicat, & sic excommunicatio habet effectum suum, quamuis ille, qui excommunicat, peccet; vel est iniusta, quia excommunicans est publicè suspensus, vel excommunicatus; vel excommunicauit eos, qui suæ iurisdictionis non sunt, vel aliquo priuilegio sunt exempti: & sic excommunicatio est nulla, *cap. audiuimus.* 24. 1. & *cap. quanto de priuileg.* & *cap. à nobis, de sent. excom.* Si autem excommunicatio est iniusta ex parte excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur excommunicationis sententia iuris ordine prætermisso: tunc, si talis iniustitia facit sententiam nullam, excommunicatio non est valida, sicut si excommunicatio non fit propter peccatum mortale, sed de re bona, vel de re mala, sed leui, *cap. venerabilibus. de sent. excommunicationis in* 6. §. potest, vel si fit excommunicatio ab homine, & non præcedit monitio: Si autem sententiam non annullet excommunicatio, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel debet absolutionē petere ab excommunicante, vel ad Superiorem recurrere. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 3.

5. Qui

5. *Qui possunt excommunicare?*

SOli Episcopi, & maiores Prælati possunt propria auctoritate excommunicare, quia excommunicatio est actus iurisdictionis in foro exteriori. Soli autem Episcopi, & maiores Prælati habent talem iurisdictionem ex officio. Præsbyteri vero parochiales non possunt excommunicare, nisi ex commissione eis facta. Non sacerdotes etiam, dummodo Ecclesiasticam iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. & *q.* 1.

6. *Cur non potest aliquis seipsum, vel superiorem, vel æqualem excommunicare?*

NVllus potest seipsum, vel superiorem, vel æqualem excommunicare, quia excommunicatio est actus iurisdictionis: nullus autem iurisdictionem habet in seipsum, vel in superiorem, vel æqualem, quia per iurisdictionem aliquis constituitur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem. 4. *sent. vbi sup. ar.* 3.

7. *Quare excommunicatus, vel suspensus non potest excommunicare?*

EXcommunicatus non potest excommunicare, quia quamuis iurisdictionem non amittat, tamen vsu iurisdictionis priuatur. Et eadem ratio est de suspenso à iurisdictione; non autem si sit suspensus ab Ordine tantùm, quia tunc non potest ea, quæ sunt Ordinis. 4. *sent. vbi supra art.* 2. *q.* 2.

8. *Quare communitas non potest excommunicari?*

COmmunitas non potest excommunicari, quia non debet aliquis excommunicari, nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit, qui non est communitatis, sed singularium. Et licet interdum actus sit totius multitudinis, non tamen probabile est, quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 2.

9. *Quare excommunicatus traditur Satanæ?*

EXcommunicatus traditur Satanæ vt patet 1. Cor. 5. quia separatur ab Ecclesia. Extra Ecclesiam autem diabolus est, sicut Christus in Ecclesia. *ita habetur* 11. *q.* 3. *omnis.* Vnde in primitiua Ecclesia, quando oportebat per signa homines inuitare, sicut Spiritus Sancti donum visibili signo manifestabatur, ita excommunicatio corporali vexatione à diabolo innotescebat. Nec est inconueniens, si ille, qui non est desperatus, hosti tradatur, quia non traditur ei quasi damnandus, sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit ex eius manu ipsum eripere, cum voluerit. 4. *sent. vbi supra, art.* 1. *q.* 2. *ad* 3.

10. Quo-

10. *Quomodo communicans excommunicato excommunicationem incurrit?*

COmmunicans excommunicato maiori excommunicatione in spiritualibus, vel corporalibus actibus, vt dictum est, incurrit minorem excommunicationem, nisi communicet in crimine, præbendo ei consilium, & auxilium, & fauorem. *cap. nuper. & cap. concubinæ. de sent. excom.* quando scilicet communicans scit, quod excommunicatus est ob tale crimen, vel scienter communicet cum excommunicato à Papa in diuinis. *cap. significauit eod. tit.* vel sententia extendatur ad participantes, in quibus casibus incurrit maiorem excommunicationem: & intelligendum est de excommunicato denuntiato nominatim; vel si manus iniicitur in clericum adeo notoriè, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, iuxta decretum. *Conc. Constant.* relatum à *S. Antonino. 3. par. tit. 25. cap. 2.* Excipiuntur tamen quinque casus in quibus licitum est communicare excommunicato, qui hoc versu continentur. *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. Vtile* refertur ad verba salutis; quia de his quæ pertinent ad salutem, licitè aliquis cum excommunicato loqui potest, & etiam alia verba interferere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. *de sen. excom. cum ex voluntate. Lex* refertur ad matrimonium: & sic vxor licitè potest communicare viro excommunicato: non tamen in diuinis. *Humile* ad subiectionem, cuiusmodi sunt filius, seruus, rusticus, & seruiens, qui possunt communicare superioribus excommunicatis in iis, in quibus eis subduntur; quod intelligitur de illis, qui ante excommunicationem se eis subdiderunt. *ex sp. inter alia. eod. tit.* & è conuerso superiores licitè possunt subditis excommunicatis communicare in his, in quibus eis sunt obligati. *Res ignorata*, quando excommunicatio ignoratur: *Necesse*, si aliquis videat excommunicatum in necessitate, quia tunc tenetur ei subuenire. *4. sent. vbi sup. art. 4. & q. 1. & 2.*

11. *Quando communicans excommunicato peccat mortaliter?*

COmmunicans excommunicato directè in his, quæ sunt fidelium, puta in diuinis, peccat mortaliter, sicut si aliquis oret communi oratione, non autem priuata, cum excommunicato. Indirectè verò communicans excommunicato in his, quæ sunt hominis, sicut in verbo, in cibo, & aliis, quæ sunt simpliciter humanæ conuersationis, non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi hoc faciat ex contemptu Ecclesiæ. *cap si celebrat. de cler. excom.* quia per excommunicationem aliquis separatur à communione Fidelium, non autem hominum. *4. sent. vbi sup. art. 1. & ad 1. & art. 4. q. 2. & Quodl. 11. art. 9.*

12. *Quis potest ab excommunicatione absoluere?*

QVilibet sacerdos potest absoluere à minori excommunicatione,

ne, qui potest absoluere à peccato participationis, quod vt dictum est, non solum est peccatum veniale, sed etiam mortale. Hic autem est proprius sacerdos, habens potestatem iurisdictionis, & patet *cap. nuper, de sent. excomm.* A maiori autem excommunicatione, si sit lata à iudice, non potest absoluere nisi ille, qui tulit, vel eius superior, vel successor. 11. *quæst.* 3. *si Episcopus*. Si verò sit lata à iure, potest absoluere Episcopus, vel etiam sacerdos habens auctoritatem, nisi absolutio sit reseruata Papæ. *Ex concessione tamen Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. Episc. & eorũ Vicarij ad id specialiter deputati, possunt in foro conscientiæ absoluere ab omni excommunicatione, & alijs censuris Papæ reseruatis, etiam post Concilium, quando crimen est occultum, dummodo non sint reseruata in bulla Cœnæ, per quam facultas reuocatur etiam per Conc. generale concessa; & in ipsa reseruatione non sit apposita clausula: non obstantibus quibuscumque, vt decidit Rota.* Absolutio autem ab excommunicatione tum maiori, tum minori, præcedere debet absolutionem à peccatis, quia excommunicatus non est capax sacramentorum. 4. *sent. vbi sup. art.* 5. *& ad* 2.

13. *In quibus casibus percutiens clericum excommunicationem non incurrit, vel absolutio non est reseruata Papæ?*

Septem sunt casus, in quibus percutiens clericum excommunicationem non incurrit. Primus, si causa disciplinæ, vel correctionis superior, vel magister, vel Prælatus leuiter percusserit. *cap. cum voluntate*. §. *si quis uero de sent. excom.* Secundus, si iocosa leuitate. *cap. super eo*. Tertius, si inuenerit eum turpiter agentem cum vxore, vel matre, vel sorore, vel filia *cap. si verò*. 1. Quartus si vim vi repellat. *d. cap. si verò*. Quintus, si ignoret eum esse clericum, *cap. si verò* 2. Sextus, si inueniat eum in apostasia post trinam monitionem. *cap. contingit*. Septimus, si transfert se clericus ad actum penitus contrarium, vt fiat miles, à suo Prelato tertiò commonitus. *cap. in audientia*. Sunt autem nouem casus, in quibus absolutio à tali excommunicatione non est reseruata Papæ. Primus est, si sit leuis, vel mediocris percussio. *cap. peruenit. eodem titulo*. Non autem si sit enormis, vt pote si ad mutilationem membri, vel sanguinis effusionem processum est; tunc enim absolutio est reseruata Papę. *cap. cum illorum*. Per mutilationem membri secundùm *Silu. verbo absolutio*. 4. *q.* 2. non solum intelligitur membri truncatio, sed etiam vulnus, ex quo remanet inhabilitatio membri. Verùm effusionis copiam, & abundantiam significat 61. *q.* 1. *reuertimini*. *& glos. d. cap. cum illorum*; non tamen è naribus, vnde facilè sanguis egreditur, sed aliundè, *vt Sylu. notat loco citato*, Secundus est, si percutiens sit impuber. *cap. super eo*. Tertius, si sit mulier *cap. mulieres*. Quartus si sit senex. *cap. ea noscitur*. Quintus, si sit ostiarius alicuius potentis, & non ex odio, vel proposito percussit. *cap. si vero* Sextus si

sit seruus, & dominus sine sua culpa graue damnum propter hoc incurrat. *cap. relatum*. Septimus, si regularis percussit regularem, nisi in Abbatem, & similiter in Episcopum, aut clericum sæcularem manus iniecerit; tunc enim non potest absolui nisi à Papa, vt scandalum euitetur. *d. cap. cum illorum*. Octauus, si sit in articulo mortis, vel valetudinarius. *d. cap. ea noscitur. & cap. quod de his*. Nonus, si habet inimicitias capitales. *& cap. de cetero*. In his tamen absoluendus est ab Episcopo, præstita iuratoria cautione, quod cessante impedimento se præsentabit Apostolicæ Sedi, non vt iterum ab excommunicatione absoluatur, sed vt illius mandato pareat, prout iustitia suadebit. Quod si parere noluerit, ne censuræ illudat Ecclesiasticæ, ipso iure in eamdem recidit excommunicationis sententiam. *cap. eos, qui, eod. tit. lib. 6. 4. sent. vbi sup. art. 5. & dist. 20. art. 1. q. 1. ad 2.*

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

QVÆSTIO XL.

De Ipsa Extrema vnctione.

1. Quomodo Extrema vnctio est sacramentum?

Extrema vnctio est sacramentum, quia effectus intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati, secundùm illud Isa. 28. *Hic est omnis fructus, vt auferatur peccatum*. Ad hunc autē effectum pertingit Extrema vnctio, *vt patet ex verbis Iacobi 5. 4. sent. dist. 23. quæst. 1. art. 1.*

2. Quare hoc sacramentum fuit à Christo institutum?

Hoc sacramentum fuit à Christo institutum, quia sacramenta ex institutione efficaciam habent, quæ eis diuinitus inest. Fuit autem apud *Marcum 6.* insinuatum, vbi dicitur, quod Apost. *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*. Per Iacobum autem fuit promulgatum: *Infirmatur* (inquit) *quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini 4. sent. vbi supra, art. 1. q. 2. & ad 1. & 2. & tradit. Conc. Trid. sess. 14. c. 1. & can. 1. de sacr. Extr. vnct.*

3. Quæ est conueniens materia huius Sacramenti?

Oleum oliuæ ab Episcopo benedictum, est conueniens materia huius sacramenti, vt patet Iacobi 5. vbi materia huius sacramenti determinatur oleum, quod propriè dicitur oliuæ liquor, quia alij liquores ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiunt; & ratio est, quia hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio, quæ significatur per olei inunctionem, secundùm illud Isai. 1. *Plaga tumens non est curata medicamine, neque fota oleo*. Requiritur etiam, quod oleum oliuæ sit ab Episcopo benedictum, quia non fuit

à Chri-

à Christo benedictum, qui non est vsus corporali vnctione in sacramento constituendo. 3. par. q. 72. art. 3. & 4. sent. vbi sup. art. 3. & qu. 1. & tradit Conc. Trid. sess. 14. cap. 1.

4. Quae est conueniens forma huius sacramenti?

Conueniens forma huius sacramenti est oratio deprecatiua: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, parcat tibi Deus, quicquid deliquisti*, &c. *vt patet per verba Iacobi*, & ex vsu Romanae Ecclesiae, quae solùm verbis deprecatiuis vtitur in collatione huius sacramenti, *& statuit Conc. Trid. sess 14. cap.* 1. & ratio est. Primò quidem, quia suscipiens hoc sacramentum est viribus proprijs destitutus, vnde indiget orationibus subleuari. Secundò, quia hoc sacramentum datur exeuntibus, qui desinunt esse sub foro Ecclesiae, & in solius Dei manu requiescunt, & ideo ei per orationem committuntur. Tertiò quia sanatio corporalis, quae est effectus huius sacramenti, significans spiritualem sanationem, non statim sequitur ex vnctione, sicut in alijs sacramentis ex corporali operatione Ministri statim sequitur effectus sacramenti; ex corporali enim ablutione in baptismo statim sequitur spiritualis ablutio, quam significat, & sic de alijs: & ideo corporalis sanatio sub oratione deprecatiua à Deo poscitur. 4. *sent. vbi sup. art.* 4. *qu.* 1. & *opusc.* 22. *cap.* 1.

5. Quomodo per hoc sacramentum confertur gratia?

PEr hoc sacramentum confertur gratia, quia per hoc sacramentum dimittuntur peccata, secundùm illud Iacobi: *Si in peccatis sit, dimittentur ei*: Peccatum autem non dimittitur nisi per gratiam. Confertur autem gratia in vltima vnctione. 4. *sent. vbi sup. q.* 1. *art.* 2 *ad* 2. & *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. & *ad* 1. & 4. *cont. gent. cap.* 73.

6. Quomodo hoc sacramentum remittit reliquias peccatorum?

HOc sacramentum remouet principaliter reliquias peccatorum actualium, quae non dicuntur habitus, vel dispositiones ad peccandum ex praecedentibus peccatis relictae, sed sunt quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, quae propriè dicitur pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Haec autem remouetur per hoc sacramentum, inquantum mens roboratur, vt non possit ita ad malum inclinari, & à bono retardari; & ratio est, quia hoc sacramentum est quaedam spiritualis sanatio, siue curatio, sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, & poenitentia est quaedam spiritualis suscitatio, & ideo non datur contra defectus, quibus tollitur spiritualis vita, scilicet contra peccatum mortale, & originale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem ad actus vi-

tae

æ gratiæ, vel gloriæ. Secundariò autem hoc sacramentum remittit peccatum mortale, & veniale quantùm ad culpam, si ipsum inuenit, nisi ponatur obex ex parte recipientis, quia hoc sacramentum dat robur spirituale, quod causatur ex gratia, quæ peccatum non compatitur. *Et ideo Iacobus* de remissione peccatorũ conditionaliter loquitur: *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, quoad culpã; non enim semper remittit peccatum, quia non semper inuenit, sed semper remittit quoad debilitatem prædictam. *4. sent. vbi sup. art. 2. & ad 2. & q. 3. ad 1. & 4. cont. gent. cap. 73. & docet Conc. Trid. sess. 14. cap. 2.*

Vnde non potest stare opinio Nauarr. cap. 22. num. 13. principalem effectum huius sacramenti esse remissionem venialium peccatorum, quæ etiam reprobatur ab Auctore.

7. Quando hoc sacramentum efficit sanitatem corporalem?

HOc sacramentum non semper facit corporalem sanationem, sed quando est expediẽns ad spiritualem, nisi sit impedimentum ex parte recipientis, quia facit corporalem sanationem ex virtute diuina, quæ non inducit secundarium effectum, nisi secundùm quod expedit ad principalem. Alleuiat tamen animam infirmi, vt dicit Iacobus, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus subleuatus, morbi incommoda leuius tolerat. *4. sent. vbi sup. art. 2. q. 1. & 4. cont. gent. cap. 73. & declarat Conc. Trid. sess. 14. cap. 2.*

QVÆSTIO XLI.

De Administratione huius sacramenti.

1. Quare solus Sacerdos est Minister huius Sacramenti?

LAicus, vel Diaconus non potest hoc sacramentum conferre, quia laico nullum sacramentum ex officio administrare competit, sed solùm in casu necessitatis diuina dispensatione baptizare potest, ne vlli regenerationis spiritualis facultas desit. Neque Diacono id competit ex officio; quia Diaconus habet vim purgandi, quod fit per exorcismos, & catechismos, non autem illuminandi, quod fit per infusionem gratiæ; & ideo nullum sacramentum, in quo gratia confertur, potest ex officio administrare. Solus autem Sacerdos potest ex officio hoc sacramẽtum conferre, vt dicitur *Iacob. 5.* quia ordo sacerdotum est illuminatiuus, & quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit ei, quod multi sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ ad effectũ huius sacramenti coadiuuet. *Vnde dicit Iacobus: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum. 4. sent. dist. 23. qu. 2. art. 1. & q. 1. & ad 1. & qu. 2. & 4. cont. gent. cap. 73.*

2. Quare hoc sacramentum non debet sanis conferri?

HOc sacramentum non debet dari sanis, quia exhibetur sub spe-

specie corporalis medicinæ, quæ non competit nisi corporaliter infirmatis. *4. sent. vbi sup. art. 2.*

3. Quibus infirmis debet conferri hoc sacramentum?

DEbet hoc sacramentum conferri infirmis, qui secundùm humanam æstimationem sunt in periculo mortis, *& declarat Conc. Trid. sess. 14. cap. 3.* quia hoc sacramentum est vltimum, & quodammodo confirmatiuum totius spiritualis curationis, quasi disponens ad gloriam, vnde & extrema vnctio nuncupatur. Non debet tamen dari his, qui damnantur ad mortem, quia non est exhibendū, nisi corporaliter infirmatis. *4. sent. vbi sup. q. 1. & art. 4. ad 2. & 4. con. gent. cap. 73.*

4. In quibus partibus corporis debet fieri vnctio huius sacramenti?

EXtrema vnctio debet fieri in illis partibus, in quibus est radix spiritualis infirmitatis, scilicet peccati. Radix autem peccati est triplex. Prima quidem est vis cognoscitiua, quę est dirigens, & ideo vnguntur partes quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, & manus propter tactum. Alia radix peccati est vis appetitiua, quæ est imperans, & propter hanc vnguntur à quibusdam renes. Tertia est vis motiua, quæ est exequens, & ideo vnguntur pedes, qui sunt principaliùs eius instrumentum. Mutilati autem inungi debent quantò propinquiùs esse potest ad partes illas, in quibus vnctio fieri debuerat, quia quamuis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, & sic saltem interiùs peccare possunt per ea, quę ad partes illas pertinent. Si autem Sacerdos ante finem vnctionis deficiat, non debet alius Sacerdos à capite incipere, sed potest vlteriùs procedere. Nec ministrorum pluralitas tollit vnitatem sacramenti, quia instrumentaliter tantùm operantur: mutatio enim malleorum non tollit vnitatem operationis fabri, si tamen vnusquisque essentialiter requisita adhibeat, materiam, scilicet, & formam cum intentione. *4. sent. vbi sup. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. & qu. 2. art. 3. qu. 1. & 2. & 4. cont. gent. cap. 73.*

5. Cur hoc sacramentum potest iterari?

HOc sacramentum potest iterari, quia huius sacramenti inunctio ordinatur ad sanandum: medicina autem sanatiua toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Hoc autem contingit, vel quando est alia infirmitas, sicut cum homo peruenit ad huiusmodi statum, quod secundùm humanam æstimationem est in periculo mortis, & postea infirmitate curata ad similem statum per aliam infirmitatem perducitur; vel quando est alius infirmitatis status, sicut cum aliquis per diuturnam infirmitatem, vt ethicam, & hydropisim perducitur ad periculum mortis, & postea illud periculum euadit, eadem infirmitate durante, & iterum ad

ad similem statum per illam infirmitatem deuenit: nàm hoc sacramentum non solùm respicit infirmitatē, sed etiam infirmitatis statum. *4. sent. vbi sup. art. 4. & q. vnica, & 4. con. gent. cap. 73. & docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 3.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

QVÆSTIO XLII.

De Ordine in communi.

1. *Quomodo Ordo est sacramentum?*

ORdo est sacramentum, quia sacramentum est signum sensibile sanctificationis homini exhibitę. In susceptione autem Ordinis confertur homini spiritualis potestas ad sacramentorum dispensationem per visibilia signa, & nisi obex ponatur, confertur gratia ad dignè dispensandum. Vnde differt ab ordine, qui est in Angelis, qui non est sacramentum, quia communicatio diuinorum, ad quam datur spiritualis potest, non fit Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit. Et propter hoc definitur Ordo signaculum quoddam Ecclesiæ, hoc est, exteriùs signum, quo spiritualis potestas traditur ordinato. *4. sent. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 1. & 2. & ad 2.*

2. *Quomodo hoc sacramentum fuit à Christo institutum?*

SAcerdotalis Ordo fuit à Christo institutus ante Passionem in cęna, quando Apostolis dedit potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem suum, dum dixit eis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ordo autem Diaconatus habetur ex traditione Apostolorum, qui à Domino acceperunt; de hoc enim fit mentio *1. Tim. 3. & Phil. 1.* Sub Ordine verò Diaconatus omnes inferiores Ordines continebantur: nàm in primitiua Ecclesia propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, vt patet ex Dion. *cap. 3. Eccl. Hierar.* Et ideo omnes Ordines implicitè cōtinebantur in vna Diaconi potestate, sed postea ampliatus est diuinus cultus, & Ecclesia quod implicitè habebat in vno Ordine, explicitè tradidit in diuersis, *& docet Concil. Trid. sess. 23. cap. 1 & 2. 4 sent. vbi sup. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. & art. 3. ad 2.*

3. *Quæ est conueniens forma huius sacramenti?*

FOrma conueniens huius sacramenti est talis: *Accipe potestatem faciendi hoc, vel illud*, quia hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita: traditio autem potestatis exprimitur per imperatiuum modum: vsus verò potestatis per actum imperatum. *4. sent. vbi sup. q. 1. art. 1. q. & opusc. 22. cap. 1.*

4. *Quæ est conueniens materia huius sacramenti?*

COnueniens materia huius sacramenti est res illa extrinseca, per cuius traditionem traditur in hoc sacramento spiritualis potestas, quia

spiritualis potestas in hoc sacramento non procedit ex aliqua operatione eius, qui suscipit sacramentum, sicut in pœnitentia, sed omnino ab extrinseco deriuatur, scilicet à Ministro similem potestatem habente, sicut potestas imperfecta à perfecta. *4. sent. vbi sup. q. 4. & opusc. 5.*

5 Quare non solùm porrectio materiæ, sed etiam tactus est de essentia huius sacramenti?

Porrectio materiæ est de essentia huius sacramenti, quia materia huius sacramenti adhibetur tantùm ad determinandum potestatem, quæ particulariter traditur à Ministro eam completè habente. Illa autem determinatio significatur per porrectionem materiæ. Contactus etiam materiæ est de essentia huius sacramenti, *de sacr. non reit. cap. presbyter,* quia importatur per ipsam porrectionem, & expressionem verborum cum dicitur: *Accipe hoc, vel illud. 4. sent. vbi sup. q. 4. ad 3. & ead. dist. ad Hann. art. 1.*

6. Quare in quolibet Ordine confertur gratia?

IN quolibet Ordine confertur gratia, quia in quolibet Ordine cōfertur potestas spiritualis ad sacramentorum dispensationem, & ideo confertur gratia ad dignè dispensandum, quia Dei perfecta sunt opera, *vt habetur Deut. 32. 4 sent. vbi sup. art. 2. & ad Hanni. art. 3. ad 3.*

7. Quare in quolibet Ordine imprimitur character?

NOn solùm in sacris Ordinibus, sed etiam in minoribus imprimitur character, quia in quolibet confertur spiritualis potestas ad sacramentorum dispensationem, quæ nihil aliud est, quàm character, cuius signum est, quod quilibet Ordo perpetuò manet, & numquam iteratur. *4 sent. vbi sup. art. 2. q. 1. & ad Hanni. art. 3.*

Ex quibus manifestè colligitur, quidquid dicat Sot. ead. dist. q. 1. art. 4. & Nauar. cap. 22. num. 17. quod non solùm Ordines sacri, sed etiam minores sunt sacramenta, quia in quolibet Ordine confertur gratia, & imprimitur character, quod pertinet ad rationem sacramenti?

8. Quomodo character Ordinis præsupponit characterem baptismalem, & Confirmationis?

CHaracter Ordinis præsupponit baptismalem characterem de necessitate sacramenti, *cap. si quis, & cap. veniens, de presb. non bapt.* quia per characterem baptismalem homo est capax aliorum sacramentorum. Vnde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest: Characterem verò Confirmationis præsupponit de congruitate, quia ad susceptionem Ordinis requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem Ordinis, *4. sent. vbi sup. art. 2. q. 2. & 3.*

9. Quo-

§. Quomodo character vnius Ordinis præsupponitur characterem alterius?

Character vnius Ordinis non præsupponit characterem alterius de necessitate sacramenti, quia inferior Ordo virtute continetur in superiori, sicut Ducatus in regno. Et ideo in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur in præsbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant. De necessitate tamen præcepti, character vnius Ordinis præsupponit characterem alterius. Vnde qui ordinantur per saltum, secundum canones non reordinantur, sed Ordo omissus eis confertur. *vni, de cler. per sal. prom. 4. sent. vbi sup. art. 2. q. 4.*

QVÆSTIO XLIII.

De Distinctione Ordinum.

1. Quot sunt Ordines?

Ordines sunt septem, quia potestas Ordinis ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ, in quo continetur Corpus Christi verum. Et primò quidem ordinatur ad Corpus Christi verum secundùm se, & sic vel ordinatur ad consecrationem Corporis Christi veri, vt Ordo Sacerdotum, & ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane: Vel ordinatur ad materiæ oblationem ex parte Sacerdotis, vt Ordo Diaconorum, quia principalis actus Diaconi est materiam consecrandam offerre Sacerdoti: Vel ordinatur ad materiæ oblationē ex parte populi, vt Ordo Subdiaconorum, ad quos pertinet accipere à populo materiam consecrandam, & Diacono offerre: oblationes enim à populo oblatæ per Sacerdotem Deo offeruntur. Vnde cum ordinantur accipiunt calicem vacuum, & vrceolum cum vino, & aqua: Vel ordinatur ad materiæ præparationē, vt Ordo Acolythorū, ad quos principaliter spectat præparare vrceolum cum aqua, & vino. Et propter hoc cum ordinātur accipiunt vrceolum vacuum. Secundo potestas Ordinis ordinatur ad Corpus Christi verum, propter Corporis Christi mystici præparationem, vt scilicet Fideles præparentur ad susceptionem Eucharistiæ per ministerium mundationis, quia qui mundi sunt, iam sunt ad sacramenta recipienda idonei: & sic, vel ordinatur ad exclusionem immundorum, scilicet Infidelium, vel excommunicatorum ab inspectione sacrorum, & hoc pertinet ad Ostiarios; vel ad instructionem immundorum de iis, quæ sunt Fidei, scilicet Catechumenorum, vt Ordo Lectorum, quibus vetus testamentum legendum cōmittitur: vel ad emundationem immundorum, qui à dæmonibus vexantur, scilicet energumenorum, & ad hoc habet ministerium Ordo Exorcistarum. Tres autem primi dicuntur Ordines sacri, quia habent aliquem actum circa rem consecratam; Sacerdos enim habet actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum; Diaconus verò, & Subdiaconus habent actum

circa vasa consecrata. De his Ordinibus legenda est Epistola Isidori *cap. perlectis. dist. 25. 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 1. & 2. & art. 2. ad 3. & art. 3. a. 6. & art. 2. ad Hann. & docet Conc. Trid. sess. 23. can. 2.*

2. *Quando imprimitur character Ordinis?*

CHaracter sacerdotalis imprimitur ad actum eius principalem, qui est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, in porrectione calicis pleni, sub certa forma verborum: character verò Diaconi non imprimitur ad actum eius principalem, qui est offerre Sacerdoti materiam consecrandam, sed imprimitur ad actum eius secundarium, qui est legere Euangelium per dationem libri Euangeliorum. Et in hoc charactere intelligitur alius ad actũ eius principalem. Character autem Subdiaconi imprimitur ad actum eius principalem in porrectione calicis vacui. Similiter character Acolythi imprimitur ad actum eius principalem in datione vrceoli vacui. Similiter characteres ostiarij, lectoris, & exorcistæ ad actus eorum principales in porrectione materiæ. *4. sent. vbi sup. art. 2. ad 3. & art. 3. & ad 5. & 6.*

QVÆSTIO XLIV.

De Quibusdam, quę sunt Ordinibus annexa.

1. *Quomodo ordinatis competit tonsura, & rasura?*

ILlis, qui diuinis ministerijs applicantur, competit tonsura in modum coronæ, tùm ratione figuræ, quia corona est signum regni; illi autem qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem; tùm etiam ratione subtractionis capillorum ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur: & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus afficiantur. *12. q. 1. duo. 4. sent. dist. 24. q. 3. art. 1.*

2. *Quomodo corona se habet ad Ordinem?*

COrona non est Ordo, sed pręambulum ad Ordinem, quia per coronam aliquis non accipit specialem potestatem ad exercendũ ea, quæ ad cultum diuinum pertinent, sed est deputatus solùm ad diuinas laudes. *4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1.*

3. *Quare supra potestatem sacerdotalem est potestas Episcopalis, non autem potestas sæcularis?*

SVpra potestatem sacerdotalem est potestas Episcopalis, non quantùm ad actum principalem Sacerdotis supra Corpus Christi verũ, qui est consecrare verum Corpus Christi, quia sic non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi diuina: sed quantùm ad actum secundarium Sacerdotis supra Corpus Christi mysticum, qui est soluere, & ligare, *& docet Concil. Trident. sess. 23. cap. 4.* quia omnis potestas, quæ non potest reduci in actum, nisi præsuppo-

positis ordinationibus, dependet ab illa potestate, quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absoluere, & ligare, nisi præsupposita prælationis iurisdictione, qua sibi subdantur illi, quos absoluit. Potestas autem sæcularis non est supra potestatem sacerdotalem in noua lege, sed Sacerdotibus subijcitur; quia per Sacerdotium in noua lege homines traducuntur ad bona cœlestia, *& habetur dist. 10. suscipitis, & de mai. & obed. cap. solitæ*. In veteri autem lege Sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti, quia in veteri lege promittebantur bona terrena à Deo religioso populo exhibenda. Sacerdotes etiam Gentilium Regibus subdebantur, quia sacerdotium Gentilium erat propter temporalia bona conquirenda, quæ ad commune bonum ordinantur, cuius cura Regi incumbit. *4. sent. vbi sup. qu. 1. art. 3. q. 1. ad 1. & q. 3. art. 2. & 1. de reg. Princ. opusc. 20. cap. 14. & 4. cont. gent. cap. 76.*

4. *Quomodo potestas Episcopalis diuiditur in potestatem Ordinis, & iurisdictionis?*

DVplex est potestas Episcopalis, vna quidem est potestas iurisdictionis, ad quam pertinet soluere, & ligare, tàm in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori, scilicet excommunicare, suspendere, interdicere, indulgentias facere, cognoscere de causis, instituere, beneficia conferre, & omnia alia, quæ Episcopus assecutus est in confirmatione electionis, *de election. cap. transmissam, & ibi gloss.* Alia verò est potestas ordinis Episcopalis, & ad hanc pertinet conferre Ordinem, & Confirmationem, benedicere Chrisma, Oleum Sanctum, & Infirmorum, consecrare virgines, Altare, Ecclesiam, vestes, vasa, & similia, *& statuit Conc. Trid. sess. 23. cap. 4.* Hanc potestatem benedicendi, et consecrandi Episcopus accipit in sua consecratione, *cap. vnico de sacr. vnct.* Non potest autem Episcopus hanc potestatem quantùm ad aliquid cõmittere non Episcopo, sicut potest committere potestatem iurisdictionis, *vt patet de consecr. Eccl. cap. aqua,* sed Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo non habeant immediatam relationem ad Corpus Christi verũ. Et ideo ex eius cõmissione simplex Sacerdos potest conferre minores Ordines, confirmare, virgines benedicere, consecrare vasa, Altare, Ecclesiam, vestes; non autem aliquis non Sacerdos; sed non potest ex eius commissione maiores Ordines conferre qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi verum. *2. 2. q. 39. ar. 1. & 3. par. q. 82. ar. 1. ad 4. et 4. sent. dist. 7. q. 3. ar. 1. q. 2. et dist. 13. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. et ar. 3. et dist. 25. q. 1. ar. 1. et ad 3. et Quodl. 11. ar. 7. & opusc. 18. cap. 24.*

5. *Quomodo Episcopatus est Ordo?*

EPiscopatus non est Ordo secundùm quod est sacramentum, quia sic ordo ordinatur ad Euchari-

ftiæ facramentum, in quo continetur corpus Chrifti verum. Epifcopus autem non habet poteftatem fupra facerdotem ad actum fupra corpus Chrifti verum, fed ad actum fupra Chrifti myfticum, vt dictum eft: & ideo Epifcopatus eft Ordo fecundum quod eft dignitas. Non obftat, quod Epifcopo in fui promotione datur aliqua poteftas fpiritualis refpectu aliquorum facramentorum, fcilicet Ordinis, & Confirmationis, quia illa poteftas non habet rationem characteris: non enim eft poteftas ad actum fupra corpus Chrifti verum, quæ character dicitur *4. fent. vbi fup. art. 2. q. 1. & ad 2.*

QVÆSTIO XLV.

De Ordinantibus.

1. *Quare Epifcopus eft minifter huius facramenti?*

SOlus Epifcopus poteft hoc facramentum conferre, quia per hoc facramentum homo collocatur in aliquo gradu fpiritualis poteftatis. Collocare autem alios in hoc gradu, pertinet ad Epifcopum, qui eft princeps in Ecclefia, ficut diftribuere officia fæcularia in ciuitate pertinet ad excellentiorem poteftatem. Poteft autem Epifcopus Ordines facros conferre in fex anni temporibus, fcilicet in fabbatis quatuor temporum, & in fabbato ante Dominicam Paffionis, & in fabbato Sancto, *de temp. ord. & 75. dift. per totam.* Minores autem Ordines poteft dare in Dominicis, & alijs feftiuis diebus, *eod. tit. c. de eo.* Non poteft autem vni conferre vnum de minoribus cum fubdiaconatu vna die: nec duos facros. *cap. litteras & c. dilectus. eodem.* fed poteft vna die dare omnes minores. *d. cap. de eo 3. p. q. 65. art. 3. ad 2. & 4. fent. dift. 25. q. 1. art. 1.*

2. *Quomodo hæretici, & alij ab Ecclefia præcifi conferunt hoc facramentum?*

HÆretici, & alij ab Ecclefia præcifi conferunt hoc facramentum, fed non rem facramenti, fcilicet gratiam, quia peccant recipientes ab eis facramentum contra prohibitionem Ecclefiæ. *9. q. 1. ordinationes. 4. fent. vbi fup. art. 2.*

QVÆSTIO XLVI.

De Ordinatis.

1. *Quomodo bonitas vitæ requiritur ad Ordinis fufceptionem?*

AD fufceptionem Ordinis requiritur bonitas vitæ de neceffitate præcepti 8. *q. 1. si ergo* & ftatuit Conc. Triden. *feff. 23. cap. 11. 12. 13. & 14.* quia in quolibet Ordine aliquis conftituitur in aliquo gradu fuper alios in rebus diuinis: & ideo quafi præfumptuofus mortaliter peccat, qui cum confcientia peccati mortalis ad Ordines accedit. Et eadem ratione mortaliter peccat, qui Ordinem exequitur in peccato mortali; fecus autem, fi in aliqua neceffitate Ordinem exequitur. *4. fent. dift. 24. q. 1. art. 3. & q. 4. & ad 4.*

2. Quo-

2. *Quomodo scientia requiritur ad susceptionem Ordinis?*

ILle, qui ad Ordines promoueri debet, tenetur scire ea, quæ ad executionem sui Ordinis pertinent, & statuit Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. Vnde qui promouentur ad actum supra corpus Christi verum, scilicet ad consecrationem corporis Christi, sufficit si tantum de scientia habeant, quod ea, quæ ad sacramentum conficiendum spectant, ritè seruare possint: Qui verò promouentur ad actum supra corpus Christi mysticum, quibus cura imminet animarum, tenentur habere scientiam Fidei, & legis, ita vt possint subditos de eis instruere, & docet Conc. *ead. sess. cap.* 14. Ad superiores autem sacerdotes, scilicet Episcopos pertinet, vt etiam subtilitates Fidei, & ea quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant. Qui autem sunt illiterati, repelluntur à susceptione Ordinis *dist* 51. *qui in aliquo*, & *dist.* 55 *pœnitentes*. Vnde conferens primam tonsuram penitus illiterato, à collatione primæ tonsuræ per annum est ipso iure suspensus. *cap. nullus, de temp. ord. in* 6. & in *c. cum sit ars. de ætat. & qualit.* graui vltioni subiacere decernuntur Episcopi, qui ignaros promouent in sacerdotes. 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 2. & *ad* 1.

3. *Quare Episcopus peccat mortaliter promouens indignos?*

EPiscopus promouens indignos peccat mortaliter. Primò quidem, quia est Domino infidelis, eius diuina supra mensuram tradens; Vnde ab ipso Luc. 12. Fidelis dispensator describitur *quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram*. Secundò, quia poni sub periculo res spirituales ab indigno exhibendas. Tertiò, quia maius peccatum est promouere malos ad diuina ministeria, quàm iam promotos non corrigere: sed Heli mortaliter peccauit non corrigens filios suos de malitia eorum: Vnde retrorsum cadens mortuus est, vt dicitur 1. *Reg.* 5 ergo multo magis peccat Episcopus, qui indignum promouet; & ideo debet certitudinem habere de qualitate promouendorum, saltem ex testimonio aliorum; & hoc est, quod Apost. dicit 1. ad Tim. 5. *Manus citò nemini imposueris.* 4. *sent. vbi sup. art.* 3. *q.* 3. & *ad* 3.

4. *Quomodo tempus discretionis requiritur ad Ordinis susceptionem?*

AD minores Ordines requiritur discretionis tempus de congruitate, propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque de necessitate sacramenti. Vnde si necessitas adsit, & spes profectus, possunt aliqui ad minores Ordines ante discretionis annos promoueri sine peccato, & suscipient Ordines, sed ad maiores Ordines requiritur tempus discretionis, & de congruitate, & de necessitate præcepti propter votum continentiæ. Non tamen requiritur de necessitate sacramenti, & ideo

promoti ad maiores Ordines ante discretionis annos, Ordines quidem suscipiunt, sed peccant, & ab executione Ordinum suspensi sunt. *de temp. ord. cap. vel non est compos.* Nec superueniente ætate executionem habent, nisi à suspensione absoluantur *per extrauag. Pij II.* cum ex sacrorum. 4. *sent. dist.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *q. vnica.*

5. *Quomodo sexus femineus impedit Ordinis susceptionem?*

SExus femineus impedit Ordinis susceptionem de necessitate sacramenti ex defectu; ita quod, si mulieri exhibeantur omnia, quæ in Ordinibus fiunt, Ordinem non suscipit, quia per susceptionem Ordinis aliquis constituitur in quadam eminentia gradus, quæ non competit mulieri, quæ habet subiectionem ex natura. 4. *sent. vbi supra, art.* 1.

6. Q*uomodo seruitus impedit aliquem à susceptione Ordinis?*

SEruitus impedit Ordinis susceptionem de necessitate præcepti ex defectu. *dist.* 54. *per totam, & de seru. non ordinand.* quia in susceptione Ordinis homo diuinis seruitijs applicatur: Seruus autem non potest diuinis seruitijs applicari, quia non est suæ potestatis. Non impedit autem de necessitate sacramenti, quia seruus non habet subiectionem ex natura, sicut mulier; & ideo si promouetur, Ordinem suscipit. 4. *sent. vbi supra, art.* 2. *& ad* 4.

7. *Quomodo illegitimè nati impediuntur à susceptione Ordinis?*

ILlegitimè nati impediuntur à susceptione Ordinis de necessitate præcepti, ex defectu. *dist.* 56. *cap.* 1. *& c.* 1. *et vlt. de fil. præsbyt.* quia in ordinatis requiritur claritas quædam; ipsi enim in quadam dignitate præ alijs constituuntur: obscuratur autem hominis claritas ex vitiosa origine. Vnde illegitimè nati à susceptione Ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur; & tanto est difficilior dispensatio, quantò eorum origo est turpior. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 2.

8. *Quomodo bigamia impedit Ordinis susceptionem?*

BIgamia impedit Ordinis susceptionem, de necessitate præcepti ex defectu. *de bigam. cap. debitum.* quia per sacramentum Ordinis homo constituitur sacramentorum minister, qui nullum defectum in sacramentis pati debet. Bigamia autem habet defectum matrimonij, quia non plenè significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est vnius ad vnam, secundùm illud *Cantic.* 6. *Vna est columba*, & ideo ad perfectam significationem sacramenti requiritur, vt vir sit tantùm vnius vir, & vxor sit tantù vnius vxor. Impedit autem non solùm, si quis habuit duas vxores de iure successiue, vel si viduam, vel corruptam duxit

duxit vxorem, eam cognoscens: sed etiam si habuit vnam vxorem de iure, & aliam de facto, propter affectum intentionis, cum opere subsecuto, *cap. nuper. de bigam.* quia quantùm in ipso fuit, secundùm matrimonium contraxit, quod similitudinem habet sacramenti. 4. *sent. dist.* 27. *q.* 3. *art.* 1. & *q.* 1. & *ad* 1.

9. *Quomodo aliquis propter defectum membrorum impeditur à susceptione Ordinis?*

PAtientes exteriorem defectum in membris impediuntur à susceptione Ordinis, si sit talis defectus, qui notabilem deformitatem inferat, per quam claritas personæ obscuretur, vt abscissio nasi; vel periculum in executione facere possit, *vt patet dist.* 55. & *de cor. vitiat;* & *de cler. ægrot. per totum:* ex quibus multa exempla colligi possunt.

Si autem talis defectus superueniat ordinato, toleratur in Ordinibus, ad quos habilis est sine notabili deformitate: quod non potest dici de non ordinato, qui ad nullos Ordines promoueri debet. cap. 2. *de cler. ægrot.* & 15. *q.* 1. *cap. vlt. Idem dicendum est de dæmoniacis, cap. clerici, & de lunaticis, aut morbo caduco laborantibus, cap. maritum dist.* 33. & *qu.* 2. *in tuis,* 4 *sent. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3.

10. *Quomodo homicidium impedit Ordinis susceptionem?*

HOmicidium voluntarium directè, quod facto, vel mandato, vel consilio committitur, impedit susceptionem Ordinis, & executionem de necessitate præcepti. *dist.* 50. *cap. si quis viduam, & de cleric. pugnant. in duell. cap. Henricum.* Hoc autem est duplex: quoddam, quod iniustè, quoddam verò quod iustè fit. Homicidium quidem, quod iniuste fit, impedit Ordinis susceptionem ex delicto, *eadem dist. cap. miror.* Quod verò iustè fit, impedit ex defectu sacramenti. Primò quidem, quia clerici sunt electi ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur Passio Christi occisi, qui cum percuteretur non repercutiebat, *vt dicitur* 1. *Petri* 2. Debent enim ministri suo Domino conformari. Secundò, quia sunt ministri nouæ legis, in qua pœna occisionis, vel mutilationis non determinatur. *Hanc autem irregularitatem incurrit miles, clericus hortans ad pugnandum in bello iusto, iudex, fiscalis, notarius, satellis capiens, carnifex, aduocatus, & sententiam scribens, vel proferens in causa sanguinis, ex qua sequitur mors, vel membri mutilatio, dist.* 51. *aliquando* 2. *q.* 7. *sicut ne cler. vel mon. cap. sententiam, & Clem. vnica de homic. Est tamen priuilegium concessum clericis de homic. cap. Prælatus lib.* 6. *quod absque nota irregularitatis penes sæcularem iudicem accusent suos malefactores in sui defensionem, & rerum suarum, etiam de criminibus quibus pœna sanguinis debetur, dummodo expressè protestentur, quod ad vindictam, vel pœnam sanguinis non intendunt. Potest etiam Prælatus, vel clericus iurisdictionem habens temporalem, laico committere pœnam sanguinis, non vt ad ipsam pœnam procedat, sed vt iustitiæ debitum exequatur, cap. fin. ne cler. vel mon. in* 6.

in 6. Homicidium autem casuale non impedit aliquem à susceptione Ordinis, si dat operam rei licitæ, & adhibet debitam diligentiam, ne mors sequatur, *de homic. cap. lator. & cap. ex litteris* 1. Si verò dat operam rei illicitæ, impedit Ordinis susceptionem, *cap.* 15. *qui de hom. in* 6. Similiter si dat operam rei licitæ, & non adhibet debitam diligentiam; eundem enim actum facit dare operam rei illicitæ, & dare operam rei licitæ, non adhibita diligentia. Homicidium autem necessarium ad defensionem propriæ vitæ, cum scilicet occidit inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non valens aliter mortem vitare, non impedit Ordinis susceptionem. *d. Clem. de homic.* impedit tamen non seruato moderamine, quando scilicet potest aliter mortem euadere, *dist.* 50. *si quis clericus* 2. Nec solùm homicidium, sed membri mutilatio irregularitatem inducit, *per d. Clem. & ibi gloss. In irregularitate autem, quæ oritur ex homicidio voluntario, statuit Cōcil. Triden. sess.* 14. *cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 6. *nunquam esse dispensandum, & intelligit de homicidio voluntario illicito directè, secundùm Nau. cap.* 27. *num.* 240. *in ea verò, quæ incurritur ex homicidio casuali, vel necessario, vel ex alio delicto, concedit Episcopos dispensare posse, si delictum sit occultum: & sic dispensare possunt in irregularitate ex mutilatione occulta proueniente, quia irregularitas ex mutilatione non oritur ex homicidio voluntario. Similiter possunt Episcopi dispensare in rebaptizatis, scienter, vel ignoranter ignorantia crassa, quæ est eius, quod aliquis potest, & debet scire, si sint occulti, qui sunt irregulares, cap. confirmandum dist.* 50. *Possunt etiam dispensare in irregularitate inducta ex crimine occulto circa Ordinem susceptionem, quādo aliquis scienter suscepit sacrum Ordinem ante legitimam ætatem. Sic enim ipso iure suspensus est ab executione Ordinis, de temp. or. l. cap. vel non est, & si ipsum exercet, fit irregularis. Similiter quando scienter excommunicatus maiori excommunicatione recipit Ordinem, cap.* 1. *de eo, qui fur. & cap. illorum, de sent. excom. Vel quando scienter recipit Ordinem ab Episcopo excommunicato denuntiato, de o d. ab Episc. cap. cùm clericis. Vel quando vno die duos Ordines sacros, vel Ordines minores cum subdiaconatu suscipit, sub excommunicatione præmonitus, ne ad tales Ordines suscipiendos accederet: tunc enim solus Papa dispensat de eo, qui fur. cap. lator. & cap. innotuit. Sed ex Conc. Trid. si delictum est occultum, potest Episcopus dispensare. Habet etiam Episcopus facultatem dispensandi super irregularitatem ex delicto occulto in Ordinis ministerio, quando aliquis solemniter exercet actum Ordinis, quem non habet cap.* 1. *de cler. non ord. ministr. Vel quando scienter excommunicatus, vel suspensus ab officio, vel interdictus exercet actum Ordinis. cap.* 1. *et cap.* 15. *cui de sent. excom. in* 6. *Occulta autem delicta intelligit Conc. quæ non sunt ad forum contensiosum deducta.* 1. 2. *q.* 20 *ar.* 5. *ad* 4. *et* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *et ad* 2. *et q.* 64. *art.* 4. 7. *et* 8. *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 3. *et* 4. *sent. dist.* 25. *qu.* 2. *qu.* 1. *et opusc.* 4. *de* 5. *de præcepto.*

DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QVÆSTIO XLVII.

De Matrimonio secundùm quod est in officium naturæ.

Quomodo matrimonium est naturale?

MAtrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primò quidem quātùm ad principalem eius finem, qui non solùm est generatio prolis, sed etiam educatio, & instructio: Filius autem à parente educari, & instrui non potest, nisi certos, & determinatos parentes habeat, ad quod requiritur obligatio viri ad mulierem determinatam, quod matrimonium facit. Secundò quantùm ad secundarium finem matrimonij, qui est societas in communem vitam, quia eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. *4. sent. dist. 26. qu. 1. art. 1. et qu. 15. de malo art. 1. et 2.*

QVÆSTIO XLVIII.

De Matrimonio secundùm quod est sacramentum.

1. Quomodo matrimonium est sacramentum?

MAtrimonium est sacramentum, quia exhibetur homini in remedium contra vulnus peccati per sensibile signum sanctitatis; significat enim coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, vt dicit Apost. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. 4. sent. dist. 26. q. 2. art. 1.*

2. Quare secundum matrimonium est sacramentum?

SEcundum matrimonium in se cōsideratum est perfectum sacramentum, quia in secundo matrimonio inueniuntur omnia, quæ sunt de essentia sacramenti, scilicet debita materia, quam faciunt legitimę personæ, & debita forma, quæ sunt verba exprimentia interiorem consensum: Si verò consideretur in ordine ad primum matrimonium habet aliquem defectum sacramenti, quia non significat coniunctionē vnius Christi ad vnam Ecclesiam; hæc tamen significatio non est de essentia sacramenti, sed tantùm illa, quod significet coniunctionem Christi ad Ecclesiam, propter vinculi indissolubilitatem. *4. sent. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 3. et dist. 42. q. 3. art. 2. et ad 2.*

3. Quæ est conueniens materia, et forma huius sacramenti?

COnueniens materia huius sacramenti sunt actus exteriores cōtrahentium, sicut materia pœnitentiæ sunt actus exteriores pœnitentis; Forma verò sunt verba, quibus exprimitur consensus matrimonialis de præsenti. *4. sent. dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 1. et 2. et opusc. 22. cap. 1.*

4. *Quomodo hoc sacramentum fuit in noua lege institutum?*

HOc sacramentum institutum fuit ante peccatum in officiũ naturæ ad procreationem prolis, quę erat necessaria etiam peccato non existente. Post peccatum verò tempore legis naturæ institutum fuit, prout est remedium contra peccatũ: & sic competit ei ratio sacramenti, quia de ratione sacramenti est, quod sit signum, & remedium. In lege autem Moysi institutionem habuit secundùm determinationem personarum; sed in noua lege fuit a Christo institutum secundùm quod repręsentat mysteriũ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ: & secundùm hoc est sacramentum nouæ legis conferens gratiam. 4. *sent. vbi supra, art. 2. & declarat Conc. Trid. sess. 24. can. 1.*

5. *Quomodo hoc sacramentum confert gratiam?*

HOc sacramentum confert gratiam. Primò quidem, quia sacramenta efficiunt, quod significant. Hoc autem sacramentum significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, quæ fit per gratiam. Secundò, quia inquantum significat coniunctionem Christi, & Ecclesię, habet ex passione Christi, sicut & cętera sacramenta, quod conferat gratiam ad reprimendum concupiscentiam, & meritoriè implendum hoc, ad quod matrimonium ordinatur, scilicet ad procreationem prolis, & debitum reddendum. Confert autem gratiam cum contrahitur per verba de præsenti. 4. *sent. vbi supra, art. 3. & ad Hanni. art. 1. ad 3. & 4. cont. gent. cap. 78. & statuit Conc. Trident. sess. 24. de sacram. matrim.*

6. *Quomodo carnalis copula requiritur ad matrimonium?*

CArnalis copula non est de perfectione matrimonij, quæ consistit in esse rei, sed est de perfectione, quæ consistit in operatione, quia carnalis copula est quædam operatio, siue vsus matrimonij. 4. *senten. vbi sup. art. 4.*

QVÆSTIO XLIX.

De Matrimonio secundùm se.

1. *Quomodo consensus expressus per verba de præsenti requiritur ad hoc sacramentum?*

COnsensus expressus per verba de præsenti facit matrimonium, quia matrimonium fit ad modum materialis contractus, qui non potest fieri, nisi qui contrahunt, sibi inuicem voluntatem suam verbis exprimant: & quamuis muti, vel qui sunt diuersarum linguarum, non possint suum consensum mutuò verbis exprimere, possunt tamen exprimere nutibus, qui pro verbis computantur, *de spons. cap. cum apud, & cap. tuæ fraternitati.* Hic autem est consensus in matrimonium, quod essentialiter est coniugalis potestas in ordine ad carnalem copulam. Vnde non requiritur consensus in carnalem

lem copulam explicite, sed sufficit consensus in ipsam implicitè, inquãtum continetur in ipsa coniugali potestate, sicut effectus in sua causa; quia coniugalis potestas est causa carnalis copulæ, sicut potestas vtendi re sua, & causa vsus. *4. sent. dist. 27. qu. 1. art. 2. qu. 1. & ad 2. & dist. 28. art. 4.*

2. Quomodo consensus interior requiritur ad hoc sacramentum?

CONsensus expressus per verba de præsenti sine interiori cõsensu non facit matrimonium in foro conscientiæ, sed in foro Ecclesiæ, nisi signa euidentia doli appareant. Vnde si probatur, quod aliquis per verba de præsenti in aliquam consensit, etiam si dicat interiorem consensum defuisse, & postea cum alia per verba de præsenti interiori consensu contraxit, Ecclesia potest eum compellere per excommunicationis sententiam ad standum cum prima vxore, quia iudicat secundùm ea, quæ foris apparent; nec decipitur in iustitia, quamuis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quàm ad primam vxorem accedere, vel debet in alias regiones remotas fugere, ne fornicetur. *4. sent. vbi sup. art. 2. q. 3. & ad 1. 2. & 3.*

3. Quare hoc sacramentum potest fieri per consensum conditionatum?

MAtrimonium potest fieri sub conditione, quia est contractus quidam, in quo potest fieri obligatio sub conditione, sicut fit in alijs contractibus; conditio tamen apposita non semper facit matrimonium; si enim conditio est de præsenti, quę est contraria matrimonio, non facit matrimonium, sicut cum dicitur: Accipio te, si venena sterilitatis procures, quod est contra bonum prolis; vel si pro lucro adulterandam te tradas, quod contrariatur bono fidei: vel dum inuenero aliam ditiorem te, quod opponitur bono sacramenti, scilicet matrimonij indissolubilitati, *cap. fin. de condit. appos. & 32. q. 2. cap. licet. & cap. quando*, vel cum dicitur, si carnaliter me non cognoscas, quod non solùm actui, sed potestati contrariatur carnalis copulæ. Si autem conditio de præsenti non contrariatur matrimonio, siue sit honesta, siue inhonesta, sicut dicitur: Accipio te, si furtis meis consentias, tunc stante conditione, stat matrimonium, & non stante, non stat, *cap. quicumque, & cap. conditiones, eod. tit.* Si autem conditio est de futuro, aut est necessaria, sicut Solem oriri creas, & tunc facit matrimonium, quia talia futura sunt præsentia in suis causis; aut est contingens, vt datio pecuniæ, vel acceptatio parentum: & tunc non facit matrimonium, sed sponsalia. *cap. sup. eo. tit. eod. 4. sent. dist. 27. q. 2. ar. 1. & dist. 28. art. 4. ad 3. & dist. 29. art. 3. q. 2.*

4. Quare alter coniugum ante carnalem copulam potest religionem intrare, etiam altero inuito?

ANte carnalem copulam potest alter coniugũ ad religionẽ transire,

sire, altero etiam repugnante; quia sicut vinculum carnale post carnalē copulam soluitur per mortem carnalem, ita spirituale vinculum per solum consensum ante carnalem copulam soluitur per religionis ingressum, quæ est mors quædam spiritualis, quia religiosus moritur mundo, viuit Deo. *4. sent. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 1. & habetur de conuer. coniug. cap. verum, & decernit Conc. Triden. sess. 24. can. 6.*

5. *Quare alter coniugum post carnalem copulam non potest religionem intrare, sine consensu alterius?*

NOn potest alter coniugum post carnalē copulam religionem intrare sine consensu alterius, quia nullus potest Deo obligare id, quod alterius est: per matrimonium autem consummatum corpus viri factum est vxoris, & è conuerso, vt dicitur 1. Cor. 7. *Vxor sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed vxor. Nec potest de consensu coniugis religionem intrare, nisi vterque ingrediatur, vel alter, qui non ingreditur, sit eius ætatis, vt sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere: tunc enim sufficit, quod perpetuam continentiam promittat, *de conuer. coniug. cap. cum sis, & cap. ad Apostolicam*, & fuit decretum *in Romana Synodo sub Greg. Secundo*. Si autem aliquis sine consensu coniugis post carnalem copulam religionem ingreditur, tenet votum religionis, sed suspenditur ad tempus viuente coniuge, inquantum fuit in præiudicium eius: & ideo post eius mortem tenetur ille, qui vouit, ad religionem redire, *cap. quidam, & cap. placet. eod. tit. 4. sent. vbi sup. art. 3. et in exposit. textus.*

6. *Quando mulier potest alteri nubere, viro religionem ingresso?*

POtest mulier alteri nubere, viro ante carnalem copulam religionem ingresso: quia sicut post mortē corporalem viri potest mulier, cui vult, nubere, secundùm Apostoli sententiam; ita etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressū, anno probationis elapso, emissaque professione, poterit cui voluerit, nubere: quia tunc vir intelligitur mortuus sæculo. Si autem vir ante probationis annum professionem emiserit, quæ ipso iure est nulla, *de regul. cap. ad nostram*, & decreuit *Conc. Trident. sess. 25. cap. 15.* non poterit mulier alteri nubere, sed debet eum recipere, si redeat; non tamen tenetur ei debitum reddere, sicut nec ipse potest petere, propter simplex votū continentiæ, cui remanet obligatus, eadem ratio est de viro, vxore religionem ingressa. *4. sent. vbi sup. ar. 3. q. 2. & ad 2. & 3.*

7. *Quod tempus requiritur ad matrimonium contrahendum?*

ANte annos discretionis, quibus vterque coniugum possit matrimonium sufficienter deliberare, & debitum sibi inuicem reddere, matrimonium non est contrahendum, & si aliàs factum fuerit, dirimitur.

Hoc

Hoc autem tempus, vt in pluribus est in masculis in decimoquarto anno, in femina verò in duodecimo, *cap. puberes*, *de sponſ. imp.* Quia tamen præcepta iuris positiui sequuntur id quod est in pluribus, si in aliquo ante discretionis annos vigor naturæ, & rationis, defectum ætatis suppleat, matrimonium non dissoluitur, *cap. de illis eod. 4. sent. dist. 36. ar. 5.*

8. *Quare matrimonium potest fieri per procuratorem?*

MAtrimonium potest fieri per procuratorem, & valet, ac si principalis fecisset, quia est contractus quidam: sed si ille pœniteat antequam procurator consentiat, non erit matrimonium, neque in foro conscientiæ, neque in foro Ecclesię, si aliquibus signis appareat eum tunc pęnituisse. *4. sent. dist. 29. in expositione l.*

QVÆSTIO L.

De Sponſalibus.

1. *Quomodo sponſalia contrahuntur?*

SPonſalia dicuntur futurarum nuptiarum promissio, dupliciter, absolutè, & sub conditione; absolutè quidem quatuor modis. Primò, nuda promissione, sicut cum dicitur: Accipiam te in meam, & è contrario. Secundò datis arrhis sponſalitijs, vt pecunia, vel huiusmodi. Tertiò annuli subarrhatione. Quartò, interueniente iuramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, aut est conditio honesta, sicut cum dicitur: Accipiam te, si parentibus placeat: & tunc stante conditione, fiat promissio & non stante, non fiat; aut est inhonesta: & tunc aut est contraria matrimonio, sicut si dicitur: Accipiam te, si venena sterilitatis procures, Et sic non contrahuntur sponſalia: aut non est contraria matrimonio, vt si dicatur: Accipiam te, si furtis meis consentias; & sic fiat promissio, sed tollenda est conditio. *4. sent. dist. 27. q. 2. art. 1.*

2. *Quod tempus requiritur ad sponſalia contrahenda?*

POssunt sponſalia de iure contrahi in fine primi septennij: *cap. litteras, de sponſ. impub.* quia tunc homo incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipuè de his, ad quæ ratio naturalis magis inclinat. *4. sent. vbi sup. art. 2.*

3. *In quibus casibus sponſalia dirimuntur?*

IN quibusdam casibus sponſalia dirimuntur iudicio Ecclesiæ, puta si aliquis post contracta sponſalia aliquam infirmitatem incurrat, quę ipsum nimis debilitet, vt epilepsia, vel paralysis; aut deformet, vt abscisio nasi, vel orbitas oculorum, *de iureiur. cap. quemadmodum.* Similiter si contrarietur bono prolis, vt lepra, quæ solet prolem inficere, *cap. litteras, de coniug. lepros.* vel si Sponſus cognouit consanguineam Sponſæ, vel è conuerso: & ad hoc probandum sola fama sufficit, pro-

pter scandalum vitandum, *cap. cum in tua, de sponf. & cap. super eo, de consanguin. & affin.* vel si simplex votum castitatis emisit, *de eo qui dux, cap. rursus quidam*. In duobus autem casibus sponsalia ipso iure dirimuntur, cum scilicet alter coniugum religionem ingreditur, vel cum alio per verba de præsenti contrahit, *cap. ex publico, de conuerf. & cap. si inter de sponf. impub. & cap. ex litteris de matrim. contr. cont. int. Eccl.* Si autem per alterum coniugum stetit, quo minus matrimonium fit completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, vel iuramenti, si interuenerit, & potest cum aliqua contrahere, si vult, iudicio Ecclesiæ, *de sponf. cap. de illis, & d. cap. ex litteris*, alter verò, per quem non stetit, quin matrimonium compleret, potest licitè alteri nubere sine aliquo peccato. *4. sent. vbi sup. ar. 3. & ad 2. 3. & 4.*

4. Quare qui sponsalia contraxerunt, possunt se mutuò absoluere.

POssunt, qui sponsalia contraxerunt, se mutuò absoluere, *de sponf. cap. præterea*, ne deterius contingat, vt talem scilicet ducat, quam odio habet, ad instar eorum, qui societatem fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, quia incertæ sunt prouidentiæ nostræ *4. senten. vbi sup. art. 3. ad 5.*



QVÆSTIO LI.

De Bigamia.

Quibus modis bigamia contrahitur?

QVatuor sunt modi bigamiæ. Primus quidem est, cum quis habet plures vxores de iure successiuè, *cap. Accutius, & cap. deinde 26. dist.* Secundus cum simul habet plures, vnam de iure, aliam de facto, puta si viuente vxore, aliam ducat, *cap. nuper de bigam.* Tertius, cum plures habet successiuè vnam de iure, aliam de facto, sicut cum mortua vxore, cum alia contrahit in sacris constitutus, *d. cap. nuper.* Quartus, quando viduam, vel corruptam ab altero, etiam per fornicationem, ducit vxorem, eam cognoscens; vel quando cognoscit vxorem adulterã, etiam si hoc ignoret: & per ius, vel ex propria conscientia, vxore petente, debitum reddat; quia in his non attenditur peccatum, sed significati tantùm defectus, *cap. si quis viduam, & cap. si cuius dist. 34. & ibi gloss.* cõmuniter recepta, *& cap. qui in aliquo 50. dist.* Si autem aliquis mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam ducit vxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam diuisit in plures, non est bigamus. *de bigam. 4. sen. dist. 27. q. 3. art. 1. et ad 3. et q. 1. & ad 1. et q. 2. & ad 3. & 4.*

QVÆSTIO LII.

De Matrimonio B. Virginis.

1. Quomodo B. Virgo virginitatẽ vouit?

BEata Virgo antequam desponsaretur Ioseph virginitatem vouit,

uit, non simpliciter, sed sub conditione hac honestissima: Si Deo placeret. 27. q. 2. *B. Maria*. Nec istam conditionem apposuit, vt dubitaret, an vellet Virgo permanere, sed an deberet, propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi. Postmodum verò accepto Sponso, secundùm quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum Virginitatis emisit. *3. p. q. 28. art. 4. & ad 1. & 3. & 4. sent. dist. 30. q. 2. art. 1.*

2. Quare B. Virgo fuit matrimonio iuncta?

COnueniens fuit Matrem Christi matrimonio esse iunctam. Primò quidem ex parte conceptus, vt partus diabolo celaretur. Secundò ex parte matris, vt non lapidaretur, & ab infamia liberaretur. Tertiò ex parte Ioseph, vt obsequeretur, & matri, & puero, & testimonium perhiberet Virginitati. Quartò, vt significaret Ecclesiam, quæ est virgo, & sponsa. Nec propter hoc se commisit periculo, nubens, quia antequā contraheret cū Ioseph, fuit diuinitus certificata, quod Ioseph in simili proposito erat. *3. p. q. 29. art. 1. & 4. sent. vbi sup. art. 1. q. 1. & ad 2. & q. 2.*

3. Quomodo B. Virginis, & Ioseph fuit perfectum matrimonium?

MAtrimonium B. Virginis, & Ioseph fuit perfectum quantùm ad eius essentiam, scilicet consensum de præsenti expressum, quia vterque consensit in copulam coniugalem, non autem quantùm ad operationem, quę est carnalis copula. *Vnde Matth. 1.* B. Virgo dicitur coniux Ioseph. *3. p. q. 29. ar. 2. & 4. sent. vbi sup. ar. 2.*

QVÆSTIO LIII.

De Bonis matrimonij.

1. Quæ sunt bona matrimonij?

BOna matrimonij sunt tria, proles, fides, & sacramentum, 27. q. 2., quia matrimonium est in officium naturæ, & est sacramentum Ecclesiæ. Inquantum est in officiū naturæ habet duo bona: Vnum est ex parte ipsius agentis, quod est intentio finis debiti; & sic proles ponitur bonum matrimonij: Aliud est ex parte ipsius actus, qui est bonus ex suo genere, quia cadit supra debitam materiam, & sic est fides, per quam pactio coniugalis seruatur. Inquantum verò est sacramentum Ecclesiæ, habet bonum prolis ad cultum Dei suscipiendæ, & educandę; & bonum fidei, quam vnus coniugum alteri debet seruare; & bonum sacramenti, quod est indiuisibilitas matrimonij, significans indiuisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. *4. sent. dist. 31. q. 1. ar. 2. & 3. & q. 2. art. 1. & 4. cont. gen. c. 78. & opusc. 5.*

2. Quomodo sacramentum est principalius inter matrimonij bona?

SAcramentum est principalius inter matrimonij bona. Primò quidem, quia est dignius; pertinet enim ad matrimonium, inquantum est sacramentum gratiæ: Alia verò duo pertinent ad ipsum, inquantum est quoddam naturæ officium: per-

Tertiò autem gratiæ est dignior perfectione naturæ: Secundò, quia est essentialius matrimonio: nàm proles, & fides, si in seipsis considerentur, pertinent ad vsum matrimonij, per quem & proles producitur, & pactio coniugalis seruatur; sed sacramentum pertinet ad matrimonium secundùm se, inquantum importat inseparabilitatē coniunctionis Christi ad Ecclesiam: Et ideo matrimonium numquam inuenitur sine separabilitate, inuenitur autem sine fide, & prole: Si autem consideretur proles, & fides in suis principijs, vt pro prole intelligatur intentio prolis, & pro fide debitum seruandi fidem, sine quibus etiam matrimonium esse non potest, sic proles est essentialissimum in matrimonio, secundò fides; tertiò sacramentum, sicut etiam homini est essentialius esse naturæ, quàm esse gratię, quamuis esse gratiæ sit dignius. 4. *senten. vbi sup. art. 3.*

3. Quomodò bona matrimonij faciunt actum matrimonialem honestum?

PRoles, & fides faciunt actum matrimonialem honestum, quia pertinent ad vsum matrimonij: Et ideo duobus solùm modis coniuges absque omni peccato conueniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi, quod ad bonum fidei pertinet; alias autem semper in actu matrimoniali est peccatum, ad minus veniale. Vnde si aliquis per actum matrimonij intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quędam redditio debiti: 4. *sent. vbi sup. q. 2. art. 2. & ad 2. & opusc. 4.*

4. Quando delectatio actus matrimonialis est peccatum mortale?

QVando aliquis accedit ad vxorem principaliter propter delectationem veneream, si quærit delectationem, vt vltimum finem, puta si in tantùm concupiscit delectationem, quod ab ea non abstineret propter præceptum Dei, vel si quęrit delectationem extra bona matrimonij, vt scilicet non accedat ad vxorem, vt vxor est, sed solùm vt mulier, idem facere paratus cum ea, ac si non esset vxor, tunc delectatio actus matrimonialis est peccatum mortale: Si autem in delectatione non ponit vltimum finem, ità quod potius ab ea abstineret; quàm contra præceptum Dei ageret, vel si eam quærit intra bona matrimonij, vt scilicet ad aliam nullo modo accedere vellet, quàm ad vxorem, sic est peccatum veniale. 4. *senten. vbi sup. art. 3. & q. 15. de malò art. 2.*

QVÆSTIO LIV.

De Actu matrimonij, qui pertinet ad bonum fidei.

1. Quomodò alter coniugum tenetur alteri debitum reddere?

ALter coniugum tenetur alteri ad redditionem debiti de necessitate præcepti in his, quæ ad generationem prolis pertinent, quia vnus habet potestatem in corpus alterius

terius quantùm ad generatiuam virtutem, salua tamen corporis incolumitate; quia si alter coniugum haberet infirmitatem, & ex carnali actu ei periculum immineret, non teneretur reddere. 4. *sent. dist.* 32. *art.* 1. & 2. *q.* 2. & 4. *ad* 4.

2. *Quando vir tenetur debitum reddere vxori non petenti?*

TEnetur vir debitũ reddere vxori, etiam si non expressè verbis petat propter verecundiam, sed interpretatiuè, quando scilicet percipit per aliqua signa, quod vxor vellet sibi debitum reddi, ex quibus timetur periculum, ad quod vitandum ordinatur debiti redditio. 4. *sent. vbi supra art.* 2. & *ad* 1.

3. *Quando petere debitum in fluxu menstruorum mulieris, & similiter reddere, est peccatum?*

SI fluxus menstruorum est naturalis, quando scilicet mulieres sunt sanæ, & patiuntur temporibus determinatis, prohibitum est viro, & similiter mulieri in tali fluxu debitũ petere, & reddere voluntariè propter nocumentum, quod in prole ex huiusmodi commixtione frequenter sequitur. Si verò fluxus menstruorum est innaturalis, quando scilicet mulieres quasi continuè ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur, non est prohibitum in tali fluxu debitum petere, & reddere; tùm quia mulier in tali statu concipere non potest; tùm quia talis fluxus est perpetuus, & diuturnus: vnde deberet coniux perpetuò abstinere. 4. *sent. vbi sup. art.* 2, *q.* 1, & 2, & *ad* 1, & 2.

4. *Quid debet facere mulier menstruata ne debitum reddat?*

SI vir scienter petit debitum mulieri menstruatæ, debet mulier eum precibus auertere, & monitis, non tamen ita efficaciter, vt possit esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id pronus credatur: si autem ignoranter debitum petit, potest mulier aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur; si tamen vir non desistit à petitione, debet debitum reddere; passionem verò suam non est tutum indicare, ne fortè vir ex hoc in eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia præsumatur. 4. *sent. vbi sup. art.* 2. *q.* 2.

5. *Quare alter coniugum non potest votum continentiæ emittere sine consensu alterius?*

NOn potest alter coniugum continentiam vouere sine consensu alterius. 27. *q.* 2. *si tu*, & 33. *q.* 5. *si dicat*, quia coniuges sibi inuicem tenentur in redditione debiti; & si vouerit, peccat, nec debet seruare votum, sed agere pœnitentiam de malo voto facto. Vnde dicitur 1. Cor. 7. *Neque fraudetis inuicem, nisi ex consensu, vt vacetis orationi*. 4. *sent. vbi sup. art.* 4. & *ad* 3.

QVÆSTIO LV.

De Pluralitate vxorum.

Quomodo pluralitas vxorum est contra legem naturæ?

PLuralitas vxorum est contra legem naturæ, quia licèt non impediat primum finem matrimonij, qui est prolis procreatio, & educatio, quia vnus vir sufficit pluribus vxoribus fęcundandis, & educandis filijs ex eis natis, tamen multùm impedit secundarium finem, qui est societas in communem vitam, eo quod non facilè potest esse pax in familia, vbi vni viro plures vxores iungantur. In veteri autem lege licitum erat plures vxores habere per diuinam dispensationem, mentibus sanctorum Patrum inspiratam, & eorum exemplis ad alios deriuatam, eo tépore, quo cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur; quod non est licitum in noua lege, in qua est tempus plenitudinis gratiæ, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est. *4. sent. dist. 33. q. 1. art. 1. & ad 4. & art. 2. & 3. cont. gent. c. 124. & statuit Conc. Trid. sess. 24. can. 2.*

QVÆSTIO LVI.

De Libello repudij

2. *Quare inseparabilitas matrimonij est de lege naturali, & diuina?*

RAtio indissolubilitatis matrimonij, vt est in officium naturæ, est proles, quæ est commune bonum viri, & vxoris; & sic indissolubilitas matrimonij est de lege naturæ. Hanc veritatem ratione ductus cognouit *Arist. 8 Eth. cap. 12.* dicens, vinculum viri, & vxoris esse filios. Vnde citius, qui liberis carent, dissolui consueuerunt, quippe cum filij commune bonum ambobus sint, quod autem commune est, connectit. Ratio autem indissolubilitatis matrimonij, vt est sacramentum, est perpetua coniunctio Christi, & Ecclesiæ, quam significat: & sic est indissolubile de iure diuino. Quod intelligendum est de matrimonio consummato, quia matrimonium ante carnalem copulam, quod dicitur matrimonium ratum, significat coniunctionem Christi ad animam per gratiam, quæ quidem soluitur per peccatum, & ideo est aliquo modo separabile. Sed post carnalem copulam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quantùm ad assumptionem naturæ humanæ in vnitatem personæ, quæ est omnino indissolubilis. Vnde Leo Papa, vt refertur. *27. q. 2. c. cum societas* ait: Societas nuptialis ita est à principio instituta, vt præter commixtionem sexuum non habeat coniunctionis Christi, & Ecclesiæ sacramentum. & tenet Caiet. *to. 1. opusc. tract. 28. q. vnica. 4. sent. d. 27. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1. & ad 3. & dist. 33. q. 2. a. 1. & ad 2. & 3. cont. gent. c. 123.*

2. *Quomodo libellus repudij lege permissus fuit?*

LIbellus repudij fuit lege permissus absque pœna secundùm leges

leges infligenda, sed non absq; culpa, ad maius malum vitandum; scilicet vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant propter corruptionem irascibilis. Et tum vir, dimissa vxore, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere, quia poterat ex diuina dispensatione plures vxores simul habere, vt dictum est. Sed non poterat vxor alteri nubere, quia numquã vxori licuit habere plures viros. 4. *sent. dist. 33. q. 2. art. 2. q. 1. & 2. & ad 1.*

QVÆSTIO LVII.

De Diuortio.

1. *Quare licitum est viro dimittere vxorem?*

DImittere vxorem Dominus concessit propter fornicationem, in pœnam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius, qui seruauit, vt non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui fidem non seruauit. Sunt tamen aliqui casus, in quibus non licet viro dimittere vxorem fornicantem. Primus est, si vir similiter fornicatus fuerit. *cap. significauit. de diuor.* Secundus, si vxorem prostituerit. *cap. descriptionem de eo qui.* Tertius, si adulter ad eam accesserit sub specie viri. Quartus, si fuerit vi oppressa 32. *q. 5. cap. proposito.* Quintus, si eam pœniteat. Sextus, si eam sibi reconciliauerit post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. *ead. causa. q. 2. ca. dixit 4. sent. dist. 35. art. 1. & 2.*

2. *Quando licitum est viro dimittere vxorem proprio iudicio?*

POtest vir dimittere vxorem, quãtum ad thorum tantum proprio iudicio, quando sibi constat de fornicatione vxoris; & etiam propter alia peccata ad tempus ad castigationem eius: sed quantum ad thorum, & cohabitationem non potest eam dimittere, nisi iudicio Ecclesiæ, & si aliàs dimitteret, deberet cogi ad cohabitandum. *de diuor. cap. porro.* Et tradit Conc. Trident. *sess. 24. can. 8.* Potest tamen vir vxorem sibi reconciliare, si post diuortium de peccato pœnitentiam agens, emendata fuerit 4. *sent. vbi supra. art. 3. & 6. & dist. 39 art. 6.*

3. *Quomodo adulterium est causa diuortij in viro, & vxore?*

ADulterium est causa sufficiens diuortij in viro, & vxore, inquantum est contra bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicẽ tenentur. *c. significasti. de diuor. & cap. tua. de adult.* Sed in quantũ est contra bonũ prolis, est maior causa diuortij in vxore, quam in viro propter incertitudinem prolis. 4. *sent. vbi sup. art. 4.*

QVÆSTIO LVIII.

De Impedimentis dirimentibus matrimonium.

IMpedimenta matrimonij, quæ secundùm Ecclesiæ statuta non solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam contractũ dirimunt, his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Post Concilium Tridentinum.
Si Parochi, & duplicis desit praesentia testis,
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tutae;
Haec facienda vetant, connubia facta retractant.

Horum tamen non potest aliquid dirimere matrimonium, si sequatur matrimonium, sed tantum si praecedat. 4. *sent. dist.* 34. *art.* 1. & *ad* 6. & *dist.* 36. *art.* 3. & *dist.* 39. *art.* 3. *ad* 1. & *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. & *statuit Conc.* Trident. *sess.* 24. *can.* 4.

Est autem aduertendum secundum Nauar. cap. 22. *num.* 73. *quod quando matrimonium contractum in facie Ecclesiae coram Parocho, & testibus, praemissa trina denuntiatione, iuxta Conc. Trid. decretum, propter aliquod huiusmodi occultum impedimentum, decernitur esse nullum, & oportet, vt denuo contrahatur, sublato per dispensationem impedimento: non sunt necessarij Parochus, & testes, sed sufficit, vt denuo vtrinque accedat consensus, & tenet Caiet. in summa, verbo, matrimonium.*

QVAESTIO LIX.

De Coactionis impedimento.

Quando coactio metus tollit matrimonium?

Coactio metus, qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium *cap. veniens.* 1. *de spons.* Iudicatur autem vir constans, qui cogitur ad sustinendum minus malum propter metum maioris mali, quae sunt mala corporalia, inter quae praecipua sunt, quae ad personam pertinent, sicut mors, verba, dehonestatio per stuprum, & seruitus, siue haec pertineat ad personam propriam, siue vxoris, siue filiorum, vel aliorum huiusmodi. Tenet tamen matrimonium, si postea persona, quae coacta fuit, liberè in matrimonium consentiat, & tenet Caiet. in summa, verbo, *Matrimonium*, & Nauarr. *cap.* 22. *num.* 51. 4. *sent. dist.* 29. *art.* 2. & *ad* 2. & *art.* 3.

QVAESTIO LX.

De Impedimento erroris.

Quando error dirimit matrimonium?

Error personae, quae coniungitur, tollit matrimonium, quia est de essentia matrimonij, sicut cum alter coniugum putat alterum esse Petrum, vel Mariam, & non est. Error verò qualitatis, vel fortunae non tollit matrimonium, quia non variat aliquid eorum, quae sunt de essentia matrimonij, sicut cum putat coniugem esse diuitem, vel nobilem, vel virginem, & non est. 29. q. 1. nisi error qualitatis ad personam pertineat, sicut si intendebat cum primogenito contrahere. 4. *sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. & *ad* 4.

QVAESTIO LXI.

De Frigiditatis impedimento.

Quando frigiditas soluit matrimonium?

Frigiditas, quae est naturalis impotentia coeundi ex causa intrinseca,

secca, si sit temporalis, cui potest subueniri beneficio medicinæ, vel processu ætatis, non soluit matrimonium. Si autem sit perpetua, tollit matrimonium, quia matrimonium est contractus quidam, quo vnus alteri obligatur ad debitum carnale soluendum; & ideo si aliquis non potest debitum soluere, contractus est nullus, quia nullus obligatur ad impossibile. Iudicatur autem ab Ecclesia perpetuitas talis impotentiæ per triennium, nisi se deceptam inueniat, quia tunc reintegrat matrimonium. Hoc autem impedimentum non potest esse in muliere, sed solùm in viro, quia in viro, qui est agens in generatione, requiritur maior caliditas, quàm in muliere. Et ideo frigiditas, quæ facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem. Sed in muliere potest esse impedimentum naturale ex alia causa, scilicet arctatione, & tunc idem est iudicium de arctatione mulieris, & de frigiditate viri: *de frigid. & malef. per totum. 4. sent. dist. 34. art. 2. & ad 6. & quodl. 11. art. 10. & 11.*

QVÆSTIO LXII.

De Maleficij impedimento.

Quando maleficium dirimit matrimonium?

Maleficium, quod est accidentalis impotentia coeundi ex causa extrinseca, dirimit matrimonium, si præcedat, & sit perpetuum, quod eodem modo Ecclesia determinat per triennium, sicut de frigiditate dictum est. 33. q. 1. *si per sortiarias*. Tamen hæc est differentia, quia ex frigiditate homo est impotens ad omnes mulieres: & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia, vt alteri coniungatur: Sed ex maleficio homo potest esse impotens ad vnam, & non ad aliam: & ideo, quando iudicio Ecclesię matrimonium dirimitur, vtrique datur licentia, quod alteram copulam quærat. Maleficium etiam est ita perpetuum, quod non potest humano opere remedium adhiberi, sed solùm Dei virtute, qui potest remedium præstare dæmonem cogendo, vel etiam dæmone desistente: non enim per aliud maleficium destruendum esset, si posset, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium inuocare. Permittitur autem diabolo potestas maleficij in actu generatiuæ potentiæ magis, quàm in alijs, quia per ea peccatum Originale transfunditur, per quod homo seruus factus est diaboli. Etsi in aliquem data est potestas diabolo propter aliquod peccatum, non oportet, quod cessante peccato, cesset potestas, quia pœna interdum remanet, culpa remissa, *4. sent. dist. 34. art. 3. et ad 1. et 3. et in exposit. text. et Quodl. 11. ar. 10.*

QVÆSTIO LXIII.

De Seruitutis impedimento.

Quando conditio seruitutis tollit matrimonium?

Seruitus ignorata ab alio coniuge, tollit matrimonium, si coniux

sit liberæ conditionis, & seruus contrahat sine consensu domini, quia non potest liberè debitum reddere: in matrimonij autem contractu vnus coniugum obligatur alteri ad debitum reddendum: Si autem libera sic contrahat, quod esset parata contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis, vel post contractum matrimonium, cognita conditione, affectu maritali copulam habeat, & nouus consensus accedat, matrimonium tenet secundùm Nauar. *cap.* 22. *num.* 33. *& habetur cap. proposuit, & cap. ad nostram, de coniug. seru.* Seruitus autem à coniuge scita, etiam si seruus contrahat sine consensu domini, nòn tollit matrimonium; nec ex parte coniugis, quia potest in eo, quod sibi debetur, spontè detrimentum pati: nec ex parte domini, quia seruus non subditur ei in hoc, quod non possit liberè matrimonium contrahere, quod est de lege naturali, inquantum ordinatur ad generationem prolis; sed subditur ei in his, quæ naturalibus superadduntur: seruitus enim est de iure positiuo, *cap. ad nostram de coniug. seru.* Quæ omnia sunt etiam intelligenda de libero contrahente cum serua. *4. sent. dist.* 36. *art.* 1. *& ad* 1. *& art.* 2. *& ad* 2. *&* 3. *& Quodl.* 11. *art.* 10.

QVÆSTIO LXIV.

De Impedimento Ordinis.

1. *Quomodo Ordo sacer impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum?*

ORdo sacer ex vi Ordinis impedit matrimonium contrahendum ex quadam congruentia, secundùm constitutionem Ecclesiæ, *dist.* 82. *plurimos, & dist.* 34. *cum in præterito*, quia in sacris Ordinibus constituti sacra tractant: Et ideo decens est, vt munditiam corporalem per continentiam seruent. Aliter tamen apud Latinos, quàm apud Græcos; quia apud Græcos Ordo sacer solùm ex vi Ordinis impedit matrimonium contrahendum, sed apud Latinos ex vi Ordinis impedit matrimonium contrahendum, & ex voto solemni continentiæ, quod est sacris Ordinibus annexum, & tunc in susceptione Subdiaconatus expressè emittitur. Si susceptio Ordinis matrimonium præcedat, dirimit matrimonium contractum, *de cle. con. cap.* 1. & contrahens excommunicationem ipso facto incurrit. *Clem. vnica de con. & af.* Si verò matrimonium sequatur, impedit matrimonij vsum. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 7. *&* 4. *sent. dist.* 37. *qu.* 1. *art.* 1. *& dist.* 38. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 2. *& Quodl.* 3. *art.* 18. *& Quodl.* 8. *art.* 10. *& declarat Conc. Trid. sess.* 24. *can.* 9.

2. *Quando matrimonio iunctus potest Ordinem sacrum suscipere?*

SI vir contradicente vxore ad sacros Ordines accedat, characterem Ordinis suscipit; sed executione Ordinis caret. Nec potest petere debitum, nec vxor tenetur ei reddere, sed ipse tenetur vxori debitum reddere. Si autem volente vxore Ordinem sacrum susceperit, recipit Ordinem, & executionem; sed tenetur vxor perpetuam continentiam vouere, vel religionem intrare, si sibi timeat

meat de periculo castitatis, *de conuerf. coniug. cap. coniugatus. 4. sent. dist. 37. q. 1. art. 2. et ad 1. et 2.*

QVÆSTIO LXV.

De Ligaminis impedimento.

Quomodo ligamen dirimit matrimonium?

LIgamen scilicet matrimonij per verba de præsenti dirimit secundum matrimonium, etiam consummatum; primum enim matrimonium facit, quod non stet secundum *cap. 1. de sponf. duor.* Vnde si mulier ex aliquo certo indicio habito de morte viri, cum alio contraxit, & postea oritur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ certitudinem facere non possit, non debet petere, nec reddere debitum. Si autem causa illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non petere. Si autem sit leuis suspicio, potest reddere, & petere; quia debet causam illam potius abijcere, quàm secundum hoc conscientiam formare, *cap. inquisitioni de sent. excom. 4. sent. dist. 35. et 38. in exposit. l. et dist. 41. art. 5. ad 3.*

QVÆSTIO LXVI.

De Criminis impedimento.

Quando crimen soluit matrimonium?

CRimen dirimit matrimonium. Primò quidem, quando aliquis occidit suam vxorem, vt ducat eam, cum qua mœchatur; tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod si de facto cum ea contraxit, matrimonium dirimitur. Si autem interficit eam, non vt alteram ducat, sed propter adulterium, vel odium, vel aliam causam, tunc crimen impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, vt habetur *cap. interfectores 33. q. 2.* Secundò, crimen soluit matrimonium contractum, quando aliquis occidit virum machinatione vxoris, vt patet *cap. laudabilem, de conuerf. Infidel.* vel quãdo cum aliqua coniugata concubuit, & ille, vel illa machinatur in mortem viri cum effectu *31. q. 1. cap. si quis viuente, vbi glos.* hos casus exponit cum conditione, quod vir occidatur ad hoc, vt inter eos matrimonium contrahatur. Si autem occidatur causa inimicitiæ, vel ex alia causa, non dirimitur matrimonium, vt patet dicto *cap. laudabilem* § *ad hac*, & tenet *Nauar. cap. 22. num 53.* Tertiò, crimen dirimit matrimonium, quando aliquis præstat fidem adulteræ, vt post legitimi mariti mortẽ, si superuiuet, ducet eam vxorem, *de eo, qui dux. in matrim. cap. si quis, et 31. q. 1. cap. relatum.* Quod intelligendum est, quando tàm adulter, quàm adultera sciebat impedimentum. Quartò, quando aliquis contrahit de facto cum adultera, si sciebat ante, vel post contractum matrimonium, quod illa erat coniugata, & postquam sciuit, nihilominus cum ea adulterium commisit. Si autem hoc sciuit post mortem coniugis, potest matrimonialiter cum ea coniungi,

gi, de eo, qui dux. in matrim. cap. significauit, et cap. ex litterarum. 4. sent. dist. 35. in exposit. l. et dist. 7. qu. 2. art. 2.

QVÆSTIO LXVII.

De Voti impedimento.

Quando votum solemne dirimit matrimonium?

VOtum solemne dirimit matrimonium contractum, *cap. meminimus, qui cler. vel vou. et cap. vnico de vot. in 6.* quia in voto solemni est promissio cum quadam traditione, inquantum aliquis corpus suum Deo non solùm promittit, sed etiam tradit ad perpetuam continentiam; & ideo non potest ipsum tradere in potestatem vxoris ad matrimonium contrahendum. *2. 2. q. 189. art 8. ad 3. et 4. sent. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. et Quodl. 3. art. 18. et Quodl. 8. art. 20. et Quodl. 9. art. 11. et opusc. 17. cap. 12. et tradit Conc. Trid. sess. 24. can. 9.*

QVÆSTIO LXVIII.

De Disparitatis cultus impedimento

1. Quando disparitas cultus dirimit matrimonium?

DIsparitas cultus impedit matrimonium contrahendum; quia principalius bonum matrimonij est proles ad cultum Dei educanda, quod fieri non potest, si Fidelis contrahat cum quacumque Infideli siue Gentili, siue Iudęa, siue Hæretica, nisi promittat se futuram Fidelem, vel Catholicam, *28. q. 1. cap. caue. et cap. non oportet.* Dirimit autem si sit disparitas cultus quantùm ad baptismum; quia baptismus ratum efficit matrimonium, *de diuor. cap. quanto,* & ideo si aliquis Fidelis cum hæretica matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamuis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam, sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret, nisi sit talis hæretica, quæ baptismi sacramentum non acceperit, aut non in forma Ecclesiæ fuerit baptizata. E conuerso autem si aliqua catechumena habens rectam fidem, sed nondum baptizata cum aliquo Fideli baptizato contraheret, non esset verum matrimonium, *d. cap. caue.* & gloss. communiter recepta *in d. cap. non oportet.* Eadem ratio est si mulier Fidelis contrahat cum Infideli. *4. sent. dist. 39. art. 1. et ad 1. et 5. et in expositione l.*

2. Quando per conuersionem alterius coniugis ad Fidem matrimonium soluitur?

SI Infidelis vult cohabitare cum Fideli sine contumelia Creatoris, & spes esset de eius conuersione, non potest Fidelis alteri nubere, sed expediens est, quod infidelem non dimittat, & de hoc est consilium Apost. 1. Cor. 7. Si infidelis consentit habitare cum Fideli, non dimittat illum. Si autem Infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens,

pene, & nomen Christi audire nolens, & conatur Fidelem ad Infidelitatem pertrahere, potest Fidelis alteri per matrimonium copulari, priùs requisito Infideli, quod conuertatur, quia matrimonium Infidelium non est firmum, & ratum, sed ratificatur per Fidem Christi, *d. cap. quanto*, & tunc efficitur sacramentum. Eadem ratione Fidelis potest religionem intrare, vel sacros Ordines sumere. *4. sent. vbi sup. art. 3. et 5. et ad 1. et 4. et art. 6.*

3. Quid si Infideles conuersi contraxerint in gradibus prohibitis?

SI Infideles non baptizati contraxerint in gradibus secundùm legem diuinam prohibitis *Leuit.* 18. siue vterque, siue alter conuertatur, non possunt in tali matrimonio commanere, quia sunt adstricti statutis iuris diuini. Si autem contraxerint in gradibus prohibitis per statutum Ecclesiæ, possunt commanere, si vterque conuertatur, vel si vno conuerso, spes sit de conuersione alterius; quia non sunt obligati statutis Ecclesiæ, quæ non habet de his, quę foris sunt, iudicare, vt dicit Apost. 1. Corin. 15. *et habetur de conf. et aff. cap. super eo, et cap. gaudemus, de diuor. 4. sent. vbi sup. art. 3. ad 3.*

4. Quid si Infidelis conuersus habeat plures vxores?

SI Infidelis habet plures vxores, & ipse cum omnibus suis vxoribus conuertatur, non est verum matrimonium, nisi cum prima, etiam si sit repudiata, cum qua potest cohabitare, & alias debet abijcere, quia habere plures vxores est lege naturali prohibitum; vt dictum est, cui etiam Infideles sunt adstricti. Si autem prima conuerti noluerit, & aliqua aliarum conuertatur, potest cum ea denuo matrimonium contrahere. *d. c. gaudemus. 4. sent. vbi sup. art. 3. ad 4. & 5.*

QVÆSTIO LXIX.

De Carnalis cognationis impedimento.

1. Quomodo consanguinitas dirimit matrimonium?

COnsanguinitas, quæ causatur per carnalem propagationem, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, quantùm ad aliquas quidem personas, scilicet parentes filio, & de iure naturali, quia est per se indecens, & repugnans naturali rationi. Quantum ad aliquas, verò, quæ debent simul conuersari, est prohibitum matrimonium de iure diuino. *Leu.* 18. ad concupiscentiam reprimendam, cui magnus aditus præberetur, si illæ personæ, quas oportet in eandem domo conuersari, vt pote ad eadem familiã pertinentes, possent matrimonium contrahere. Quantùm autem ad aliquas, quæ sunt consanguinitate coniunctæ vsque ad quartum gradũ, est matrimonium interdictum ex statuto Ecclesiæ propter fœdus amicitię inter homines ampliandum, quod fit, dum matrimonia non contrahuntur

inter

inter eos, qui aliquo naturali fœdere iunguntur. *cap. non debet. de conf. & aff. & cap. inhibitio de sponf.* 4. *sent. dist.* 40. *art.* 3. & 4. & *ad* Hanni. *art.* 2. & 3. *cont. gent. cap.* 125.

2. *Quando affinitas dirimit matrimonium?*

Affinitas, si præcedit, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit cõtractum vsque ad quartum gradum. *cap.* 1. & 2. & *cap. non debet de conf. & aff.* si autem sequatur, impedit actum matrimonij. Contrahitur autem affinitas ratione carnalis copulę per seminum mixtionem 35. *q.* 2. & 2. quia ex tali copula potest proles produci, & vir, & mulier efficiuntur vna caro. Vnde quantumcumque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas; & sic non solùm ex matrimoniali concubitu, sed etiam ex fornicatio affinitas contrahitur, secundùm illud 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*. & habetur de eo. *qui conf. vxor cap. tua fraternitati*. Quamuis impedimentum hoc affinitatis ex fornicatione contractæ, ex Conc. Trid. decreto *sess.* 24. *cap.* 4. secundum gradum non excedat. Quæ restrictio non solùm intelligenda est de impedimento dirimente; sed etiam impediente, vt Sac. Congregatio decidit. Contrahitur etiam affinitas ratione societatis in communem vitam; & sic contrahitur ex ipso contractu matrimonij per verba de præsenti ante carnalem copulã. Similiter ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio coniugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publicę honestatis iustitia, *cap.* 1. *de sponf. lib.* 6. Hoc etiam impedimentum Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. restringit ad primum gradum: & ad hoc, quod tale impedimentum non oriatur, quando sponsalia quacumque ratione sunt inualida, scilicet ex consanguinitate, vel affinitate, vel ex voto religionis, vel castitatis, vel ex defectu consensus, vel ætatis, non obstante *d. ca.* 1. *de sponsal.* per quod ex sponsalibus oritur impedimentum iustitię publicę honestatis, etiã si consanguinitate, vel affinitate, vel religione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus. 4. *sent. dist.* 41. *art.* 1. *q.* 2. & 3. *ad* 2. & *art.* 2.

3. *Quando incestus tollit matrimonium?*

Incestus, quo aliquis cognoscit consanguineam vxoris suæ ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, impedit matrimoniũ contrahendum, & dirimit postea contractum ratione affinitatis inde contractæ vsque ad secundum gradum, si crimen sit publicum, vel probatum. *de eo, qui cogn conf. vxor. suæ c. de illo*. Sed post matrimonium contractum, & consummatum vir amittit ius petendi debitum, & ideo non potest petere sine peccato, sed tenetur reddere petenti; quia vxor non debet puniri de peccato viri. *c. si quis &c.* super eod. tit. in quo tamen potest Episcopus dispensare, vt tenet. *Armil. verb. dispensatio* §. 18.

Con-

Contrahentes autem scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis prohibitis, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt, & publicari debent, & vitari, & ab inuicem separari. *Clem. 1. de cons. & aff. ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 5. 4. sent. dist. 34. art. 5.*

QVÆSTIO LXX.

De Spiritualis cognationis impedimento?

Quando spiritualis cognatio dirimit matrimonium?

SPiritualis cognatio contrahitur per Baptismum, & Confirmationem, quia sicut cognatio carnalis contrahitur per actum generationis, sic spiritualis cognatio contrahitur per actum regenerationis. Duplex est autem carnalis generatio: Prima quidem in vtero, in quo id, quod generatum est, est adeo debile, quod non potest extra exponi sine periculo, & huic generationi simulatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fouendus intra vterum Ecclesiæ. Secunda est generatio ex vtero, quando id, quod generatum est, tantum est roboratum, quod potest sine periculo exterioribus exponi, quæ nata sunt corrumpere, & huic simulatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. Contrahitur autem hæc cognatio inter baptizantem, & baptizatum, & suscipientem baptizatum de sacro fonte: & similiter inter confirmantem, & confirmatum, ac tenentem confirmandum: *cap. veniens de cogn. spi. & cap. 1. eod. tit. lib. 6.* quia sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre, & matre, ita in generatione spirituali aliquis renascitur ex Deo sicut patre, & Ecclesia sicut matre: ille enim, qui sacramentum confert, gerit personam Dei, cuius est minister; qui verò baptizatũ suscipit de sacro fonte, vel confirmandum tenet, gerit personam Ecclesię. Contrahitur etiam hęc cognatio inter baptizantem, & baptizati patrem, & matrem; nec non inter suscipientem, & baptizati patrem, & matrem similiter inter confirmantem, ac tenentem, confirmatique patrem & matrem, & tradit Conc. Trid. *sess. 14 cap. 2.* Huiusmodi autem cognatio, si pręcedat, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Si autem sequitur, quandoque impedit actum matrimonij, quandoque non: Si enim talis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cum pater baptizat puerum in articulo mortis, tunc non impedit matrimonij actum. *30. q. 3. ad limina.* Si autem inducitur extra casum necessitatis, tunc aut inducitur ex ignorantia, adhibita debita diligentia; & sic non impedit actum matrimonij, aut inducitur ex industria, & sic impedit matrimonij actum, ita scilicet, vt ille, ex cuius actu inducitur, amittat ius petendi debitum; debet tamen reddere, quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare. *4. sen. dist. 42. q. 1. art. 1. 2. & 3, & q. 2. & Quodl. 12. art. 19.*

QVÆ-

QVÆSTIO LXXI.

De Legalis cognationis impedimento.

Quomodo legalis cognatio impedit matrimonium?

COgnatio legalis, quæ est per adoptionem, est triplex. Prima quasi descendentium contrahitur inter patrem adoptantem, & filiũ adoptatum, & filium filij adoptiui, & nepotem vsque ad quartum gradum. Secunda est inter filium adoptatum, & filium naturalem. Tertia est per modũ cuiusdam affinitatis inter patrem adoptantem,& vxorẽ filij adoptati, vel è conuerso inter filiũ adoptatum,& vxorem patris adoptantis. Prima, & tertia cognatio perpetuò matrimonium impediunt. Secunda autem quamdiu adoptatus in potestate manet patris adoptantis. Vnde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium:& ratio huius impedimenti assignatur,ne facilis pateat aditus concupiscentiæ, quia filius adoptatus conuersatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, & ideo humanis legibus prohibitum est inter eos matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata. *cap. vnico de cogn. leg. 4 sent dist. 42. q. 2. art. 2. & 3.*



DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBVS MATRIMONIVM.

QVÆSTIO LXXII.

De Voti impedimento.

Quomodo votum simplex impedit matrimonium?

VOtum simplex impedit matrimonium contrahendum *qui cler. vel vov. c. rursus*, quia votum simplex est promissio, ex qua aliquis obligatur ad seruandam continentiã. Non dirimit autem matrimonium contractum, quia per huiusmodi votum aliquis promittit tantùm corpus suum Deo ad continentiam seruandam; & ideo post ipsum votum remanet dominus proprij corporis, & per consequens potest illud tradere vxori, in qua traditione matrimonium consistit; mortaliter tamen peccat, tradendo contra promissionem:& si matrimonium non sit consummatum, adhuc potest continentiæ votum implere per ingressum religionis, vt supra dictum est: Si autem matrimonium iam sit consummatum, obligatur etiam ad seruandum votum: & ideo non potest petere debitum sine peccato mortali, nisi cum eo Ecclesia dispensaret auctoritate Apostolica; tenetur tamen reddere, siue vxor petat expressè, siue interpretatiuè, quando verecunda est, & vir percipit eius voluntatem de reddendo debiti, & præcipue si timet de periculo castitatis; mor-

mortua autem vxore debet totaliter continere. Idem dicendum est de vxore, quę continentiam vouet 4. *sent. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *& ad* 3. *&* 4. *& Quodl.* 3. *art.* 18. *& ad* 1. *& Quodl* 8. *art.* 10. *& Quodl.* 10. *art.* 11. *& opus.* 17. *cap.* 12.

QVÆSTIO LXXIII.

De Sponsalium impedimento.

Quomodo sponsalia impediunt matrimonium?

SPonsalia impediunt matrimonium contrahendum ratione promissionis, qua vnus obligatur alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non seruans promissum, nisi legitimè interueniat impedimentum, vt supra dictum est: & ideo Ecclesia iniungit pœnitentiam pro peccato, non tamen cogit, quia matrimonia coacta consueuerunt malos exitus habere. *ca. de illis, & cap. praeterea.* 1. *de spons.* 4 *sent. dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *& Quodl.* 5. *ar.* 15.

QVÆSTIO LXXIV.

De Incestus impedimento.

Quomodo incestus impedit matrimoniū?

INcestus, quo aliquis abutitur consanguinea vxoris, impedit matrimonium contrahendum cum quacumque alia. *ca. si quis & ca. ex litteris.* de eo qui *cog. cons. vxor.* & ideo mortua vxore debet omnino manere absque spe coniugij, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu 33. *q.* 2. *si quis cum duabus*, si tamen contrahat, peccat contra statutum Ecclesiæ faciens, sed non est matrimonium separandum 4. *sent. dist.* 34. *ar.* 5. *& dist.* 35. *in expos. l.*

QVÆSTIO LXXV.

De Vxoricidij impedimento.

Quomodo vxoricidium impedit matrimonium?

VXoricidium, quo aliquis occidit suam vxorem, impedit matrimonium contrahendum cum alia, ratione culpæ 33. *q.* 2. *interfectores* non tamen dirimit contractum, nisi occidat eam intentione contrahendi cum adultera, vt dictum est. 4. *sent. dist.* 35. *in expo. l. & dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *& Quodl.* 5. *art.* 15. *ad* 1.

QVÆSTIO LXXVI.

De Sacerdotis occisionis impedimento.

Quando occisio Sacerdotis impedit matrimonium?

OCcisio sacerdotis impedit matrimonium contrahendum ratione delicti, quod intelligendum est quando aliquis conuictus est de hoc in iudicio. *de pœn. & remiss. cap. qui presbyterum* 4. *sent. dist.* 35. *in expos. l.*

QVÆSTIO LXXVII.

De Raptus impedimento.

Quomodo raptus impedit matrimoniū?

RAptus impedit matrimonium contrahendum, qui enim rapit

pit puellam, primò tenetur eam patris potestati restituere, & tunc de voluntate parentum licitè potest eam in vxorem accipere. 27. q. 2. *statutum* 2. 2. q. 154. a. 7. ad 3. & 4 *sent. d.* 35. *in exp. l. & statuit Con. Trid. sess.* 24. c. 6.

QVÆSTIO LXXVIII.

De Impedimento susceptionis proprij filij de sacro fonte.

Quando susceptio proprij filij de sacro fonte impedit matrimonium?

SI aliquis proprium filium de sacro fonte suscepit, insidiando matrimonio, vt scilicet contrahat cognationē cum vxore, ne debitū reddat, mortua vxore, non potest cum alia contrahere. *cap. de eo* 30. *q.* 1. 4. *sent. vbi sup.*

In his tamen impedimentis ex delicto prouenientibus, scilicet incestus, vxoricidij, sacerdotis occisionis, susceptionis proprij filij, & raptus, potest Episcopus dispensare. gloss. in cap. si quis cum duabus 33. *q.* 2. *& tenet Armil. verb. matrimonium. §.* 60. *& est communis opinio. Si quis autem scienter contrahat absq; dispensatione, non excusatur à peccato mortali propter prohibitionem Ecclesiæ.*

QVÆSTIO LXXIX.

De Nuptijs.

Quando nuptiæ sunt prohibitæ?

NVptiæ sunt prohibitæ certis anni temporibus, in quibus homines præcipuè debent se ad spiritualia eleuare, quia in nuptijs animus coniugum magis ex ipsa nouitate ad curam carnalium occupatur: & ideo in nuptijs consueuerunt signa multa lætitiæ dissolutè ostendi. Hoc autem 33. *q. c.* 4. *non oportet.* 1. & 2. est ab Aduentu vsque ad diem Epiphaniæ propter communionem, quæ secundùm antiquos canones in Natiuitate fieri conuenienter solet, *de cons. dist.* 2. *cap. & si frequenter, cap. sæculares, & cap. omnis homo*, & ex *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 10. à feria quarta Cinerum, vsque ad octauam Paschatis propter communionem Paschalem. Nomine autem nuptiarum, secundùm Caiet. in summa, verbo, Matrimonium, & Nauar. *cap.* 22. *nu.* 71. & habetur *eadem. q. c. nec vxorem*, tria prohibita intelliguntur, scilicet benedictio sponsi, & sponsæ, solemnis traductio sponsę in domum sponsi, & celebritas conuiuij. Vnde his temporibus possunt non solùm sponsalia, sed etiam matrimonia contrahi per verba de pręsenti, *de fer. cap. capellanus*, nec consummare matrimonium tali tempore est peccatum mortale, si fiat sine solemni traductione, quia hoc non cadit sub præcepto prohibitionis nuptiarum, sed est finis præcepti: 4. *sent, dist.* 32. *a.* 5. *q.* 3.



LAVS DEO.



INDEX

Decisionum omnium, quæ in hoc opere continentur.

A

Abortus quomodo est peccatum. pag. 9?.
Abstinentia quomodo est Virtus. 175.
Acceptio personarum quomodo est peccatum. 89.
Acceptio personarum quare interdum non est, si in dispensatione spiritualium minùs boni melioribus, vel consanguinei præferuntur. 89. & 90.
Acceptio personarum quando est peccatum in exhibitione honoris. ibid.
Accidia quomodo est peccatum. 66.
Accidia quomodo est speciale peccatum. ibid.
Accidia quando est peccatum mortale. ibid.
Accusatio quando obligat. 98.
Accusatio quando est iniusta. ibid.
Accusatus quando tenetur veritatem in Iudicio dicere. 99.
Accusato quando licitum est appellare. ibid.
Adiurare subditos, & superiores quomodo est licitum. 139.
Adiurare Demones quomodo licet. ibid.
Adiurare irrationabiles creaturas quomodo licet. 140.
Adoratio Imaginum quare conueniens est. 124.
Adoratio Imaginum quare licita est in noua lege, non autem in veteri. 125.
Adoratio quomodo est Deo exhibenda, Humanitati, & Cruci Christi, B. Virgini, & Reliquijs Sanctorum. ibid.
Adoratio quare requirit actum corporalem. 126.
Adulatio quomodo est peccatum. 163.
Adulatio quando est peccatum mortale. ibid.
Adulterium quomodo est species Luxuriæ. 185.
Aduocatus quando tenetur gratis præstare patrocinium causæ pauperum. 101.
Aduocatus quando est prohibendus ab officio Aduocandi. 102.
Aduocatus quando peccat, si iniustam causam defendit. ibid.
Aduocatus quid facere debet, si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat esse iniustam. ibid.
Aduocatus quomodo potest pro suo patrocinio pretium accipere. ibid.
Affabilitas in quo consistit. 16?.
Ambitio quomodo est peccatum. 171.
Apostasia quomodo pertinet ad infidelitatem. 45.
Apostasia quomodo priuat iure dominij. ibid.
Astutia quomodo est peccatum. 78.
Auaritia quomodo est radix omnium malorum. 15.
Auaritia quomodo est peccatum. 164.
Auaritia quomodo est peccatum mortale. ibid.

B

Baptismi materia, quæ est. 218.
Baptismi forma, quæ est. 219.
Baptismo quare non est necessaria im-

mersio in aqua, neque trina immersio. 220. e 221.
Baptismo quare sufficit effusio aquæ in caput. 221.
Baptismum cur suscipiunt accedentes sine fide. 227
Baptismus quid est. 218.
Baptismus quando fuit institutus. ibid.
Baptismus quare non valet in nom e Genitoris, Geniti, & Procedentis. 219.
Baptismus quare non valet in nomine Trinitatis implicitè. ibid.
Baptismus in nomine Christi, quare in primitiua Ecclesia poterat conferri. 220.
Baptismus quomodo est vnus in trina immersione. 221.
Baptismus quare est irreiterabilis. ibid.
Baptismus quomodo distinguitur in Baptismum aquæ, sanguinis, & fluminis. ibid.
Baptismus sanguinis quomodo est potissimus inter alia Baptismata. 222.
Baptismus quomodo est de necessitate salutis. 225.
Baptismus paruulorum quare non est differendus, adultorum verò sic. 225.
Baptismus quomodo remittit omnia peccata, etiam quantùm ad reatum totius pœnæ. 228.
Baptismus quomodo confert gratiam, & Virtutes. 229.
Baptismus quare non consequitur effectū per fictionem. ibid.
Baptismus quare recedente fictione sortitur effectum suum. ibid.
Baptizandi Peccatores quare debent esse Pœnitentes. 226.
Baptizandi Peccatores quomodo tenentur peccata confiteri. ibid.
Baptizandis quare non est aliqua satisfactio imponenda. ibid.
Baptizandorum voluntas quomodo requiritur ad susceptionē Baptismi. ibid.
Baptizare quomodo pertinet ad Diaconum, Sacerdotem, & Episcopum. 222. e 223.
Baptizare, quando Vir, vel mulier potest. ibid.
Baptizare quare non potest quis se ipsum. 224.
Baptizare quare non possunt plures simul, sed possunt baptizari. ibid.
Baptizari quando filij Infidelium non possunt inuitis Parentibus. 227.
Baptizari quare pueri non possunt in maternis vteris existentes. ibid.
Baptizari quomodo possunt pueri si totaliter ex vtero matris non egrediantur. 228.
Baptizari quando possunt amentes, & furiosi. ibid.
Baptizatum tenens de sacro fonte quando tenetur instruere. 224.
Non Baptizatus quando potest baptizare. ibid.
Bellum quomodo est iustum. 69.
Bellum quare non est licitum Episcopis, & Clericis. ibid.
Benefaciendum quomodo est peccatoribus, & hostibus. 58.
Beneficientia quando debetur magis coniunctis. ibid.
Bigamia quibus modis contrahitur. 320.
Blasphemia quomodo est peccatum. 46.
Blasphemia quomodo prohibetur per præceptum Decalogi. ibid.
Blasphemia quomodo est peccatum mortale. 47.
Blasphemia quando excusat à peccato mortali. ibid.

Bla-

Blasphemia quomodo est maximum peccatum. ibid.
Blasphemia quare est grauiùs peccatum, quàm homicidium. 48.
Blasphemia cur non sunt diuersa species. 46.

C

CAnonizando Sanctos quare Papa non potest errare. 35.
Camus quare sunt assumendi in laudibus diuinis. 140.
Castitas quomodo est Virtus. 181.
Character quomodo est in potentia animæ. 214.
Character quomodo est in potentia animæ indelebiliter. ibid.
Charitas quomodo est amicitia. 51.
Charitas quomodo causatur in nobis ex infusione gratiæ. ibid.
Charitas quomodo est Vita animæ. 52.
Charitas quomodo est excellentior fide, ac spe. ibid.
Charitas quomodo est in Voluntate. ibid.
Charitas quomodo augetur. ibid.
Charitas cur non augetur quolibet actu charitatis. ibid.
Charitas in hac vita quomodo potest semper augeri. ibid.
Charitas in hac vita quomodo potest esse perfecta. 53.
Charitas quare non potest diminui. ibid.
Charitas quomodo admittitur per vnum actum peccati mortalis. 54.
Charitas quomodo se extendit ad dilectionem Dei, & proximi. ibid.
Charitas quomodo cadit sub præcepto. 73.
Charitate quomodo tenetur homo diligere se ipsum, & corpus suum. 54.
Charitate quomodo sunt diligendi peccatores. 55.
Charitate quando sunt Inimici diligendi. ibid.
Charitate quare magis tenetur homo diligere Deum, quam proximum, & seipsum. 56.
Charitate quomodo tenetur homo magis diligere seipsum, quàm proximũ. ibid.
Charitate quomodo tenetur homo magis diligere proximum, quàm corpus suum. ibid.
Charitate quare magis diligendus vnus proximus, quam alius. ibid.
Charitate quare meliores sunt magis diligendi. 57.
Charitate quomodo spiritualiter coniuncti sunt magis diligendi. ibid.
Charitate quomodo tenetur homo magis diligere Patrem, quàm Filium, & Vxorem. ibid.
Charitate quare debet homo magis diligere Patrem, quam Matrem. ibid.
Charitate diligere Inimicum, quare est magis meritorium, quàm diligere amicum. ibid.
Charit. Patriæ perfectio quomodo est impossibilis in hac vita. 53.
Charitatis gradus quot sunt. ibid.
Charit. quare dantur duo præcepta. 73.
Charit. præcept. quomodo datur de dilectione Dei. ibid.
Charit. præceptum quomodo datur de dilectione proximi. ibid.
Circumcisio quomodo fuit figuratiua Baptismi. 230.
Circumcisio quare solis maribus conueniebat. ibid.
Circumcisio quomodo conferebat gratiam iustificantem. ibid.
Circumcisio quomodo remittebat peccata. ibid.

Claues Ecclesiæ quæ sunt. 292.

Condemnatio Cardinaliū, & Episc. quare requirit testium multitudinem. 101.

Condemnato ad mortem quando licet se defendere. 99.

Condemnato ad mortem quando licet fugere. ibid.

Confessio quomodo est de necessitate salutis. 269.

Confessio actualis quando obligat. 270.

Confessio quomodo remittit culpam, & pœnam. ibid.

Confessio Generalis sacramentalis quomodo valet. ibid.

Confessio quare potest esse sine charitate, non autem contritio, & satisfactio. 271.

Confessio quare debet esse integra. 272.

Confessio venialium quare non est necessaria. 276

Confessio de quo aliquis dubitat, an sit mortale, quomodo est facienda. 275.

Confessio quando est iteranda. 276.

Confessio quare debet fieri per Verbum. 277.

Confessio quare non debet fieri Sacerdoti absenti per scriptum. ibid.

Confessio quare debet fieri proprio Sacerdoti. 278.

Confessio quare potest fieri alteri, quam proprio Sacerdoti de licentia Superioris, etiam contra eius voluntatē. 279.

Confessione facta, si pœnitens recordetur alicuius peccati mortalis quid debet facere. 275.

Confessionis conditiones quæ sunt. 271.

Confessionis Sigillum quare competit Sacerdoti. 283.

Confessor quare debet esse facilis ad dandā licentiā alteri confitendi. 279.

Confessor quare tenetur credere suo subdito dicenti se alteri confessū esse. 280.

Confessor quomodo peccat, carnaliter cognoscens mulierem confitentem. ibid.

Confessor quare non debet audire confessionem mulieris, cū qua peccauit. ibid.

Confessor inferior quomodo in actu confessionis potestatem habet in Superiorem. ibid.

Confessor quæ debet attendere in interrogationibus faciendis. 281.

Confessor quare tenetur celare confessionem. 282.

Confessor quare potest de licentia Pœnitentis peccatum alteri prodere. ibid.

Confessor quomodo potest manifestare peccatum, quod in confessione audiuit, si aliàs sciat. 283.

Confessori, vel Pœnitenti si imminet periculum ex confessione facta, quid faciendum. 280.

Confessori quæ competunt. 281.

Confessori quare in nullo casu licitum est reuelare confessionem. 282.

Confitenda quomodo sunt peccata reseruata. 272.

Confitendæ circumstantiæ quę sunt. 273.

Confitens quando excusatur à peccato fictionis si non confiteatur peccata propter ignorantiam. 275.

Confiteri quando debet pœnitens particulares circumstantias peccati carnalis. 274.

Confiteri cur debet pœnitens numerum peccatorum. ibid.

Confiteri peccata quomodo recidiuans tenetur, quæ prius confessus est. 275.

Confitens peccatum quid debet facere si non potest speciem peccati exprimere, nisi innotescendo personam, cum qua peccauit. 274.

Confirmatio quomodo est sacramentum à Christo institutum. 230.

Confirmatio quare requirit, quod Chrisma sit per Episcopum consecratum de necessitate sacramenti. 231.
Confirmatio quomodo imprimit characterem. 232.
Confirmatio quomodo confert gratiam. ibid.
Confirmatio quare est omnibus exibenda. 233.
Confirmatio quare est conferenda homini in fronte. ibid.
Confirmatio quando potest dari, vel accipi à non Ieiunis. ibid.
Confirmationem suscipiens quare debet teneri ab alio. ibid.
Confirmationis materia, quæ est. 231.
Confirmationis forma quæ est. 232.
Confirmationis character quomodo præsupponit characterem Baptismalem. 232.
Confirmationis Minister quare est Episcopus. 233.
Conscientia erronea quando ligat, & excusat. 3.
Consilium quomodo est Donum Spiritus Sancti. 76.
Contentio quando est peccatum mortale. 68.
Continentia quomodo est virtus. 187.
Contritio quid est. 267.
Contritio quomodo est pars sacramenti pœnitentiæ. ibid.
Contritio quomodo potest delere culpam, & pœnam totaliter. ibid.
Contritio quare necceßariò requirit confessionem, & satisfactionem. ibid.
Contritio quomodo debet esse continua. 268.
Contritio quomodo requiritur ad remissionem singulorum peccatorum mortalium. ibid.
Contritio quomodo requiritur ad remissionem oblitorum peccatorum. ibid.
Contritio quomodo debet esse maximus dolor. 269.
Contritus imperfectè quomodo potest esse perfectè contritus. 268.
Contritus quare debet de maiori peccato magis dolere. 269.
Contritus quare tenetur velle pati magis quamcunq; pœnã quam peccare. ibid.
Contumelia quid est. 103.
Contumelia quando est peccatum mortale. ibid.
Contumeliã dicere quando est licitũ. ibid.
Correctio fraterna quomodo est actus charitatis. 61.
Correctio fraterna quando cadit sub præcepto. 62.
Correctio fraterna quando est dimittenda. ibid.
Correctio quomodo pertinet ad Prælatos. ibid.
Correctio multitudinis quomodo fieri debet. 63.
Correctio Prælati quomodo est facienda. ibid.
Correctio Delinquentis quomodo fieri debet à peccatore. ibid.
Correctionis fraterna ordo quando requirit, vt publicam denuntiationem præcedat secreta admonitio, & quando non. ibid.
Correctionis fraterna ordo quando non peruertitur si denunt. Prælato. 64.
Correctionis fraterna ordo quando requirit testium inductionem. ibid.

D

Debitum reddere quomodò vnus coniugum alteri tenetur. 322.
Debitum reddere quando Vir tenetur vxori non petenti. 323.

Debitum petere mulieri menstruata, & similiter reddere quando est peccatum. ibid.
Decima quare de omnibus sunt soluenda. 128.
Decime quibus debentur. ibid.
Decimarum solutio quando fideles obliget. 127.
Decimarum solutio quando obligat Clericos. 128.
Decimas non soluentes quando excusantur. 127.
Delectatio morosa quando est peccatum mortale. 10.
Derisio quomodo est peccatum. 106.
Derisio quando est peccatū mortale. ibid.
Desperatio quomodo est peccatum. 50.
Detractio quid est. 103.
Detractio quando est peccatum mortale. 104.
Detractio quando est grauius peccatum, quàm furtum. ibid.
Detractionis modi quot sunt. ibid.
Detractori quomodo est resistendum. 105.
Detrahentem audiens quomodo peccat. ibid.
Deuotio in quibus magis frequenter inuenitur. 117.
Deuotionis causa quomodo est meditatio. ibid.
Deuotionis effectus quomodo est letitia. ibid.
Discordia quando est peccatum mortale. 68.
Diuinatio quomodo est peccatum. 141.
Diuinatio quomodo est species superstitionis. ibid.
Diuinatio qua fit ex consideratione astrorum quando est illicita. 142.
Diuinatio qua fit per somnia quando est illicita. 143.
Diuinatio per auguria, vel omina quando est illicita. ibid.
Diuinatio sortium quando est illicita. 144.
Diuinationis species qua sunt. 142.
Diuortij causa quomodo in Viro, & Vxore est adulterium. 325.
Diuortium quare est licitum. ibid.
Diuortium quando potest fieri proprio iuditio. ibid.
Dolus quomodo est peccatum. 78.

E

Ebrietas quando est peccatum mortale. 181.
Ebrietas quando excusat à peccato sequenti. ibid.
Ebrietatis assiduitas quomodo est circumstantia constituens speciem peccati mortalis. ibid.
Eleemosyna quomodo est actus charitatis. 58.
Eleemosyna quando cadit sub pracepto. ibid.
Eleemosyna de necessario quando est in pracepto. 59.
Eleemosyna quando est danda pauperi petenti. ibid.
Eleemosyna quando potest fieri de illicitè acquisitis. 60.
Eleemosyna de alieno quando est licita. ibid.
Eleemosyna quando facienda magis est propinquioribus. 61.
Eleemosyna quare non semper debet dari minus indigenti meliori. ibid.
Eleemosynam quare non potest facere, qui est subditus. 60.
Eleemosynam quomodo potest aliquis sibi facere. 61.
Episcopalis potestas quomodo diuiditur in potestatem ordinis, & Iurisdictionis. 309

Episcopatum appetere quomodo est præsumptuosum. 196.
Episcopatum appetere quare est præsumptuosum, non autem statum Religionis. 197.
Episcopatum iniunctum recusare quare non licet. ibid.
Episcopatus quomodo est ordo. 309.
Episcopo quando licet curam Episcopalem deferere. 198.
Episcopus qui assumendus est. ibid.
Episcopus quomodo tenetur proprijs abrenuntiare. 199.
Episcopus quomodo peccat, si fructus bonorum Ecclesiæ, qui superfunt pauperibus non largietur, & similiter Clericus. ibid.
Episcopus Religiosus quomodo tenetur ad obseruantias regulares. 201.
Episcopus Regularis quare non absoluitur à Voto paupertatis, & obedientia. ibid.
Eucharistia quomodo est sacramentum. 234.
Eucharistia quomodo est vnum sacramentum. ibid.
Eucharistia quomodo est de necessitate salutis. ibid.
Eucharist. quomodo dicitur Sacrificium, Communio, Viaticum, & Eucharistia. 235.
Euchar. quare fuit in vltima Cœna instituta. ibid.
Euchar. quare non potest confici de Aceto. 237.
Euchar. quare potest confici de Musto, non autem de Agresta. 238.
Euchar. quomodo continet corpus Christi secundùm veritatem. 240.
Euchar. quomodo continet totum Christum sub vtraque specie. ibid.
Euchar. quomodo continet totum Christum sub qualibet parte dimensionum specierum. 241.
Euchar. quomodo continet totam quantitatem dimensiuam Corp. Christi. ibid.
Euchar. quomodo continet corpus Christi inuisib. ibid.
Euchar. quando continet corpus Christi, si miraculosè appareat caro, vel Puer, vel sanguis. 242.
Eucharistia quando continet sanguinem Christi, si vino consecrato misceatur liquor eiusdem, vel alterius speciei non consecratus. 243.
Euchar. quomodo auget gratiam. 246.
Euchar. quomodo valet ad gloriæ adeptionem. ibid.
Euchar. quando remittit peccatum mortale. ibid.
Euchar. quomodo remittit peccata venialia. ibid.
Euchar. quomodo valet ad satisfactionem pœnæ. 247.
Euchar. quare magis valet ad satisfactionem pœnæ, si offeratur pro vno solo &c. ibid.
Euchar. quomodo præseruat à peccatis futuris. ibid.
Euchar. quomodo prodest alijs, quam sumentibus. 248.
Euchar. quando deneganda est peccatori petenti. 252.
Eucharistia quando exhibenda est pueris. 252.
Euchar. quando exhibenda est amentibus. 253.
Euchar. sumens cum conscientia peccati mortalis quomodo peccat mortaliter. 249.
Euchar. sumens quare non debet statim reliquos cibos sumere. 252.
Euchar. sumere quando est vtile. 253.
Euchar. sumere quando est in præcepto. ibid.

Euchar. sumere sub vtraque, & sub vna specie quare conueniens est. ibid.
Euchar. Christus instituens quomodo sũpsit Corpus, & Sanguinem suum. 254.
Euchar. quare potest malus Sacerdos cõficere. 255.
Eucharist. quomodo possunt Haeretici, Schismatici, & Excommunicati conficere. ibid.
Euchar. quomodo potest degradatus conficere. ibid.
Euchar. celebrans quid debet facere, si morte, aut necessitate graui occupatur. 258.
Euchar. celebrans si recordatur se aliquid commedisse, vel bibisse, vel peccatum commisisse, vel excommunicationi subiacere, quid. ibid.
Euchar. celebrans, si musca, vel araneus in calicem ceciderit, vel Venenum immissũ deprehenderit, quid. ibid.
Euchar. celebrans si percipit, quod Vinum non fuerit appositum in Calice, quid. 259.
Euchar. celebrans si probabiliter credit se omisisse aliqua verba Consecrationis, quid. ibid.
Euchar. materia, quae est. 235.
Euchar. materia quomodo est determinata. ibid.
Euchar. materia quare est panis triticeus. 236.
Euchar. materia quando potest esse panis confectus ex tritico, & altero frumento admisto. ibid.
Euchar. materia quando potest esse panis corruptus. ibid.
Euchar. materia quare non est panis confectus ex amylo. 237.
Euchar. materia quomodo potest esse panis azimus, & fermentatus. ibid.
Euchar. materia quare est Vinum Vitis. ibid.
Euchar. Vino cur miscetur aqua. 238.
Euchar. consecratione facta, quare non remanet substantia panis. 239.
Euchar. consecratione facta, quomodo substantia panis, & Vini conuertitur in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi. ibid.
Euchar. accidentia quare remanent post consecrationem. 240.
Euchar. accidentia quomodo remanent sine subiecto. 242.
Euchar. quantitas dimensiua quomodo est subiectum aliorũ accidentiũ. ibid.
Euchar. species quomodo possunt corrumpi. 243.
Euchar. ex speciebus quomodo potest aliquid generari. ibid.
Euchar. species quare possunt nutrire, & frangi. ibid.
Euchar. forma quae est. 244.
Euchar. quae verba sunt de essentia formae. ibid.
Euchar. quae est forma consecrationis panis. ibid.
Euchar. quae est forma consecrationis Vini. 245.
Euchar. forma quomodo continet vim creatam effectiuã consecrationis. ibid.
Euchar. effectus quomodo impeditur per abstractionem mentis. 248.
Euchar. manducatio quotuplex est. ibid.
Euchar. manducatio à peccatore. 249.
Euchar. manducatio à Brutis. ibid.
Euchar. praeparatio quomodo fieri debet. ibid.
Euchar. susceptio quomodo impeditur per nocturnam Pollutionem. 251.
Euchar. susceptio quomodo impeditur per cibum, vel potum praeassumptum. ibid.

Euchar. susceptio per quod temporis spatium impeditur post cibum, vel potum praassumptum. 252.
Euchar. consecratio quare est propria Sacerdotis. 254.
Euchar. Hostiam quomodo plures Sacerdotes possunt simul consecrare. ibid.
Euchar. dispensatio quare pertinet ad solum Sacerdotem. 255.
Excecationis causa quomodo est Deus. 12.
Excommunicare quis potest. 298.
Excommunicare quare aliquis non potest seipsum, vel superiorem, vel equalem. ibid.
Excommunicari quare non potest Communitas. ibid.
Excommunicati quomodo orationes fructu priuantur. 297.
Excommunicatio maior, & minor qua est. 296.
Excom. quando est infligenda. 297.
Excom. iniusta quando est valida. ibid.
Excom. in quibus casibus non incurrit percutiens Clericum, vel absolutio non est reseruata Papę. 300.
Excommunicato communicans quomodo excommunicationem incurrit. 299.
Excommunicato communicans quando pecc. it mortaliter. ibid.
Excommunicatum quis potest absoluere. ibid.
Excom. vel suspensus quare non potest excommunicare. 298.
Excommunicatus quare traditur Satanę. ibid.
Extrema Vnctio quomodo confert gratiam. 302.
Extrema Vnctio quomodo est sacramentum. 301.
Extrema Vnctio quare fuit à Christo institute. ibid.
Extrema Vnctio quomodo remittit reliquias peccatorum. 302.
Extrema Vnctio quando efficit sanitatem corporalem. 303.
Extrema Vnctio quare non debet dari sanis. ibid.
Extrema Vnctio quibus infirmis conferri debet. 304.
Extrema Vnctio in quibus partibus corporis debet fieri. 304.
Extrema Vnctio quare potest iterari. ib.
Extrema Vnctionis qua est materia. 301.
Extrema Vnctionis qua est forma. 302
Extrema Vnct. quis est Minister. 303.

F

Fide Christi quomodo Gentiles potuerunt saluari. pag. 36.
Fides obiectum quomodo est prima veritas. 32.
Fidei credibilia quomodo cognoscuntur esse vera. ibid.
Fidei credibilia quomodo per Articulos distinguuntur. ibid.
Fidei articuli quomodo successionem temporum creuerunt. 33.
Fidei articuli quot sunt. ibid.
Fidei articulus quomodo est vnitas diuinitatis. 34.
Fidei artic. de descensu ad Inferos, quare non explicatur in symbolo antiquorum Patrum. ibid.
Fidei symboli editio quare necessaria fuit. ibid.
Fidei Symbolum ordinare quare pertinet ad Papam. 35.
In fidei iudicio quare Papa non potest errare. ibid.
Fidei credibilia quomodo homo tenetur credere. 36.
Fidei credibilia per se, scilicet Misterium In-

Incarnationis Christi, & Trinitatis credere quomodo est de necessitate salutis. 36. e 37.
Fidei confessio quando est de necessitate salutis. ibid.
Fidei forma quare est charitas. 38
Fidem quare non habet Hareticus de articulis, si discredit vnum articulum. 39.
Fides quid est. 38.
Fides quomodo est in Intellectu. ibid.
Fides quomodo est in demonibus. ibid.
Fides quomodo potest esse maior in vno, quam in alio. 39.
Fides quomodo est homini à Deo infusa. ibid.
Fides informis quomodo est donum Dei. ibid.
Fornicatio simplex quomodo est peccatum mortale. 182.
Fornicatio quare est grauius peccatum. 183.
Fortitudo in quo consistit. 172.
Fortitudo quomodo est donum Spiritus Sancti. 175.
Fraus quomodo est peccatum. 73.
Fucatio mulierum quomodo est peccatum. 192.
Furtim accipiens rem suam apud alium detentam quomodo peccat. 95.
Furtum quomodo est peccatum. 94.
Furtum quomodo est peccatum mortale. 95.
Furtum quando excusat à peccato mortali ex paruitate rei. ibid.
Furtum quare non committit, qui rem alienam accipit in casu necessitatis. 96.
Furtum quando committit retineas res inuentas. ibid.

G

Gratia quare est necessaria homini ad cognoscendum verum. 20.
Gratia quare necessaria est homini, vt possit velle, & facere bonum. ibid.
Gratia quare est necessaria homini, vt possit diligere Deum super omnia. 21.
Gratia quare est necessaria homini, vt se praparet ad gratia donum. ibid.
Gratia quare est necessaria homini, vt possit seruare omnia precep. legis. ibid.
Gratia quare est necessaria homini, vt resurgat à peccato. 22.
Gratia quare est necessaria homini, vt possit diu vitare peccatum mortale. ibid.
Gratia quare est necessaria homini in gratia constituto, vt possit operari bonum, & euitare malum, & in bono perseuerare. ibid.
Gratia habitualis quid est. 23.
Gratia quomodo concreatur. ibid.
Gratia quomodo est in essentia anima. ibid.
Gratia quomodo diuiditur in gratum facientem, & gratis datam. ibid.
Gratia gratis data quare communi nomine appellatur. 24.
Gratia quomodo diuiditur in operantem, & cooperantem. ibid.
Gratia quomodo diuiditur in praeuenientem, & subsequentem. ibid.
Gratia gratis data quomodo continet omnia dona supernaturalia. 25.
Gratia quomodo à Deo causatur. ibid.
Gratia quomodo requirit praparationem ex parte hominis. ibid.
Gratia quomodo datur se praparanti ad gratiam. 26.

Gra-

Gratia quomodo est maior in vno, quàm in alio. 27.
Gratia quomodo potest cognosci ab habente eam. ibid.
Gratia quomodo facit habentem dignum Vita æterna. 29.
Gratia prima quare non cadit sub merito. 30.
Gratiam consecutus quare non potest alteri mereri primam gratiam. ibid.
Gratia Perseuerantiæ quare non cadit sub merito. ibid.
Grat. augumentum quomodo cadit sub merito. ibid.
Gratitudo quomodo debetur Benefactori. 159.
Gula quando est peccatum mortale. 180.

H

HÆresis quomodo est species infidelitatis. 44.
Hæresis, quæ requirit. ibid.
Hæretici quare non sunt tolerandi. ibid.
Hæretici quando sunt ab Ecclesia recipiendi. 45.
Homicidium quomodo est peccatum. 91.
Horas Canonicas quando licet de sero recitare. 124.
Horas canonicas ommittenti qua pœnitentia est iniungenda. 288.
Humilitas quomodo est Virtus. 189.
Hypocrasis quomodo est peccatum. 162.
Hypocrasis quando est peccatum mortale. ibid.

I.

IActantia quæ est. ibid.
Iactantia quando est peccatum mortale. ibid.
Idolatria quomodo est grauissimum peccatum. 141.
Idolatria quare non fuit in prima, nec in vltima ætate. ibid.
Ieiunij tempora statuta, quæ sunt. 178.
Ieiunium quomodo est actus Virtutis. 176.
Ieiunium quomodo cadit sub Præcepto. ibid.
Ieiunium soluens quando peccat mortaliter. ibid.
Ieiunium Ecclesiæ seruare qui tenentur. 177.
Ieiun. quando pauperes excusat. 178.
Ieiunium quomodo requirit vnam comestionem. ibid.
Ieiunium Ecclesiæ quare non soluitur per potum, vel medicinas. 179.
Ieiunium seruantibus quæ ora determinatur ad comedendum. ibid.
Ieiunium seruantibus quare indicitur abstinentia à carnibus, ouis, & lacticinijs. ibid.
Ignorantia quando excusat à peccato. 2.
Inanis gloria quomodo est peccatum. 174.
Inanis gloria quare est periculosum peccatum. 175.
Inanis gloria quando est peccatum mortale. ibid.
Incarcerare quando est licitum. 94.
Incestus quomodo est species Luxuriæ. 185.
Inconsideratio quomodo est peccatũ. 77.
Inconstantia quomodo est peccatũ. ibid.
Indulgentia ad quid valet. 293.
Indulgentia quomodo valet. 294.
Indulgentia quando prodest Defuncto. 292.
Indulgentia quare non valet existentibus &c. 294.

Indulgentia quomodo potest pro temporalibus fieri. ibid.
Indulgentia quomodo consequitur dans eleemosynam. 295.
Indulg. quando aliquis consequitur quoties vadit ad Ecclesiam. ibid.
Indulgentiam facere quare pertinet ad solum Papam. ibid.
Indulgentias quare potest facere, qui est in peccato mortali. 296.
Indulgent. quare non potest sibi facere Prælatus. ibid.
Infideles quando sunt compellendi ad fidem. 42.
Infideles quare non possunt dominium acquirere supra fideles. 43.
Infidelitas quomodo est peccatum. 41.
Infidelitas quomodo est maximum peccatum. ibid.
Infidelitas Hæreticorum quomodo est grauior, quàm Iudæorum, & Iudæorum, quàm Gentilium. ibid.
Infidelitatem quando simplices incurrunt deficientes ex maiorum errore, vel ex simplicitate. 42.
Infidelitatis species, quæ sunt. 41.
Infidelium disputatio cum fidelibus coram simplicibus quando est illicita. 42.
Infidelium communicatio quando est illicita. 43.
Infidelium Ritus qui sunt tolerandi. ibid.
Ingratitudo quomodo est speciale peccatum. 160.
Ingratitudo quando est peccatum mortale. ibid.
Inobedientia quando est peccatum mortale. 159.
Imprudentia quomodo est peccatum. 76.
Intellectus quomodo est donum Spiritus Sancti. 40.
Intellectus donum quomodo potest esse cum fide. ibid.
Intellectus donum quomodo est in habentibus gratiam. ibid.
Intimiditas quomodo est peccatum. 174.
Inuidia quomodo est Tristitia. 67.
Inuidia quomodo est peccatum. ibid.
Inuidia quomodo est peccatum mortale. 68.
Ira quomodo est peccatum. 188.
Ironia quomodo est peccatum. 163.
Iudex quare non potest aliquem condemnare, qui non est sibi subditus. 97.
Iudex quomodo iudicare debet. ibid.
Iudex cur non potest aliquem condemnare sine accusatore. 98.
Iudex quare non potest Reum à pœna absoluere. ibid.
Iudicium quando est illicitum. 79.
Iudicium temerarium quomodo est peccatum. ibid.
In Iudicio quare dubia sunt in meliorem partem interpretanda. ibid.
Iudicium vsurpatum quare est illicitum. 80.
Iudicium quare non est vsurpatum, si Prælatus de Temporalibus iudicet. ibid.
Iuramenti dispensatio quomodo fieri potest. 138.
Iuramenti dispensatio quando pertinet ad Papam. 139.
Iuramentum quid est. 135.
Iuramentum quomodo est licitum. ibid.
Iuramentum quomodo fit. 136.
Iuramentum quomodo habet vim obligandi. ibid.

Iuramentum coactum quomodo obligat. 137.
Iuramentum quomodo obligat si non est eadem intentio Iuramenti, & eius, cui iuratur. 138.
Iuramentum quare minus obligat, quàm Votum. ibid.
Iuramentum iniungens ei, qui periurat, quando peccat. 147.
Iurans se facturum aliquod malum, vel non facturum melius bonum, quomodo peccat. 137.
Iustificatio quid est. 28.
Iustitiæ species quæ sunt. 80.

L

L*Iberalitas actus in quo consistit.* 164.
Ludi excessus quando est peccatum mortale. 190.
Ludus quomodo est licitus. ibid.
Ludus alearum, taxillorum, & tabularum quando obligat ad restitutionem lucri. 87.
Luxuria quomodo est peccatum mortale. 182.
Luxuriæ species quomodo distinguuntur. ibid.

M

M*Agi quos effectus facere possunt.* pag. 146.
Magnanimi proprium quod est. 174.
Maledicere creaturas irrationales quando est peccatum. 107.
Maledictio quomodo est peccatum. 106.
Mansuetudo quomodo est Virtus. 188.
Martyr qui propriè dicitur. 173.
Martyrium quomodo est actus fortitudinis. ibid.
Martyrium quomodo cadit sub præcepto. ibid.
Matrimonij materia, & forma quæ est. 315.
Matrimonij bona, quæ sunt. 321.
Matrimonij bonorum, quomodo sacramentum est principalius. ibid.
Matrimonij bona quomodo faciunt actũ matrimonialem honestum. 322.
Matrim. actus delectatio quando est peccatum mortale. ibid.
Matrimonij inseparabilitas quomodo est de Iure naturæ, & diuino. 324.
Matrimon. impedimenta dirimentia quæ sunt. 325.
Matrimonij ligamen quomodo dirimit secundum matrimonium. 329.
Matrim. impedimenta non derimentia quæ sunt. 334.
Matrimonio quomodo repugnat pluralitas vxorum. 324.
Matrim. iunctus, quando potest ordinem suscipere. 328.
Matrim. quomodo est naturale. 315.
Matrimonium quomodo est sacramentum. ibid.
Matrimonium secundum quomodo est sacramentum. ibid.
Matrim. quomodo fuit in noua lege institutum. 316.
Matrim. quomodo gratiam confert. ibid.
Matrim. quomodo requirit copulam carnalem. ibid.
Matrimonium quomodo requirit consensum expressum per verba de præsenti. ibid.
Matrimonium quomodo requirit consensum interiorem. 317.
Matrim. quare potest fieri per consensum conditionatum. ibid.
Matrimonium B. Virg. quare conuen. fuit. 321

Ma-

Matrimonium B. Virg. quare fuit perfectum. ibid.
Matrim. quando tollitur per coactionem. 326.
Matrimonium quando dirimitur per errorem. ibid.
Matrimonium quando soluitur per frigiditatem. ibid.
Matrimonium quando dirimitur per maleficium. 327.
Matrimonium quomodo impeditur, & dirimitur per Ordines sacros. 328.
Matrimonium quando dirimitur per crimen. 329.
Matrimonium quando soluitur per votum solemne. 330.
Matrimonium quando tollitur per conuersionem alterius coniugis ad fidem. ibid.
Matrimonium Infidelium qui conuertuntur quando est inualidum si in gradibus prohibitis contraxerint. 331.
Matrimonium infidelis, qui habet plures vxores, cum qua est verum, si conuertantur. ibid.
Matrimonium quomodo tollitur per consanguinitatem. ibid.
Matrimonium quando dirimitur per affinitatem. 332.
Matrimonium quando tollitur per incestum. ibid.
Matrimonium quando tollitur per spiritualem cognationem. 333.
Matrimonium quomodo impeditur per legalem cognationem. 334.
Mendacij ratio in quo consistit. 161.
Mendacium quomodo diuiditur in officiosum, iocosum, & perniciosum. ibid.
Mendacium quomodo est peccatum. ibid.
Mendacium quando est peccatum mortale. ibid.
Missa mali Sacerdotis quomodo minus valet, quàm boni. 255.
Missa in quibus locis est celebranda. 256.
Missa quando est celebranda. ibid.
Missa quare non debet nisi vna in die celebrari, & in quibus casibus possunt duæ celebrari. 257.
Missa quare nominatur. 258.
Missa quæ dicitur de Sancto quomodo prodest pro Defuncto. 292.
Missam audire ab Hæreticis, & Excōmunicatis quare est illicitum. 256.
Modestia quomodo est Virtus. 189.
Mutilare quomodo est peccatum. 93.
Mutilare aliquem membro quando est licitum. 94.

N

Naturæ bonum diminuitur per peccatum. 15.
Naturæ Vulnera ex peccato consequentia quæ sunt. 16.
Negligentia quomodo est peccatum. 77.
Negligentia quomodo est peccatum mortale. ibid.
Negotiatio quomodo est licita. 110.
Nocturna Pollutio quando est peccatum. 183.
Nuptiæ quando sunt probibitæ. 336.

O

Obedire Deo, & Superioribus quomodo homo tenetur. 159.
Oblationes quando fideles obligant. 126.
Oblationes quare Sacerdotibus debentur. 127.
Obseruantia quomodo est exibere honorem ei, qui est in dignitate constitutus. 158.

Obser-

Obseruantia quare debetur ei, qui est in dignitate constitutus etiam si sit malus. ibid.
Obseruatio artis notoriæ quare est illicita. 144.
Obseruatio ad corporum immutationem quomodo est illicita. ibid.
Obseruatio ad præcognoscendum fortunia, vel infortunia quando est illicita. 145.
Obseruatio per suspensionem diuinorum verborum ad Collum quando est illicita. ibid.
Obseruatio in prolatione diuinorum verborum quando est illicita. ibid.
Obseruatio per incantazionem animaliū quando est illicita. 146.
Obseruatio, cum aliquis portat reliquias Sanctorum quando est illicita. 145.
Occidens se ipsum quare peccat mortaliter. 92.
Occidere peccatores quare non licet Clericis. 91.
Occidere peccatores quare est licitum. ibid.
Occidentes Sancti se ipsos quare homicidij reatum non incurrebant. 92.
Occidere innocentem quare est grauius pecccatum, quàm occidere peccatorem. ibid.
Occidere Inuasorem quando est licitum. ibid.
Occidere hominem causaliter quando est homicidium. 93.
Odium Dei quomodo est maximum peccatum. 65.
Odium proximi quomodo est peccatum. ibid.
Odium interius quomodo est grauissimum peccatorum, quæ in proximum committuntur. ibid.
Officia temporalia vendere quomodo Principibus temporalibus licet. 154.
Orandi quomodo sunt Deus, & Sancti. 118.
Orandi quare sunt inferiores Sancti. ibid.
Orans quomodo potest temporalia petere. 119.
Orantis euagatio quando tollit fructum orationis. 122.
Orare quare debemus pro alijs. 119.
Orare quomodo debemus pro peccatoribus, & Iustis. ibid.
Orare quomodo debemus pro Inimicis. ibid.
Oratio quare est conueniens. 117.
Oratio quomodo cadit sub præcepto. 118.
Oratio communis quare debet esse Vocalis. 121.
Oratio quam attentionem requirit. ibid.
Oratio quomodo debet esse assidua. 123.
Oratio quomodo habet efficaciam merendi, & impetrandi. ibid.
Oratio peccatoris quomodo impetrat aliquid. ibid.
Orationes quare Ecclesia non dirigit ad Spiritum Sanctum. 118.
Orationes, quæ fiunt in Horis Canonicis ad quid valent. 124.
Orationi Vocali quotuplex attentio potest adhiberi. 122.
Orationi Dominicali quare assignantur septem petitiones. 120.
Orationis partes quot sunt. 124.
Ordines quot sunt. 307.
Ordines quomodo Hæretici conferunt. 310.
Ordinis forma quæ est. 305.
Ordinis materia quæ est. ibid.
Ordinisfusceptio quomodo requirit correctionem &c. 306.

Or-

Ordinis susceptio quomodo impeditur per seruitutem. 312.
Ordinis susceptio quomodo impeditur per illegitimam natiuitatem. ibid.
Ordinis Character quomodo præsupponit characterem Baptismalem, & Confirmationis. 306.
Ordinis character quomodo præsupponit characterem alterius. 307.
Ordin. character quãdo imprimitur. 308.
Ordinis Minister quare est Episc. 310.
Ordinis susceptio quomodo requirit bonitatem vitæ suscipientis. ibid.
Ordinis susceptio quomodo requirit tempus discretionis suscipientis. 311.
Ordinis susceptio quomodo impeditur propter defectum membrorum. 313.
Ordinis susceptio quomodo impeditur per homicidium. ibid.
Ordo quomodo est sacramentum. 305.
Ordo quando fuit à Christo institutus. ibid.
Ordo quilibet quare gratiam confert. 306.
Ordo quilibet quare imprimit characterem. ibid.
Ordo quare non est corona. 308.
Ornatus Mulierum, & Virorum quando est peccatum mortale. 191.
Oscula, amplexus, & tactus quando est peccatum mortale. 183.

P

Peccata quomodo differunt specie. 4.
Peccata cur non distinguuntur specie secundùm diuersas causas Actiuas. 5.
Peccata commissionis, & ommissionis cur non differunt specie. 6.
Peccata cordis, oris, & operis quomodo differunt. ibid.
Peccata quando differunt specie secundũ diuersas circumstantias. ibid.
Peccata Venialia quibus remedijs expiari possunt. 264.
Peccati diuturnitas quando transfert in aliam speciem. 7.
Peccati quæ est causa interior. 10.
Peccati cur non potest esse aliqua causa exterior ipsum perficiens. ibid.
Peccati actus quomodo potest à Deo causari. 12.
Peccati Originalis effectus quomodo sunt mors, & alij defectus corporales. 16.
Peccati effectus quomodo est reatus pœnæ. 17.
Peccati pœna quomodo debetur culpæ. 18.
Peccato originali per Baptismum remoto, quare non remouentur in hac Vita corporales defectus. 17.
Peccato quomodo debetur pœna infinita. 18.
Peccatorum reatus prius dimissorum quomodo redit per peccatum sequens. 265.
Peccatum quid est. 4.
Peccatum, malitia, & vitium quomodo differunt. ibid.
Peccatum quomodo peius est, quàm Vitium. ibid.
Peccatum in Deum, in se ipsum, & in proximum quomodo distinguuntur specie. 5.
Peccatum mortale, & veniale cur non differunt specie. 5.
Peccatum quomodo aggrauatur secundum diuersitatem obiectorum. 7.
Peccatum quomodo aggrauatur per circumstantiam. ibid.
Peccatum quomodo aggrauatur, secundum maius nocumentum. 8.

Pec-

Peccatum quomodo aggrauatur ratione magnitudinis personæ. ibid.
Peccatum quomodo est in Voluntate. 9.
Pec. quomodo est in sensualitate. ibid.
Pec. quomodo est in ratione. ibid.
Pec. ex certa malitia quod est. 11.
Pec. ex certa malitia quare est grauius, quàm peccatum ex passione. ibid.
Pec. quomodo causatur à Diabolo. 12.
Pec. originale quomodo omnes contrahunt. 13.
Pec. originale quomodo traducitur à baptizatis. ibid.
Pec. originale quid est. 14.
Pec. originale quomodo est in Adam, in semine, & in anima. ibid.
Pec. origin. quomodo fuit in Adam. 15.
Pec. originale quare prius est in essentia animæ, quàm in potentijs. ibid.
Pec. originale quas potentias magis inficit. ibid.
Pec. quomodo potest esse pœna peccati. 17.
Pec. veniale quomodo disponit ad mortale. 19.
Pec. veniale quomodo potest fieri mortale ratione circumstantiæ. 20.
Pec. in Spiritum Sanctum quomodo est peccatum ex certa malitia. 48.
Pec. quare non potest remitti sine pœnit. virtute. 264.
Pec. veniale quare non potest remitti sine mortali. 265.
Pedagia quare debentur Principib. 158.
Pænitens quomodo resurgit in gratia. 265.
Pœnitentia quomodo est sacramentũ. 259.
Pænitentia quomodo fuit à Christo instituta. 260.
Pœnitentia quomodo est de necessitate salutis. 261.
Pœnit. quomodo est species Iustitiæ. ibid.
Pœniten. quare tollit quodlibet peccatum. 262.
Pœnit. quare non potest vnum peccatum sine alio remittere. 263.
Pœnit. quare non remittit reatum totius pœnæ. 263.
Pænit. quare non tollit reliquias peccati. 264.
Pœnit. viuificat opera mortificata, non autem mortua. 266.
Pænit. sacramentum quid est. 259.
Pænit. materia quæ est. 260.
Pœnit. forma, quæ est. ibid.
Pœnit. partes quæ sunt. 266.
Perfectio Christiana in quibus consistit. 194.
Perfectionis status quomodo pertinet ad Religiosos, & Episcopos. 195.
Perfectionis status quare non pertinet ad Curatum. ibid.
Perfectionis status Episcoporum, quare perfectior est status Religiosorum. 196.
Periurans iocosè quare non excusatur à peccato mortali, sicut potest excusari ex lapsu linguæ. 147.
Periurium quomodo incurritur. 146.
Periurium quando est peccatum mortale. 147.
Pietas quomodo se extendit ad honorem exibendũ Parentibus, & Patriæ. 158.
Pietas quomodo est donum Spiritus Sancti. 165.
Præcepta legis naturalis quæ sunt. ibid.
Præcepta Decalogi quomodo distinguuntur. 166.
Præc. Decal. quomodo ordinantur. ibid.
Præc. legis vmanæ quando vim habent obligandi. 171.
Præc. Decalogi quæ præcipiunt, & quæ prohibent. 167.
Præcepto de sanctificatione Sabbati quo-

quomodo succedit obseruantia Dominicæ. 170.
Præc. de sanctificatione Sabbati quomodo præcipit diuinum Cultum, & prohibet opus seruile. 168. e 169.
Præc. de honorantibus parentes quare promittit longeuitatem. 171.
Præcipitatio quomodo est peccatū. 76.
Primitiæ quomodo Sacerdotibus debentur. 127.
Prodigalitas quomodo est peccatum. 165.
Prodigalitas quare est minus peccatum, quàm Auaritia. 165.
Propheta quando discreuit id, quid dicat per spiritum Prophetiæ. 193.
Prophetia quomodo requirit inspirationem, & reuelationem. 192.
Prophetia quomodo est de futuris, præteritis, & præsentibus. 193.
Prophetica inspiratio quomodo fit. 192.
Prophetica reuelatio quomodo fit. 193.
Prudentia in quo consistit. 75.
Prudentia carnis quomodo est peccatum mortale. 78.
Prudentiæ partes quæ sunt. 75.

R

Rapina quare est grauiùs peccatum, quàm furtum. 96.
Rapina quando est licita. 97.
Rapinam quare non committunt Principes, res infidelium per violentiam subtrahentes. ibid.
Raptus quomodo est species Luxuriæ. 185.
Raptus, siue extasis quæ propriè dicitur. 194.
Raptus Pauli quomodo fuit per Visionē diuinæ essentiæ. ibid.
Religio quomodo est Virtus. 116.
Religio quomodo præeminet alijs. 205.
Religionem intrare quando licet Parentibus, & filijs. 208.
Religionem intrare quando Debitor potest. ibid.
Religionem ingrediens quare non tenetur vota seruare, quæ fecit in Sæculo. ibid.
Religionem intrare quare non licet alteri Coniugum post carnalem copulam sine consensu alterius. 318.
Religionem Viro ingresso quando potest mulier alteri nubere. ibid.
Religiones quomodo distinguuntur. 205.
Religionis perfectio quomodo requirit voluntariam paupertatem. 202.
Religionis perfectio quomodo requirit perpetuam continentiam. ibid.
Religionis perfectio quare requirit obedientiam. ibid.
Religionis Votorum, quare obedientia est potissimum. ibid.
Religionis Votum quomodo est adimplendum. 206.
Religionis Votum quando obligat ad perpetuò in ea remanendum. 207.
Religionis Professio tacita quando obligat. ibid.
Relig. transitus ad aliam Religionem in quibus casibus est licitus. 209.
Religiosi quare grauiùs peccant eod. genere peccati, quàm Sæculares. 203.
Religiosi quando tenentur ad opera manualia. 204.
Religiosis quando licet sæcularia negotia tractare. 203.
Religiosis quando licet de Eleemosinis viuere. 204.
Religiosis quare licet mendicare. ibid.
Relig. quando licet eleemosynas facere. ibid.
Relig. quare licet vilioribus vestibus vti. 205.
Re-

Repudij libellus quomodo fuit lege permissus. 324.
Restituere quare quis tenetur quantum accepit. 83.
Restituere quando tenetur impediens ne detur prabenda persona digna. 82.
Restituere quomodo tenetur damnificans. 83.
Restituere quare tenetur mutuo accipiens pecuniam. 87.
Restitut. acquisitum per ludum quando quis tenetur. ibid.
Restit. acquisitum de meritricio quando mulier tenetur. ibid.
Restit. quomodo tenetur ille, qui est causa iniusta acceptionis. 88.
Restitutio quomodo est actus commutatiua iustitia. 81.
Restitutio quomodo est de necessitate salutis. ibid.
Restitutio quomodo est facienda si non potest &c. ibid.
Rest. fama quomodo est facienda. ibid.
Rest. fama quare potest remitti. 82.
Rest. quare debet fieri Domino Rei. 84.
Rest. quomodo est facienda, si res sit nociua Domino. ibid.
Rest. quomodo debet fieri Domino ignoto. 85.
Rest. quomodo debet fieri ab eo, qui rem alienam accepit. ibid.
Restitutio quomodo debet fieri si multi simul accipiunt rem alienam. 86.
Rest. per quem est facienda. 87.
Rest. quare obligat eum qui praescribit bona fide possidendo. ibid.
Rest. quando debet fieri. 88.

S

SAcram. quomodo requirunt determinata res, & determinata verba. 210.
Sacramenta quare ante peccatum non fuerunt necessaria. 212.
Sacram. quomodo fuerunt necessaria post ante Christi Aduentum. ibid.
Sacram. quomodo fuerunt necessaria post Christi Aduentum. 213.
Sacram. quomodo conferunt gratiã. ibid.
Sacram. quomodo continent virtutem ad causandam gratiam. ibid.
Sacram. quomodo habent virtutem ex passione Christi. ibid.
Sacram. veteris legis quomodo conferebant gratiam. 214.
Sacram. quomodo imprimunt characterem. ibid.
Sacram. qua imprimunt characterem, qua sunt. 215.
Sacram. quare Christus instituit. ibid.
Sacram. quare possunt conferri per malos ministros. ibid.
Sacram. quot sunt, et qua sunt de necessitate salutis. 217.
Sacramentalis gratia quomodo aliquid addit supra gratiam virtutum, & donorum. 213.
Sacramenti perfectio quare requirit intentionem ministri. 216.
Sacramenti perfectio quomodo requirit intentionem Ministri. ibid.
Sacram. Minister quare potest esse infidelis. ibid.
Sacramentum quid est. 210.
Sacramentum quando est nullum per corruptionem verborum, vel per additionem, vel per diminutionem, vel per interruptionem, vel transpositionem. 211.
Sacramentum suscipiens quando est certus de intentione Ministri. 216.
Sacrificij oblatio quomodo ad omnes pertinet. 126.
Sacrificium quare soli Deo est offerendum. ibid.

Sacrilegij species quæ sunt? 148.
Sacrilegium quomodo est speciale peccatum. ibid.
Sacrilegium quomodo est species Luxuria. 186.
Sapientia quomodo est donum Spiritus Sancti. 74.
Sapientia quomodo est in omnibus habentibus gratiam. ibid.
Sapientia quare non potest esse cum peccato mortali. ibid.
Satisfactio quid est. 283.
Satisfactio quomodo auget gratiam. 284.
Satisfactio in quo differt à restitutione. ibid.
Satisfactio quare non potest fieri de vno peccato sine alio. ibid.
Satisfactio iniuncta à Confessore quare est facienda. 287.
Satisfactio facta in peccato mortali quare non valet. 284.
Satisfactio facta in peccato mortali quãdo est iteranda. 285.
Satisfactio iteranda non est ex incertitudine formata satisfactionis. 285.
Satisfactio quare sit per opera pœnalia. 286.
Satisfactio quomodo potest fieri pro alio. ibid.
Satisfactio iniuncta à Confessore, quare magis valet, quàm ea quæ fit arbitrio Pœnitentis. 287.
Satisfactio quomodo imponenda est ei, qui diuinum officium ommisit. 288.
Satisfactio cur non est imponenda in articulo mortis. ibid.
Satisfactionem referuans sibi homo implendam in Purgatorio quomodo peccat. ibid.
Satisfactionis pœnam quando Sacerdos debet imponere. 286.
Satisfactionis pœnam imponens Sacerdos minorẽ culpa, quare excusatur. 287.
Satisfactionis rationem quomodo habent flagella à Deo inflicta. 286.
Satisfactionis opera quæ sunt. 288.
Satisfact. pars quomodo est oratio. 290.
Satisfact. pars quomodo est Ieiuniũ. ibid.
Scandalum quid est. 71.
Scandalum quomodo diuiditur in actiuũ, & passiuum. ibid.
Scandalum actiuum quando est sine passiuo, & passiuum sine actiuo, vel vtrumque. ibid.
Scandalum quomodo est peccatum. ibid.
Scandalum quomodo est speciale peccatum. ibid.
Scandalum quando est peccatum mortale. 72.
Schisma quando est peccatũ mortale. 68.
Schisma quando est minus peccatum, quàm Infidelitas. 69.
Scientia quomodo est donum Spiritus Sancti. 40.
Scientia donum quomodo est in habentibus gratiam. ibid.
Secretum humanum sub Sigillo confessionis receptum quomodo homo tenetur celare. 283.
Seditio quomodo est speciale peccatum. 70.
Seditio quando est peccatum mort. ibid.
Simonia quomodo est peccatum. 146.
Simonia quomodo incurritur à Papa. 149.
Simonia quomodo est accipere pecuniam pro Sacramentis. ibid.
Simonia quomodo est dare pecuniam pro sacramento. 150.
Simonia quomodo est dare, vel accipere pecuniam pro spiritualibus actibus. ibid.
Simonia quando est dicere Horas Canonicas propter lucrum distributionum. 151

Simonia quomodo committitur à Prælato pro vsu suæ potestatis. ibid.
Simonia quando est pro vsu scientiæ aliquid accipere. 152.
Simonia quando est pro ingressu monasterij aliquid accipere. ibid.
Simonia quando est, spirituale dare pro munere à manu, vel à lingua, vel obsequio. ibid.
Simonia quando est vendere spiritualibus annexa. 153.
Simonia quare non est vendere officia temporalia, etiam si sint spiritualibus annexa. 154.
Simonia quando est, pecuniam Aduersario dare pro beneficio Ecclesiast. ibid.
Simonia quando est, beneficium Ecclesiasticum propter consanguinitatem conferre. 155.
Simonia quando est, aliquid accipere de fructibus beneficij conferendi. ibid.
Simoniacè accipiens beneficium quomodo tenetur ipsum resignare. 156.
Simoniacè, accepti fructus beneficij, cui sunt restituendi. ibid.
Simoniacè recipiens, vel conferens Ordinem quam pœnam incurrit. ibid.
Simoniacè in Monasterio recepti quomodo sunt puniendi. ibid.
Simoniaci pœna quæ est. 155.
Simoniæ dispensatio quomodo pertinet ad Papam. 157.
Sobrietas in quo consistit. 180.
Sobrietas in quibus requiritur. ibid.
Solicitudo temporalium quomodo est peccatum. 78.
Spectaculorum inspectio quare est peccatum. 190.
Spei obiectum quomodo est beatitudo æterna. 49.
Spes quomodo est in Voluntate. 50.
Spes quare non est in Beatis. ibid.
Spes quare non fuit in Christo. ibid.
Sponsalia quomodo contrahuntur. 319.
Sponsalia quomodo obligant ad matrimonium contrahendum. ibid.
Sponsalia contrahenda quod tempus requiritur. ibid.
Sponsalia in quibus casibus dirimuntur. ibid.
Sponsalia contrahentes quare possunt se mutuo absoluere. 320.
Stultitia quomodo est peccatum. 75.
Stuprum quomodo est peccatum Luxuriæ. 184.
Stuprum cōmittens ad quid tenetur. ibid.
Suffragia mortuorum quæ sunt. 290.
Suffragia per peccatores facta quomodo prosunt mortuis. 291.
Suffragia quando prosunt mortuis pro quibus fiunt. ibid.
Suffragia quare non prosunt existentibus in Inferno. ibid.
Suffragia quibus prosunt, si eis defunctus non indigeat. ibid.
Superbia quomodo est speciale peccatum. 189.
Superbia quando est peccatum mortale. 190.
Superbiæ species quæ sunt. 189.
Susurratio quomodo est peccatum distinctum à detrhactione. 105.
Susurratio quando est peccatum mortale. 106.

T

Temeritas quomodo est peccatū. 76.
Testificare quando homo tenetur. 100.
Testimonium quando tollitur per discordiam Testium. ibid.
Testimonium quando est repellendū. 101.
Testimonium falsum quando est peccatum mortale. ibid.

Testium multitudo quare requiritur in condemnatione Cardinalium, & Episcoporum. ibid.
Timor quomodo diuiditur in filialem, seruilem, initialẽ, & mundanũ. 50.
Timor quomodo est donum Spiritus Sancti. ibid.
Timor quando est peccatum. 173.
Timor quando est peccatum mort. ibid.

V.

VEndere rem plus quàm valet, quomodo est illicitum. 108.
Vendere rem plus quam valet quomodo est lege humana permissum. ibid.
Vendere aurum, vel argentum ab Alchimicis factum quando est illicitũ. 110.
Venditio quomodo est illicita propter defectum rei vendita. 109.
Venditor quomodo potest vendere rem secundùm pretium quod inuenit. ibid.
Venditor quibus pretijs potest licitè vendere. ibid.
Verberare filios quando licet. 94.
Veritas in quo consistit. 160.
Virginitatis ratio in quo attenditur. 181.
Vitium contra naturam quomodo est species Luxuriæ. 186.
Vitium contra naturam quomodo est grauissimum peccatum. 187.
Vota quando sunt reseruata Papæ. 135.
Voti commutatio, & dispensatio quando facienda. 133.
Voti solemnis continentiæ dispensatio quando potest fieri à Papa. 134.
Votorum Incompossibilitas quomodo obligat ad obseruandum. 130.
Votum quæ requirit. 128.
Votum quomodo fit soli Deo. 129.
Votum quomodo fit de meliori bono. ibid.
Votum quare obligat ad obseruandũ. 130.
Votum quando est soluendum. 131.
Votum quare expediens est. ibid.
Votum quomodo solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, & professionem certæ regulæ. 132.
Votum quomodo obligat eum, qui est potestati alterius subiectus. ibid.
Votum quando obligat puerum, vel Puellam. 133.
Votum continentiæ cur non potest alter coniugum omittere sine consensu alterius. 323.
Vsura quomodo est, accipere pretium pro pecunia mutuata. 111.
Vsura quare permissa fuit Iudæis. ibid.
Vsura quando est, sperare lucrum ex pecunia mutuata. 112.
Vsura quando est, accipere aliquid pretio estimabile pro pecunia mutuata. ibid.
Vsura quare est lucrũ ex mutuo pecuniæ, non autem ex societate. ibid.
Vsura quare non est, si mutuans exigat recompensationem damni ex mutilationis prouenientis. 114.
Vsur. quomodo obligat ad restitutionẽ eius quod re vsuraria quis lucratur. 115.
Vsura quando est, accipere mutuum sub vsura ab Vsurario. 116.
Vsurariè acquisita quibus sunt restituenda. ibid.
Vsurario pecunia committens quando peccat. ibid.

FINIS.

ERRATA.	CORRIGE.
pag. 12. Col. 2. n. 1. Permiltit	Permittit
pag. 13. C. 1. n. 35. Contrahut	Contrahunt
pag. 23. C. 1. n. 1. ipsu	ipsum
pag. 24. C. 2. n. 14. ducitur	dicitur
pag. 28. C. 1. n. 14. cilicet	scilicet
pag. 31. C. 1. n. 5. Vulita	Vtilia
pag. 36. C. 1. n. 35. secnudrm	secundum
pag. 40. C. 2. n. 7. habenubut	habentibus
pag. 43. C. 1. n. 30. placerc	placere
pag. 52. C. 2. n. 36. parre	parte
pag. 59. C. 2. n. 28. ndecenter	indecenter
pag. 60. C. 2. n. 39. ratihabitationis	ratihabitionis
pag. 62. C. 1. n. 38. amendari	emendari
pag 75. C. 1. n. 28. dicta	dictę
pag. 89. C. 1. n. 34. solu n	solum
pag. 121. C. 2. n. 35. Qua	Quę
pag. 123. C. 1. n. 9. Ile	Ille
pag. 131. C. 2. n. 29. Pouere	Vouere
pag. 132. C. 1. n. 4. Meritorum	Meritorium
pag. ead. C. 2. n. 5. Soto	Voto
pag. 136. C. 2. n. 27. oblignandi	obligandi
pag. 138. C. 1. n. 40. simulatoris	simulatorijs
pag. 140. C. 2. n. 38. cante	cantet
pag. 147. C. 2. n. 35. iniũges	iniungens
pag. 155. C. 1. n 36. iilius	illius
pag. 156. C. 1. n. 38. aliuis	aliquis
pag. 162. C. 1. n. 30. doctrina	doctrinam
pag. 165. C. 1. n. 17. Et	Est
pag. 169. C. 2. n 24. leuabis	leuabit
pag. 172. C. 2. n. 18. Pprinceps	Princeps
pag. 175. C. 1. n. 32. delectioni	dilectioni
pag. 179. C. 1. n. 9. medicina	medicinam
Pag. ead. C. 2. n 27. inducitur	indicitur
Pag. 193. C. 2. n. 33. quid dica	Id, quid dicat
Pag. 197. C. 2. n. 36. Olium	Oleum
Pag. 198. C. 2. n. 37. procuraret	procurare
Pag. 218. C. 1. n. 1. pupulus	populus
Pag. 228. C. 2. n. 30. consequoitur	consequitur
Pag. 229. C. 2. n. 8. paccato	peccato
Pag. 236. C. 1. n. 13. esse	esset

ERRATA.	CORRIGE.
Pag.244. C. 1. n. 16. ilia	illa
Pag.259. C. 1. n. 24. alquia	aliqua
Pag.262. C. 2. n. 41. scelictus	scelestus
Pag.271. C. 1. n. 41. contineetur	contineatur
Pag. 274. C. 2. n. 8. quę	qua
Pag. 277. C. 1. n. 2. vel Cómissione	vel ex Comissione
Pag.282. C. 1. n.23. facerat	fecerat
Pag.286. C. 2. n. 11. Repensationem	Recompensationem
Pag.287. C. 2. n.34. Penitentis	Penitens
Pag. 293. C. 1. n. 11. determinecè	determinatè
Pag. ead. C. 1. n. 35. superabudant	superabundant
Pag.300. C. 2. n. 3. quiuero	qui verò
Pag.305. C. 1. n.23. potest	potestas
Pag.307. C. 2. n. 24. energumẽtorũ	energumenorum
Pag.311 C. 2. n. 7 poni	ponit
Pag.317. C. 1. n. 7 et	est
Pag. 325. C. 1. n 21 fit	sit
Pag. 331. C. 2. n.30. eadem	eamdem
Pag. 332. C. 1. n.23. fornicatio	fornicario

